



UAN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
SECRETARÍA GENERAL DE BIBLIOTECA



YALLET

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

2

RAJED
B59
V3
v. 2

009734



1080014355

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



PRÆLECTIONES

PHILOSOPHICÆ

U A N L

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

AD MENTEM

S. THOMÆ AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

AUCTORE

P. VALLET, P. S.-S.

Philosophus quondam professore in seminario Isidoriensi

OCTAVA EDITIO, STUDIOSE RECOGNITA

TOMUS SECUNDUS
METAPHYSICA ET ETHICA

« Illa scientia est maxime intellectualis
» que circa principia maxime universalia
» versatur. »
(S. THOMAS, *Comm. Metaph. Arist.*, Prol.)

« Tota humana vita oportet quod erigatur
» netur in optimum et ultimum bonum humanum
» maneat vitæ. » (In lib. I *Act. 2*)

DU MEME AUTEUR

Histoire de la Philosophie. Un volume in-12, 5^e édition.

Prix : 4 fr.

L'Idée du Beau dans la Philosophie de S. Thomas. Un volume in-12, 2^e édition. Prix : 2 fr. 50.

La Tête et le Cœur, étude physiologique, psychologique et morale. Un volume in-12, 2^e édition. Prix : 2 fr. 50.

Le Kantisme et le Positivisme, étude sur les fondements de la connaissance humaine. Un vol. in-12. Prix : 2 fr. 50.

La Vie et l'Hérédité. Prix : 3 fr.

Ex typis Firmini Didot et Soc. — Mesnili ad Stratam.



PARISIIS

APUD A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, EDITORES.

Via vulgo dicta Grands-Augustins, 7

1899

(Droits réservés)




46185

B69

V3

v. 2



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

ONTOLOGIA

PRÆVIÆ NOTIONES

I. De notione Ontologiæ.

1. *Varia nomina Ontologiæ.* Ontologia nomen habet ex græco fonte, οντος, λογος, quæ voces idem sibi volunt ac *sermo de ente.*

Aristoteles eam vocare solebat *philosophiam primam*, vel *theologiam*, quòd disputaret de primis rerum principiis et causis, necnon de Deo, quatenus omnium rerum motore.

— Discipuli Aristotelis maluerunt nomen *Metaphysicæ*, quia versatur circa notiones supremas, omnino abstractas: et quæ proinde res físicas maxime transcendunt. — A Wolfio verò invaluit *Ontologiæ* nomen ad designandam partem *Metaphysicæ generalioris*, quæ considerat ens et communissimas ejus proprietates.

2. *Metaphysicæ objectum et partitio.* Metaphysica, ex ipso suo nomine, de ente agit, quatenus ab omni materia sejungitur ac transcendit res físicas. Porrò id triplici ratione fieri potest: vel enim ens in *universum* necnon *communissimæ* illius proprietates considerantur: unde Ontologia, seu metaphysica generalis; vel agitur de Deo; qui natura sua

ii.


1

009734

B69

V3

v. 2



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

ONTOLOGIA

PRÆVIÆ NOTIONES

I. De notione Ontologiæ.

1. *Varia nomina Ontologiæ.* Ontologia nomen habet ex græco fonte, οντος, λογος, quæ voces idem sibi volunt ac *sermo de ente.*

Aristoteles eam vocare solebat *philosophiam primam*, vel *theologiam*, quòd disputaret de primis rerum principiis et causis, necnon de Deo, quatenus omnium rerum motore.

— Discipuli Aristotelis maluerunt nomen *Metaphysicæ*, quia versatur circa notiones supremas, omnino abstractas: et quæ proinde res físicas maxime transcendunt. — A Wolfio verò invaluit *Ontologiæ* nomen ad designandam partem *Metaphysicæ generalioris*, quæ considerat ens et communissimas ejus proprietates.

2. *Metaphysicæ objectum et partitio.* Metaphysica, ex ipso suo nomine, de ente agit, quatenus ab omni materia sejungitur ac transcendit res físicas. Porrò id triplici ratione fieri potest: vel enim ens in *universum* necnon *communissimæ* illius proprietates considerantur: unde Ontologia, seu metaphysica generalis; vel agitur de Deo; qui natura sua

ii.

1

009734

ab omni materiâ removetur : unde Theologia naturalis; vel demum in ipsis rebus corporeis atque in adspectabili hoc mundo investigantur rationes quædam maximè generales, proinque immateriales ac metaphysicæ : unde Cosmologia.

Quare Theologia naturalis et Cosmologia Metaphysicam formant specialem.

Anthropologia autem quam recentes nonnulli ad Metaphysicam referunt, est *specialis* scientia, a Metaphysicâ distincta, quia tractat de ente particulari, quod ex materiâ et spiritu coalescit.

3. *Definitio Ontologiæ.* Ontologia definitur a D. Thomâ « *scientia quæ considerat ens et ea quæ consequuntur ipsum* ». (Prol. Metaph.).

Dicitur 1^o scientia, quia proprium habet objectum, et certis innititur principiis, ex quibus certas et ritè ordinatas conclusiones eruit.

Dicitur 2^o *quæ considerat ens*, non quidem *tale aut tale*, sed *absolutum* et communissimè sumptum; quocirca vocatur ab Aristotele « *scientia universalis de ente, quatenus est ens* ». — Hinc præcipuè discriminatur a cæteris scientiis quæ non disserunt nisi de entibus *determinatis*, vel de *specialibus* modis entis.

Dicitur 3^o *et ea quæ consequuntur ipsum*, nempe omnes entis communissimas affectiones aut proprietates.

Unde concludere est Ontologiam scientiam *speculativam* merito dici, quum tota sit in consideratione entis.

II. De præstantia et utilitate Ontologiæ (1).

4. *Præstantia* Ontologiæ ex universalitate et nobilitate illius objecti oritur; versatur enim circa supremas notiones et *ultimas* rerum causas, et omnia, *generali* quadam ratione, amplitudine suâ comprehendit. — Sub eo respectu, omnibus scientiis, imò et cæteris Philosophiæ partibus, exceptâ Theologiâ naturali, antecellit.

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, p. 78, 79 et 100.

5. Ejus *utilitas* refertur ad cultum intellectûs, ad scientias omnes generatim, speciatim verò ad cæteras partes Philosophiæ.

1^o Docet Ontologia notiones maximè immateriales et universales, necnon supremas rerum causas, quibus vehementer gaudet intellectus, et acuitur ingenii vis. Quare dicitur a D. Thomâ scientia maximè *intellectualis*.

2^o Omnibus scientiis summopere utilis est. Nam iis præstat *ultimum* suum fundamentum; siquidem omnes scientiæ *speciales* entis modos pertractant, ac proinde supponunt scientiam entis *universalem*. — Declarat naturam ac vim notionum supremarum quibus variæ scientiæ passim utuntur; v. g. notionum *essentiæ*, *potentiæ*, *possibilitatis*, *unitatis*, *veri*, *boni*, *pulchri*, *causæ* et *effectûs*, *spatii* et *temporis*.

Declarat demum naturam ac legitimitatem primorum principiorum, a quibus vim suam habent, et ad quæ *ultimatim* revocari possunt propria diversarum scientiarum principia. Nam ut sapienter notat D. Thomas, « inferiores scientiæ nec probant sua principia, nec contra negantem sua principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiæ; *suprema* verò inter eas, scilicet *Metaphysica*, disputat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit; si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius. » (1^a, q. 1^a, a. 8, c).

Porro, ut ostendimus in Logicâ (n. 350), summa hæc Ontologiæ principia, in quibus nituntur principia cæterarum scientiarum omnium, ea sunt quæ *contradictionis* et *causalitatis* nuncupantur. — Imò verò, docente Aristotele, principia propria diversarum scientiarum aliud non sunt nisi principia *Metaphysicæ* communissima, quæ secundum *analogiam* et *proportionem* in unaquaque scientiâ accipiuntur. — Unde mirabilis illa variarum scientiarum *colligatio*, de quâ S. Thomas : « Omnes scientiæ communicant in principiis communibus, hoc modo quòd omnes utuntur eis, sicut ex quibus demonstrant. » (In lib. I *Poster.*, lect. 20).

3^o Quod pertinet ad reliquas Philosophiæ partes, magnum quoque ex Ontologiâ emolumentum accipiunt. Ipsa quippe

sedulò notat atque illustrat principia in quibus Logica certitudinis existentiam ac demonstrationis vim, tanquam in fundamento reponit. Notiones *essentiæ, potentiæ, actûs, substantiæ, subsistentiæ, naturæ ac personæ*, Anthropologiæ subministrat, præbetque Cosmologiæ et Theologiæ naturali notiones communes atque principia quibus passim utuntur.

Præterea, notiones *essentiæ, substantiæ, subsistentiæ, naturæ, personæ, accidentis, principii et causæ* in Theologiâ sacrâ sæpesæpiùs usurpantur, et ex earum vel falsâ vel mancâ interpretatione plures hæreses prodierunt.

Verissimè igitur cum D. Thomâ concludere licet: « *Necessitas hujus scientiæ quæ speculatur ens et per se accidentia ejus, ex hoc apparet quia hujusmodi non debent ignota remanere, cum ex eis aliorum dependeat cognitio, sicut ex cognitione communium dependet cognitio priorum.* » (In iv Met. lect. 1).

III. De Ontologiæ historia.

6. Ontologiæ parens jure habetur Aristoteles, in cujus operibus quatuor et decem libri de Metaphysicis inscribuntur, remque illam solidè simul et acutè pertractant. Deinde scholastici doctores metaphysicas disciplinas plurimùm excoluerunt, imprimis verò Albertus Magnus, Scotus, S. Thomas et Suarezius, cujus percelebris est Metaphysica. Et ratio fuit quod *dogmatica* theologia, qui se totos dederunt, continet vel suggerit ipsa Metaphysicam altissimam, nec potest ut par est excoli, nisi notionibus metaphysicis plenius haustis.

A Cartesio et Malebranchio neglecta est prorsus Ontologia, quoniam Cartesius totam fere philosophiam in *subjecti* cogitantis cognitione coarctavit.

At Kantius ad Ontologiam philosophiæ studium rursus evocavit, nisi quòd, dum Aristotelis metaphysicam corrigere voluit, Metaphysicæ ipsi attulit ruinam. Nam habuit Ontologiæ notiones ut satis vacuas *subjecti* cogitantis formas, quibus nil respondet in naturâ. — Ex quo tempore iterum in

oblivionem venit Ontologia, quum vel in sensualismum philosophia declinavit, vel in subjecto cogitante aut in psychologiâ sese continuit, Reidio duce et scholâ, ut aiunt *scoticâ*.

IV. De Ontologiæ divisione.

7. Ontologiæ divisio ex ejus notione colligitur; ut enim diximus, est scientia quæ « considerat ens et ea quæ consequuntur ipsum, » videlicet communissimas entis proprietates. Porro proprietates istæ duplicis generis distinguuntur; vel enim ab ente defluunt necessariò et omni enti conveniunt, tuncque dicuntur *transcendentalia*, quia omnia entium genera aut species transcendunt; vel non omni enti conveniunt, sed haberi debent veluti suprema attributa quæ de variis entibus prædicari possunt, et nominantur *categoriae*. Quamobrem triplex est Ontologiæ pars: 1^a de ente in universum, 2^a de transcendentalibus, 3^a de categoriis sermonem habet.

ONTOLOGIÆ PRIMA PARS

SIVE
DE ENTE IN UNIVERSUM

Dicendum est 1° de notione entis; 2° de præcipuis entis divisionibus.

CAPUT I

DE NOTIONE ENTIS

Ut notio entis clarior habeatur, dicendum est 1° de ejus definitione; 2° de nihilo quod ei opponitur; 3° de ejus relatione ad cæteras notiones; 4° de primo principio quod in eâ fundamentum habet.

ARTICULUS I

De entis definitione.

8. Assertio; *Notio entis nec propriè defini potest, nec definitione indiget, quanquam possit aliquâ ratione declarari.*

Probatur 1^{um}, quia tunc propriè definitur aliqua res, quum dividuntur elementa ex quibus constat, atque indicatur ejus genus proximum et specifica differentia. Porrò non pluribus elementis, sed uno tantum coalescit notio entis,

quæ, ut infrà probabitur, nullo genere continetur, sed transcendit omnia genera.

Probatur 2^{um}, quia notiones ex se apertæ definitione non egent. Atqui talis est notio entis, quam quivis aliquâ saltem ratione intelligit.

Probatur 3^{um}. Nomen entis, ait S. Thomas, ab *ente* imponitur, scilicet a participio verbi sum. Porrò ens designat « id cujus actus est esse » seu existere (*De Ente et essentia*); quare notio entis præsefert aliquid maximè *transcendentale, indeterminatum, simplicissimum, communissimum, in quo omnia conveniunt*. Etenim nec existentiam, nec essentiam præcisè denotat, sed *aliquid ad existentiam ordinatum, et cujus actus seu ultima perfectio consistit in existentia*.

ARTICULUS II

De Nihilo.

9. Enti opponitur *nihilum*, quod *negationem entis præsefert*.

10. Nihilum porrò vel est *totale et absolutum*, vel *partiale et relativum*, prout omne ens, aut aliquem duntaxat modum entis negat; v. g. ignorantia denotat aliquod nihilum relativum, nempe defectum scientiæ.

Rursus, nihilum relativum vel est merè *negativum*, vel *privativum*. Prius indicat simplicem carentiam alicujus perfectionis in subjecto cui cæterum non debetur; posterius contra indicat carentiam perfectionis in subjecto quod eam habere deberet; v. g. carentia sensationis in plantâ est nihilum negativum, dum carentia visus in animali est nihilum privativum.

11. Corollarium. Ex notione nihili patet illud a nobis per seipsum non cognosci, cum nihil exhibeat unde animo capi valeat; sed cognosci potest ex suâ relatione ad *ens* cui opponitur. Nam cognoscimus nihilum absolutum per ens in universum cui opponitur, nihilum verò relativum per deter-

minatum modum entis quem negat; v. g., tenebras per lucem.

ARTICULUS III

De relatione notionis entis ad alias notiones.

Relatio ista dupliciter considerari potest, videlicet in ordine rei, et in ordine cognitionis.

12. PROP. 1^a: *Notio entis relativè ad alias notiones non est generica, sed tantum analogica.*

Prob. 1^a pars contra Scotum et plures recentes (1). Etenim omne genus dividitur per species quæ differentias habent extra essentiam generis sumptas, et de suis speciebus eadem ratione seu *univoce* prædicatur. E. g. notio *animalis* genus dicitur relativè ad hominem et bovem, propterea quòd uterque in animalitate æquè convenit, simulque homo et bos specificè differunt, quia in homine animalitati rationalitas additur, quæ in bove deest. — Porro 1^o ens nullas habet differentias essentialiter suæ superadditas, siquidem quælibet res essentialiter est ens, nihilque est extra ens præter nihilum. — 2^o Non unâ ratione de variis entibus prædicatur, sed diversa diversos essendi modos præ se ferunt. Quanquam enim omnia entia id habent commune quòd sint, nihilominus non habent ens unâ ratione; quippe ens eorum varium est, pro variâ eorum naturâ. E. g., alia est ratio entis a se existentis, alia ratio entis existentis ab alio; aliud ens substantiæ, aliud accidentis, aliud qualitatis, aliud quantitalis, et ita porro.

Prob. 2^a pars. Analogæ dicuntur notiones quæ aliquod unum participant, at variâ ratione. Sed omnia entia ens participant, etsi variâ ratione; v. g. *qualitas* et *quantitas* in ente conveniunt, sed diversum essendi modum exhibent.

13. **Corollarium.** Ex dictis colligi potest notionem entis in genere ab aliis notionibus contrahi simul ac determinari;

(1) Cf. S. Th., 1^a, q. 3, a. 5; in *V Met.*, lect. 9; *Cont. Gent.*, I, 25.

contrahitur, quia in illis sumitur *particulariter*; determinatur, quia *specialis* evadit cum ad varia entia applicatur.

14. PROP. 2^a: *Notio entis est prima quam acquirit intellectus humanus, et ad eam omnes aliæ notiones resolvuntur.*

Prob. 1^a pars. Prima hominis notio debet esse maximè communis et indeterminata. Atqui hujusmodi est notio entis in genere.

Prob. major 1^o ratione. Intellectus noster, utpote maximè imperfectus, a potentiâ in actum procedit. Sed quidquid procedit ex potentiâ in actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui medius est inter potentiam et actum, quàm ad actum perfectum. Porro actus perfectus, ad quem intellectus pervenit, est notio completa, quâ res distinctè et determinatè cognoscuntur; actus autem incompletus est notio incompleta, quâ res cognoscuntur indistinctè, sub quâdam confusione.

2^o *Experientiâ*, ut advertit S. Thomas, non tantum in intellectivâ, verum etiam in sensitivâ cognitione: « Nam prius « secundum sensum dijudicamus magis commune, quàm « minus commune, et secundum locum et secundum tempus. *Secundum locum* quidem, sicut cum aliquid videtur a « remotis, prius deprehenditur esse corpus, quàm deprehendatur esse animal; et prius deprehenditur esse animal, « quam deprehendatur esse homo; et prius homo, quàm « Socrates vel Plato. — *Secundum tempus* autem, quia puer « a principio prius distinguit hominem a non homine, quàm « distinguat *hunc* hominem ab *alio* homine. » (1^a, q. 85, a. 3, c).

Patet minor, scilicet notionem entis esse quàm maximè communem et indeterminatam; siquidem in summâ generalitate sese continet, nihilque dicit de rebus nisi quòd *sint*.

PROB. 2^a PARS, nimirum omnes alias notiones ad notionem entis resolvi. Quidquid enim a nobis concipitur, vel substantiale est quiddam, vel accidentale. Porro sive substantia, sive accidens est quidam modus essendi. Nihil itaque apprehendi potest, quin apprehendatur ut aliquod ens.

15. **Scholium.** Ut clarior thesis evadat, duplex distinguenda

est notio entis, alia *directa* et *spontanea*, quam dicimus esse primam in ordine nostræ cognitionis; alia verò *reflexa* et *scientifica*. — Primam acquirit intellectus intuitivè, statim atque occurrit illi aliquod ens, quodcumque illud sit. — Secundam verò nonnisi longum post tempus, cùm nempe varias res a se cognitās, variasque suas notiones inter se confert, et advertit omnia resolvi ad *ens*. — Prima *confusè* admodum exhibet rationem entis, secunda autem explicitè ac *distinctè*, quia post certam comparisonem et analysim monstrat quæ sint variæ entis proprietates. — Utraque est *abstracta*, quia in rebus solam entis proprietatem considerat, neglectis cæteris notis.

ARTICULUS IV

De principio primo quod nititur in notione entis.

16. *Status questionis*. In Logicâ (n. 350), ostensum est nullum dari principium primum, ex quo cætera, communi velut ex *fonte* profluant. At quæritur impresentiarum an sit principium quoddam primum, quatenus prius in notitiam nostram veniat, et in quo velut in *fundamento* cætera nitantur. Hoc porro asserimus de principio contradictionis.

17. *Notio principii contradictionis*. Principium contradictionis sic enuntiatur: *Idem non potest esse simul et non esse*, atque ita nominatur quoniam ejus termini contradictoria enuntiant.

Vocari etiam solet principium *identitatis*, tuncque ita enunciatur: *Quod est, est*. Secunda formula in priorem quadrat, et in eam resolvi potest. Id quippe sibi vult id quod est, quatenus est, non posse simul non esse (1).

Sub principio contradictionis comprehenditur principium

(1) Quare principium contradictionis est *voce* negativum, sed *re* affirmativum. Atque ita universale et absolutum est, ut omnibus sive necessariis, sive contingentibus rebus conveniat. — Particula *simul* non propriè tempus significat, sed tantum *nunc indivisibile*, sive sit fluens, ut *nunc* temporis, sive permanens, ut *nunc* æternitatis.

quod vocant *mediū* vel *tertium exclusi*, cujus hæc est formula: *Aliquid est, vel non est, non datur medium vel tertium*.

18. *Assertio*. *Principium contradictionis est omnium primum, sive in ordine cognitionis, sive in ordine rei*.

PROB. 1^a PARS, quia principium contradictionis constat ex notionibus prius notis, ad quas omnes aliæ notiones reducuntur; quippe constat ex notione entis, et non entis seu nihili, quæ sunt prius notæ et ad quas omnes aliæ revocantur. — Imò, si exprimaturs formulâ identitatis, nonnisi entis notionem propriè involvit.

PROB. 2^a PARS, quia 1^o alia principia ipsum *supponunt*; eo enim non supposito, alia principia possent esse vera simul et falsa; — 2^o In eo *fundantur*, et, eo admissio, *indirectè* demonstrari possunt. Nam, si quis ea negaverit, ultimam adduci potest ad admittendum duo contradictoria. E. g. si quis neget totum esse majus suâ parte, adduci potest ad asserendum totum simul esse et non esse totum, seu, aliis verbis, eandem rem simul esse et non esse (1).

19. *Corollarium*. Hinc sequitur nec illud Cartesii: « *Cogito, ergo sum*; » nec illud a cartesianis non paucis laudatum principium: « *Quidquid continetur in ideâ clarâ alicujus rei, affirmari debet de illâ re,* » haberi posse pro primo principio.

Nam 1^o notio cogitationis et subjecti cogitantis præsupponit notionem entis, ut ipse Cartesius confitetur. — 2^o Nisi præsupponatur veritas principii contradictionis, posset aliquis simul cogitare et non cogitare, jamque in gratiam subjecti cogitantis nihil jure concluderetur. Similibus vitiis laborat principium cartesianorum. (R)

(1) Ad rem D. Thomas: « Illud quod primò cadit in apprehensione est ens, cujus intellectus (notio) includitur in omnibus quæcumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est quòd non est simul affirmare et negare, quod fundatur supra rationem entis et non entis; et super hoc principio omnia alia fundantur. » (1^a 2^a, q. 94, a. 2, c.).

CAPUT II

DE PRÆCIPUIS ENTIS DIVISIONIBUS

20. Prænotanda. Ens multifariam dividi potest. Nam ratione determinationis, distinguitur in actum et potentiam, prout est in ordine suo completum, vel incompletum. — Ratione existentie, est actuale, vel mere possibile, prout eam actu possidet, vel tantum possidere potest. — Sed in ente existente, considerari potest vel sola existentia, vel etiam essentia quâ fruitur. — Rursus, ens existens existere potest a seipso, vel ab alio. Si a seipso, est necessarium simul æternum, immutabile, spirituale et infinitum. Si existit ab alio, est contra contingens, mutabile, finitum. Ens porro ab alio existens, potest indifferenter esse omnino spirituale, simplex tantum, vel corporeum, prout independens est a materia, vel ab eâ dependens, licet partium expers, vel tandem compositum multis partibus.

Porro inter eas notiones non paucæ in aliis Philosophiæ partibus explicantur; in præsentia igitur non loquimur nisi de illis quæ ad Ontologiam potissimum pertinent et speciali indigent explicatione.

ARTICULUS I

De Actu et potentia (1).

De actu et potentia tria declaranda sunt, nempe 1° notio et variæ species actûs; 2° notio et variæ species potentie; 3° relationes quæ vigent inter potentiam et actum.

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. vi, n. 1

§ I. — De notione et speciebus actûs.

21. Actus definitionis strictæ capax non est, cum sit, monente D. Thomâ, de primis simplicibus. « Sed per proportionem aliquorum duorum ad invicem, potest videri quid est actus. Ut si accipimus proportionem ædificantis ad ædificabile, et vigilantis ad dormientem, et ejus qui videt ad eum qui habet oculos clausos, cum habeat potentiam visivam. » (*Metaph.*, l. 9, lect. 5).

22. Itaque actus, in genere significat aliquam entitatem in ordine suo completam ac perfectam; v. g. intelligentia exercita; dum potentia præsefert quid incompletum, ad ulteriorem perfectionem ordinatum; v. g. mera facultas intelligendi; quare actus se habet ad id cujus est actus, velut perficiens ac determinans ad perfectibile et determinandum.

23. Variæ species actûs. 1° Ratione naturæ, actus triplex distingui potest, nempe 1. actus essentia, quo res determinatur ad aliquam speciem; in eo sensu diximus in Anthropologiâ animam esse actum corporis, quia corpus habet ab eâ quod sit humanum; 2. actus existentia, quo res in existentia constituuntur; 3. actus proprietatis, quo res jam existentes qualitatem aliquam accipiunt: v. g. virtus in Paulo.

2° Ratione ordinis, actus dividitur in primum et secundum.

Porro in ordine nostræ cognitionis, actus primus est operatio, secundus autem est forma, quia, docente Angelico, « sicut ex communi hominum intellectu, nomen actûs primò fuit attributum operationi; sic enim quasi omnes intelligunt actum. Secundò autem exinde fuit transmissum ad formam, in quantum forma est principium operationis. » (*Qq. dispp.*, q. 1^a de potest. Dei, a. 1).

At in ordine rei, operatio præsupponit formam ex quâ dimanat; forma autem prima est et concipitur in ente. Unde, absolute forma vocatur actus primus, et operatio actus secundus.

3° Ratione perfectionis, actus est purus vel non purus. Prior nullam omnino potentie permixtionem præ se fert;

scilicet neque est actus alicujus potentiæ, ut intellectio est actus intellectus, neque ad ulteriorem actum ordinatur, ut in rebus creatis, essentia ordinatur ad esse. Posterior contra aliquam potentiæ permixtionem includit.

§ II. — De notione et speciebus potentiæ.

24. 1^o *Potentia definiri debet per actum*, quippe quæ tota quantacumque est, ad actum refertur et per eum a nobis cognoscitur.

Porro potentia aliud non est nisi *capacitas ad aliquid*, vel *fusius facultas suscipiendi vel faciendi aliquid*.

25. Hinc *duplex* potentia, *passiva* nimirum et *activa*, prout designat aptitudinem ad aliquid recipiendum, vel ad aliquid efficiendum. Patet potentiam activam passiva esse præstantiorem.

Potentia autem passiva distinguitur in *logicam* et *realem*. Prior indicat meram aptitudinem ad *existendum*; velut aliqua res, priusquam existat, in potentia dicitur ad existendum. Posterior contra ea est, vi cuius ens quoddam existens ab alio ente perfectionem aliquam recipere potest; v. g. aptitudo argillæ insita ut a figulo confingatur, vel discipulo ut a magistro doceatur.

Rursus, potentia realis potest esse *remota*, vel *proxima*, prout ad actum immediatè reduci valet, vel ad eum *disponi* debet per varios gradus; v. g. puer est in potentia remota ad Philosophiam, juvenis autem in potentia proxima.

Demum, potentia sive remota, sive proxima dividitur in *naturalem* ac *supernaturalem*, prout ad actum moveri potest ab agente quodam naturali, sicut v. g. discipulus a magistro docetur, vel solum ab agente supernaturali, sicut v. g. homo incitatur Dei gratiâ ad eliciendum actum *fidei*, vel *spei*.

Hæc posterior potentia vocatur a theologis potentia *obedientialis*. De quâ paulò fusius dicendum est, quoniam in ipsâ nititur *ordo supernaturalis*.

Porro potentia obedientialis definitur *aptitudo quædam*

enti cuilibet creato inhærens, vi cuius elevari potest ad actus efficiendos qui vires suas naturales prætergrediuntur.

Differt a cæteris potentiis, tum quia refertur ad effectus supernaturales, eæ verò ad effectus naturales; tum quia eæ per seipsas effectus suos producunt, ipsa autem non est nisi *aptitudo* ad recipiendam a Deo vim supernaturalem, quâ efficere queat actus qui naturæ facultatem transcendunt. — At, ex aliâ parte, potentia obedientialis, ut *aptitudo* spectata, non est nova *specialisve* potentia, sed potiùs dispositio *omnibus* potentiis insita, vi cuius a Deo elevari possunt supra suam conditionem.

26. Jam de aptitudinis illius *existentiâ* haud licet dubitare (1). Nam cunctæ res creatæ, quatenus creatæ, ita naturâ suâ pendent a Deo, ut ipsi pro libitu obediant famulenturque; ac proinde non tantum non repugnat, verum etiam iis omnino naturale est ut a Deo elevari valeant ad actus ad quos eliciendos naturalem non habent facultatem.

§ III. — De relationibus inter potentiam et actum.

Relationes illæ spectant vel ad convenientiam et differentiam, vel ad perfectionem relativam actus et potentiæ, vel ad dependentiam et prioritatem.

27. *Relationes convenientiæ et differentiæ.*

EFFATUM 1^{um}: *Actus et potentia sunt ejusdem generis*; quia potentia est potentialiter id ipsum quod actus est actualiter; v. g. intellectio in potentia, et intellectio in actu.

EFFATUM 2^{um}: *Actus et potentia sunt contraria*; licet enim sint ejusdem generis, tamen non possunt esse *simul*, sed alteroposito, tollitur alterum; ut intelligere potentia, et intelligere actu.

28. *Relationes perfectionis relativæ.*

EFFATUM 1^{um}: *In quantum aliquid est in actu, in tantum est perfectum; et in tantum est imperfectum, in quantum est in potentia.*

(1) Cf. S. Th. 3^a, q. xi, a. 1; qq. dispp. 6, a. 1, ad 18.

Probatur 1^{um}, quia, ex definitione, actus præsefert possessionem realem alicujus perfectionis; v. g. scientia acquisita.

Probatur 2^{um}, quia potentia designat solum aptitudinem ad perfectionem acquirendam; v. g. aptitudo discipuli ad comparandam scientiam.

EFFATUM 2^{um} apud S. Thomam ita enuntiatur: *Unumquodque secundum quod est actu et perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus. Patitur autem unumquodque secundum quod est deficiens et imperfectum.* (1^a, q. 25, a. 1, c).

Probatur 1^{um}, quia quod est actu et perfectum, aptum est ad perfectionem suam alteri communicandam.

Probatur 2^{um}, quia ens imperfectum ab alio moveri debet ut acquirat suam perfectionem, ut statim videndum est.

29. Rationes dependentiæ et prioritatis.

EFFATUM 1^{um}: *Nulla potentia, quæ talis, potest seipsam ad actum reducere, sed reducatur oportet ad actum ab alio ente jam in actu.*

Ratio est quod potentia, quæ talis, actu caret. Porrò si ad actum sese reduceret, id faceret ipso actu quo supponitur carere, et actus e sui absentia emergeret, quod repugnat.

EFFATUM 2^{um}: *Ontologicè et absolutè actus prior est potentia; sed in ente mutabili, potentia prior est actu.*

Probatur 1^{um}, quia, ex dictis, potentia seipsam non educit in actum, sed educi debet ab alio ente jam in actu. Omne igitur quod est aliquo modo in potentia, aliquid prius se habet.

Ex quo ulterius sequitur creaturas omnes, utpote quæ constant ex potentia et actu, prius se habere aliquod ens a quo in actum educantur, quodque sit actus purus, et ideo infinite perfectum.

Probatur 2^{um}, quia quidquid mutatur, transit ex uno statu ad alium, ad quem erat prius in potentia.

ARTICULUS II

De possibili et impossibili.

Dicendum est 1^o quid et quotuplex sit possibilitas? 2^o quibus regatur principiis? 3^o quodnam fundamentum habeat?

§ I. — De notione ac variis speciebus possibilitatis.

30. Possibile dicitur quod *aptum est ad existendum*. Quocirca ut aliqua res dicatur simpliciter possibilis, duo requiruntur, scilicet: 1. elementa ejus inter se convenire, et 2. esse externam aliquam causam quæ actualem existentiam iis largiri queat. Talis erat mundus, antequam crearetur.

Possibile igitur tum ab ente *actuali*, tum a *nihilo* distingui debet, utpote quod medium sit inter utrumque. Differt ab ente actuali, quia non actu existit; a nihilo verò, quia existere potest.

Propterea, licet non existat, aliquo tamen sensu meretur nomen entis, ob positivam realemque convenientiam quæ viget inter ejus *elementa*, et ideo *aptitudinem* fert ad existentiam. Nihilum contra est quid prorsus *negativum*, quod ne *idealem* quidem habet existentiam. Possibili *impossibile* adversatur quo significatur aliquid quod nequit fieri.

31. Possibile *dividitur* in *internum* et *externum*. Possibilitas interna seu *absoluta* consistit in ipsa convenientia elementorum alicujus rei; v. g. animalitas et rationabilitas quæ constituunt notionem hominis, inter se conveniunt, quia concipitur ens corpore et animâ rationali præditum.

Possibilitas externa seu *relativa* tota pendet a potentia alicujus agentis quod adducere potest ad existentiam aliquod ens intrinsecè possibile; v. g. Deus potest creare mundum perfectiorem eo quem præ oculis habemus.

Impossibile, sicut possibile, distinguitur in *internum* et *externum*, prout significat aliquid quod *in se repugnat*, vel quod fieri nequit, solo defectu potentia agentis externi.

Rursus possibile ut impossibile internum dividitur in *metaphysicum, physicum et morale*.

Possibile metaphysicum dicitur id quod *in se* nullam repugnantiam involvit, v. g. mons aureus. Unde res metaphysicè impossibilis ea est cujus notæ secum pugnant, v. g. circulus quadratus. — Possibilitas physica continetur ordine *legum* quibus subjacent vires *naturæ*; impossibilitas physica ea est vi cujus aliquid fieri nequit, nisi per derogationem ad leges naturæ. — Possibilitas moralis, cui moralis impossibilitas opponitur, ea est juxta quam aliquid fieri valet, inspectis viribus aut propensionibus naturæ moralis, v. g. amor matris erga filium ingratum. — Haud rarò moraliter impossibile id etiam dicitur quod non nisi magnam difficultatem præsefert, v. g. odium matris in filium suum.

§ II. — De principiis quibus regitur possibilitas.

32. 1° *Quidquid extrinsecus possibile est, possibile est etiam intrinsecus; non autem vicissim, nisi possibilitas externa ad Deum referatur.* Ratio patet ex ipsa definitione utriusque possibilitatis.

2° *Ab actu ad posse valet consecutio.* Scilicet quod revera existit, habendum est ut possibile.

3° *A posse ad actum non valet consecutio,* sive possibilitas sola non est ratio sufficiens existentiae alicujus rei; et ideo a priori ad posteriorem non licet concludere, ut quidam tacitè non rarò concludunt.

4° *Possibile internum determinari potest ex solo idearum nexu, possibile autem externum per comparisonem ad causam quæ illud producere valet.* Et ideo cum disputatur de possibilitate vel impossibilitate alicujus rei, multum attendere præstat ad naturam possibilitatis quæ in questionem adducitur.

§ III. — De fundamento possibilitatis.

33. *Status questionis.* Ex dictis, possibilitas externa fundatur in potentiâ alicujus agentis, ut omnes admittunt

philosophi. At non conveniunt in assignando possibilitatis internæ fundamento, et in triplicem opinionem abeunt. Alii putant rerum possibilitatem internam totam a Deo pendere, sive, ut vult Okam (in lib. I *Sent.* dist. 43, q. 2) pendeat ab ejus potentiâ, sive ut placet Cartesio, pendeat ab ejus voluntate (in resp. ad sextas objection. adv. Medit. n. 6). — Alii contra volunt possibilitatem internam omnino independentem esse a Deo; ita Wolfius, Genuensis et Storchenau. — Alii demum, mediam, cum D. Thomâ, sententiam amplexi, tenent internam possibilitatem *propriis* quidem et *necessariis* notis constare, sed tamen habere fundamentum suum *ultimum* in intellectu et essentiâ Dei.

34. PROP. 1^a: *Nec a potentiâ, nec a voluntate Dei pendet interna possibilitas.*

PROB. 1^a PARS. 1° Possibilitas interna, ex definitione, est absoluta rei que intrinseca, innixa nempe in solâ subjecti et attributi convenientiâ, vel discrepantiâ. Itaque nullam relationem præsefert ad potentiam agentis externi.

2° In opinione adversâ involvitur circulus. Nam Deus dicitur omnipotens, quia potest facere omnia possible; dicuntur autem possible quæ Deus potest facere.

PROB. 2^a PARS. 1° Interna rerum possibilitas nititur in earum essentiâ. Porrò essentia rerum exhibet aliquid absolutum necessariumque quod aliter sese habere nequit, ac proinde a nullâ pendet voluntate. — 2° Si voluntas Dei est sola ratio rerum omnium, nihil jam erit *in se impossibile*; v. g. poterit Deus facere hominem ratione carentem, vel circulum quadratum; nihil etiam erit *necessarium*; unde veritates mathematicæ vel metaphysicæ non minùs erunt contingentes quàm quælibet veritas physica, vel factum historicum. Quæ quàm absurda sint consecutaria, nemo est qui non videat.

35. PROP. 2^a: *Interna possibilitas proximè in intellectu, remotè in essentiâ Dei fundatur (1).*

Prob. 1^a pars. Vel enim interna possibilitas in se ipsâ habet

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 96, 102.

rationem sui sufficientem, vel in intellectu nostro, vel in intellectu divino. Atqui duo priora dici nequeunt.

Non 1^{um}; quia possibilitas præsefert meram aptitudinem ad existendum, ac proinde significat aliquid ideale, quod recipi debet in aliquo intellectu, tanquam in subjecto. — Insuper, in hypothesi de qua nunc, possibilitas interna vel essentia rerum jam nihil omnino a Deo acciperet, ei tota extrinseca foret, eumque *limitaret*, siquidem Ipse non amplius haberet rationem *veritatis fontalis*, a qua omnia procedunt vel sustentantur.

Non 2^{um}; quia essentia sive possibilitas interna rerum est prior intellectu nostro atque posset planè existere, licet iste non existeret. Imo etiam est mensura intellectus nostri, nedum ab eo mensuretur; v. g. possibilitas circuli nobis imponitur, quin de illà possimus aliter cogitare.

Ergo restat 3^{um}, scilicet quòd *possibilia quæ formaliter ac vi naturæ suæ non nisi ideali fruuntur existentia, eam habeant in intellectu divino necessario simul et æterno.*

Prob. 2^a pars, quia Dei intellectus, in quo proximè est possibilitas interna, necessario includit existentiam, nec reipsa differt a divinà essentia.

Confirmatur, quia *possibilia nihil aliud sunt nisi variæ res creabiles*. Porro variæ res creabiles nihil sunt nisi divina essentia, quatenus secundum varios innumerosque modos a variis creaturis participari potest. (— Cf. S. Th. 1^a, q. 13, a. 2; Leibnitz, *Princip. philos.*, § 43).

ARTICULUS III

De essentiâ et existentia (1).

Dicendum est 1^o de notione essentiæ et existentia; 2^o de cognitione essentialium; 3^o de illarum compositione; 4^o de illarum necessitate et immutabilitate; 5^o de distinctione essentiæ ab existentia.

(1) Cf. *Opusc. S. Thomæ, De Ente et essentiâ, c. 1.*

§ I. — De notione essentiæ et existentia.

36. Nomine essentiæ intelligitur *id quo res aliqua in sua specie collocatur, vel fusiùs id quod primo in re concipitur, quod est radix omnium ejus proprietatum, et quo ab omnibus aliis specificè secernitur*; e. g. in homine animalitas et rationalitas.

Quapropter essentia non de substantiis tantum prædicari potest, verum etiam de accidentibus, de omnibus nimirum quæ sunt, vel esse possunt. Nam de unaquaque re inquirere licet quid sit, quove ab aliis distinguatur.

Essentia dici etiam solet vel *natura*, vel *forma*, vel *quidditas* rei: *natura*, quia ab ipsâ enascuntur diversæ proprietates ac vires; *forma*, qui per formam res ad speciem suam determinatur: *quidditas* demum, quia per essentiam respondetur quæstioni quid res sit.

Existentia autem est *ipsa essentiæ actualitas*, seu *ultima rei actualitas in lineâ entis*.

§ II. — De cognitione essentialium (1).

37. *Errores*. Lockius docet originem idearum ex sensibus oriri, ideoque nihil existere in rebus præter phænomenorum vel proprietatum collectionem. Quia verò collectio ista est immensa, imò nunquam tota in actu, non potest non fugere nostram cognitionem. Quare latet nos essentia rerum *realis*, nec est cognita nisi essentia *nominalis* vel *rationalis*, vi cujus varias res variis nominibus designare et ad genera quædam revocare solemus.

Ita etiam sentiunt *positivistæ*, qui circa rerum essentialia ac prima principia profitentur, ut aiunt, *agnosticismum*.

38. *Assertio*: *Multarum rerum essentialiam realem sufficienter cognoscimus*.

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme, c. 5, p. 144-155.*

Probatur quia systema adversariorum 1° *adversatur sensui communi*; omnes enim homines entia alia ab aliis nōrunt discernere, et interrogati *quid res sit*, putant declarare naturam rei non *nominalem*, sed *realem*, quā scilicet res est id quod est et ab aliis distinguitur.

2° *Adversatur methodo scientificæ*. Nam scientifica methodus ea est, vi cuius ex phænomenis ad proprietates, ex proprietatibus autem seu potentiis ad naturam rei arguitur. Siquidem phænomena, cum incipere sibi invicem succedere conspiciantur, non habent in se rationem sufficientem sui, sed ab entis potentiis defluant oportet, quæ ipsæ in tali vel tali essentia recipi et radicem habere debent. Porro, ipsa vi experientiae intuemur diversorum entium diversa phænomena, ac vi ratiocinii inferimus diversam esse virtutem ac naturam earum rerum quæ diversos effectus gignant.

3° *Scientiæ omnis ruinam inducit*. Quippe scientia omnis non circa phænomena aut proprietates entium duntaxat, sed circa universalialia, circa principia et causas rerum, sive extrinsecas, sive intrinsecas occupatur. (Cf. *Logic.*, n° 11 et 335). — Imò verò, ne ipsa quidem *stabilitas legum*, ad quarum cognitionem immerito scientiam reducunt positivistæ, explicari potest, nisi præter phænomena et potentias, quæ perpetuo sunt in motu, admittatur in rebus elementum quoddam necessarium et immotum, quod essentiam vocamus.

Dixi 1° *multarum rerum*; quia libenter concedimus pluri-um rerum essentiam imperviam nobis esse, earum scilicet quarum proprietates constitutivas satis exploratas non habemus.

Dixi 2° *sufficienter sin perfectè*; quia fatemur phænomena et proprietates rerum a nobis perfectius apprehendi quàm essentiam, cum nobis *immediatè* occurrant, dum essentiam nonnisi *discursive* assequimur.

§ III. — De compositione essentiarum.

Cartesius, Malebranchius ac nonnulli eorum sectatores, opinati sunt essentiam rerum uno tantum elemento con-

stare, illudque in homine *cogitationem*, in corporibus *extensionem* esse.

39. Assertio : *Rerum creatarum essentia non est omnino simplex, sed composita ex pluribus principiis, necessario tamen nexu conjunctis.*

Probatur 1° *a priori*. Sapientia Dei exigit ut entia hujus mundi adspectabilis certo contineantur *ordine*; sed ordo exigit ut ea certis differentiis (*varietas*) discernantur, simul ac certo nexu inter se cohæreant (*unitas*). Ergo necesse est ut duplici constent elemento, altero *proprio*, vi cuius ab invicem discrepent, et *communi* altero, vi cuius alia cum aliis cohæreant.

2° *A posteriori*. Ipsa quippe experientia testatur mundum coalescere ex naturis *diversis* simul et *conjunctis*. Alia est sanè lapidis, alia plantæ, alia bruti, hominis atque angeli natura; nec tamen, ut aiebat Leibnitzius, *in naturâ saltum hiatusve invenias*. Nam homo habet intelligere cum angelis et sentire cum brutis; brutum verò sentire cum homine et vivere cum plantâ; planta autem vivere cum bruto et esse cum lapide. — Quæ quidem ita pro certis habentur, ut singulæ res creatæ definiri soleant ex *genere suo proximo* et *differentiâ specificâ* (1).

PROB. 2° *PARS*, quia principia ex quibus essentia rerum consistit, amplectuntur varias notas quibus res *est ipsa et non alia*, quibus nempe in propria specie collocatur. Porro evidens est hujusmodi notis nihil addi vel subtrahi posse, quin res speciem suam amittat. « Sicut enim substantia animalis *sensibilis tantum* est definitio animalis, cui si addas « et rationale, constituis speciem hominis; si autem subtrahas *sensibile*, constituis speciem plantæ. » (In VIII *Metaph.*, lect. 3).

Ex quo sequitur integram remanere essentiarum *unitatem* easque in *indivisibili*, ut scholastici dicunt, consistere.

(1) Angelis duplex inest compositio, altera essentiae et existentiae, altera autem essentiae, quæ genus et speciem præferat; genus angelorum in immaterialitate situm est, species verò in diverso perfectionis gradu.

§ IV. — De necessitate, æternitate et immutabilitate
essentiarum.

Essentiæ rerum spectari possunt vel in intellectu Dei, vel in seipsis, vel in hominis intellectu.

40. Assertio 1^a : *Essentiæ, prout sunt in intellectu Dei, dici debent æternæ, necessariæ et immutabiles.*

Enimverò, essentiæ rerum, prout in intellectu divino considerantur, ab intellectu et essentiâ Dei non distinguuntur realiter, sed nihil aliud sunt nisi divina essentia, quatenus secundum varios modos a variis creaturis participari potest.

41. Assertio 2^a : *Essentiæ, prout in rebus existunt, sunt contingentes quoad existentiam, sed necessariæ et immutabiles quoad principia ex quibus constituuntur.*

Prob. 1^a pars ex eo quòd essentiæ rerum, prout in individuis diversis existunt, a Deo conditæ sunt in tempore, sicut res ipsæ in quibus recipiuntur. Unde S. Thomas : « Ex hoc ipso quòd quidditati esse tribuitur, non solum esse, sed ipsa quidditas creari dicitur; quia antequam esse habeat, nihil est, ni fortè in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. » (*Qq. dispp.*, quæst. 3 de Pot., a. 3, ad 2). — Insuper, essentia rerum, prout rebus singularibus inest, desinit simul ac desinunt vel intereunt ipsæ res singulares.

Prob. 2^a pars, quia ex dictis (n. 39) essentia rerum non potest esse aliter atque est, utpote constat ex elementis necessariis, nullo pacto separabilibus. Unde potuisset quidem Deus res ipsas, v. g. homines non creare, at posito quòd creare voluerit, non potuit aliter ac sunt creare; v. g. non potuit creare homines nisi animâ et corpore præditos (1) (Supra, n. 39).

42. Prop. 3^a : *Essentiæ, prout in hominis intellectu considerantur, præditæ sunt necessitate ideali et æternitate negativâ.*

Probatur 1^a pars, quia intellectus noster, abstractionis ope, essentiam rerum a singularibus rebus colligit, eamque non jam spectat quatenus singularem aut in individuis existen-

(1) Cf. S. Thom., *Cont. Gent.*, l. II, c. 30, n. 4.

tem, sed quoad elementa ex quibus componitur. Porrò, ex dictis, essentiæ quoad elementa sua inspectæ, necessariæ sunt, quia non possunt aliis ac suis elementis constitui. — Si autem necessariæ, et æternæ; v. g. ab æterno verum est essentiam hominis animâ et corpore constare.

Prob. 2^a pars, scilicet hanc necessitatem esse merè idealem et hanc æternitatem merè negativam. Ratio est quia tota in intellectu consistit, qui enunciat solum necessariam elementorum rei convenientiam, quin ponat ipsam rem actu existere (Cf. *Anthrop.*, n. 187).

§ V. — De distinctione essentiæ ab existentia.

43. Status quæstionis. Non agitur hic de essentiâ abstractâ et merè possibili, at de essentiâ in rebus ipsis existente; nam evidens est essentiam merè possibilem realiter differre ab existentia. Quæritur autem utrùm essentia actualis realiter distinguatur ab existentia quæ illam actualat.

Porrò Scotus, Suarezius ac plures recentes volunt logicè solum essentiam ab existentia distingui, eo sensu quòd essentia sit una eademque res ac existentia, sub duplici tamen respectu considerata. — At S. Thomas (1) et prope omnes scholastici asserunt essentiam ab existentia reali distinctione secerni.

Hæc autem distinctio non eo sensu accipienda est, quòd essentia et existentia duæ sint realitates oppositæ, quæ in re coadunari debeant, ut res existens sit. At relatio inter essentiam et existentiam habenda est ut relatio inter *potentiam* et *actum*; siquidem essentia se habet ad existentiam ut potentia se habet ad actum; nam existentia est actus essendi essentiæ.

At licet actualis essentia realiter ab existentia differat, non inde sequitur eam ab illâ *separari* posse; nam existentia esse non valet, sublata essentiâ, in quâ velut in subjecto recipitur.

(1) *De Ente et essentiâ*, c. 5; *Cont. Gent.*, l. II, c. 52; 1^a, q. 3, a. 4, q. 54, a. 3; *Qq. dispp.*, q. 27, a. 1, ad 8.

44. Assertio : *Essentia, in rebus creatis, ab existentia realiter secernitur.*

1° Quidquid *adjicitur* alicui rei, eam non intrinsecè constituit. Porrò, in omni re creatà, existentia adjicitur essentiæ, quia essentia, etiam actualis, non existit ex sese, sed vi alicujus accepti ab extra, scilicet existentia, quæ ideo, ut ait D. Thomas, « non est de intellectu essentiæ, sed aliquid ad-
« veniens extra et faciens compositionem cum essentiâ. »
(*De ente et essentia*, c. 5).

2° Essentia et existentia notas habent diversas. Nam 1. essentia est unicuique rei *intrinseca*, et ex eâ prædicata essentialia oriuntur; v. g. Socratis essentia est causa ipsa formalis ac sufficiens quare ratione et corpore frui debeat. — 2. Concipitur veluti *subjectum* in quo recipitur existentia, et quod ab existentia ultimò completur in lineâ entis. — 3. Est quid per se *determinatum*, in tali vel tali genere entis. — 4. Tota simul possidetur a creaturâ *initio* suæ productionis.

Econtra, existentia est rei extrinseca, quatenus ab eâ non emergens. Hinc etiam non est causa sufficiens aut formalis unde rei attributa promanant; v. g. existentia Socratis non est ratio intrinseca et formalis ex quâ proprietates ipsius profluunt. — Insuper, recipitur in essentiâ velut in subjecto quod actualat; unde se habet ad essentiâ sicut actus ad potentiam. — Præterea, est per se indeterminata, nec determinatur nisi quia in determinato subjecto, vel essentiâ recipitur. — Demum est successiva et per totam entis durationem explicatur.

3° Negato reali discrimine essentiæ et existentia in rebus creatis, ipsæ jam a Deo non satis discriminarentur. Nam non nisi ad summam ipsius perfectionem pertinet, ut omnem compositionem excludat, sitque ejus essentia ratio sufficiens existentia. Imò verò Deus infinitè perfectus ex eo probatur, quòd idem sit in illo essentia et esse, ac sit *ipsum esse subsistens*; quia ens subsistens in nullâ naturâ tanquam in subjecto recipitur, ac proinde nullis coarctatur limitibus.

At contrâ, creaturæ non vi essentiæ suæ existunt, sed earum existentia in essentiâ tanquam in subjecto recipitur,

et ideo earum esse non est subsistens, sed receptum ac limitatum, pro capacitate subjecti vel naturæ in quâ recipitur. Atqui hæc jam dici non possent de rebus creatis, nisi essentia et existentia in ipsis realiter discriminarentur. — Quin etiam, ut argumentatur D. Thomas (1^a, q. 7, a. 3, ad 4), existentia quæ est idem ac essentia, est *improducta*. Nam essentia, quatenus essentia, sive spectetur in statu possibilitatis, sive in statu realitatis, non constituitur per aliquam causam *efficientem* sui productivam, sed per principia *intrinseca* ex quibus componitur: id suprâ probavimus. Ergo, si existentia in rebus creatis non realiter ab essentiâ distingueretur, deberet sicut ipsa essentia *per seipsam* in actu constitui, sine adminiculo causæ externæ efficientis.

45. *Quocirca magni momenti dicenda est distinctio inter essentiam et existentiam*; hanc itaque S. Thomas centies inculcat et plura exinde corollaria colligit circa existentiam, unitatem, infinitam perfectionem Dei, ejusque summum discrimen a rebus creatis, et ipsarum rerum scalam ordinatissimam. Duo ex his consecrariis impræsentiarum exponere juvat, ad mentem Doctoris Angelici.

1. Posito reali discrimine inter essentiam et existentiam in rebus, habetur luculenta probatio existentia Dei. Nam vel earum existentia ex essentiâ oritur, tanquam a causâ *efficienti*, vel ex principio *extrinseco*. Sed *prius* repugnat, « quia
« sic aliqua res esset causa sui ipsius, et aliqua res seipsam
« in esse produceret, quod est impossibile. Ergo oportet
« quòd omnis talis res, cujus esse est aliud a naturâ suâ,
« habeat esse ab alio. — Et quia omne quòd est *per aliud*
« reducitur ad id quod est *per se*, sicut ad causam primam,
« ideo oportet quòd sit aliqua res quæ sit causa essendi om-
« nibus rebus, eo quòd ipsa est *esse tantum*; aliàs iretur in
« infinitum in causis. » (*De Ente et essentia*, c. 5).

2. Hinc sequitur ordinatissima diversorum entium *scala*, pro majori vel minori cujusque *simplicitate* ac *puritate*. Enimvero Deus a cæteris rebus cunctis potissimum secernitur, quòd in ipso nulla vel minima quidem compositio invenitur, ne essentiæ quidem et existentia. — Angeli autem

sunt formæ sine materiâ; nec tamen absolutâ simplicitate fruuntur, nec sunt actus *puri*, sed habent permixtionem potentia, utpote qui essentia et existentia componuntur. Nam eorum essentia se habet ad existentiam ut potentia ad actum.

In homine duplex jam compositio invenitur, nempe essentia et existentia, materiæ et formæ. Forma tamen, scilicet anima, etsi corpori arctissime conjuncta, non pendet ab illo, et sine illo potest existere. — Infra humanam formam, sunt aliæ formæ plus de potentia habentes, et ita propinquæ materiæ, ut esse sine illâ non queant.

ARTICULUS IV

De finito, infinito et indefinito.

46. Prænotanda circa perfectum et imperfectum.

Perfectum, ut clarè dicit D. Thomas, « est illud cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis » (1^a, q. 3, a. 3, c); quod nimirum habet integra naturæ suæ principia, integras potentias, easque ad attingendum finem suum parès.

Porro perfectum aliud est *relativum*, aliud *absolutum*. Prius illud est quod *habet omnia attributa quæ sibi secundum suam naturam conveniunt*; v. g. homo est relativè perfectus, seu in specie humanâ, si, ut veteres dicebant, habeat « mentem sanam in corpore sano ». Perfectum verò absolutum dicimus cui *omnes possibles insunt perfectiones, sine ullo limite*.

Quæ carent aliquâ ex perfectionibus naturæ suæ consentaneis propriè dicuntur *imperfecta* seu *mala*; v. g. homo cæcus vel virtute destitutus.

His monitis, agendum nobis est 1^o de naturâ, 2^o de origine finiti, infiniti et indefiniti.

§ I. — De naturâ finiti, infiniti et indefiniti.

47. Finitum vocatur *quod finem sive limites habet*. — Quare notio finiti, partim *positiva*, et partim *negativa* dicenda est; positiva, quatenus ens aliquod repræsentat; negativa autem, quatenus termino illud circumscribit.

48. Infinitum contrâ denotat aliquid *quod sine seu termino caret*.

Porro distingui solet in *absolutum* et *relativum*. Infinitum absolutum seu propriè dictum, *illud est quod omnibus perfectionibus perfectissimo gradu pollet*. Infinitum relativum est illud quod *supponitur infinitum in aliquo tantum ordine determinato*; v. g. si cogites lineam infinitam longitudine, vel potentiam quamdam infinitam virtute. — In præsentia non nisi de infinito absoluto sermo nobis est.

Quòd si attendatur ad *rem* notione infiniti exhibitam, maximè positiva est, siquidem repræsentat ens nullis limitibus circumscriptum. Si autem attendatur ad *vocem* ipsam, patet eam esse negativam; nam idem sonat ac *non finitum*.

Demum, si agatur de *modo* quo infinitum dignoscimus, dicendum est illud a nobis apprehendi notione *positivo* — *negativo*; positivâ scilicet quoad *id* quod intelligitur, negativâ autem quoad *modum* quo intelligitur a nobis, quoniam apprehendimus infinitum negatione limitum qui finito insunt.

49. *Indefinitum* medium tenet inter finitum et infinitum; est enim utriusque particeps. Porro idem sibi vult ac *non definitum*; est autem reipsa finitum, sed ejus limites perspecti aut determinati non sunt, ac potest a nobis vel augeri, vel imminui. Unde non existit nisi in nostro intellectu, cum non percipimus limites alicujus rei, aliunde finitæ.

§ II. — De origine notionis et existentia finiti et infiniti (1).

50. **Assertio 1^a** : *Ex existentia et notione finiti ad notionem et existentiam infiniti assurgere licet*.

Probatur contra Cartesium et quosdam ejus sectatores, qui quum id negavissent, ideam infiniti animo nostro innatam esse voluerunt.

PROB. 1^a PARS, *quod attinet ad notionem infiniti*.

Ex notione aliquâ ad aliam ascendere licet, si cum eâ colligetur, et ad eam manudecat. Sed talis est notio finiti rela-

(1) S. Th., 1^a, q. 88, a. 3; Balmès, *Philos. fundam.*, t. 3, l. 8, c. 6-8.

sunt formæ sine materiâ; nec tamen absolutâ simplicitate fruuntur, nec sunt actus *puri*, sed habent permixtionem potentia, utpote qui essentia et existentia componuntur. Nam eorum essentia se habet ad existentiam ut potentia ad actum.

In homine duplex jam compositio invenitur, nempe essentia et existentia, materiæ et formæ. Forma tamen, scilicet anima, etsi corpori arctissime conjuncta, non pendet ab illo, et sine illo potest existere. — Infra humanam formam, sunt aliæ formæ plus de potentia habentes, et ita propinquæ materiæ, ut esse sine illâ non queant.

ARTICULUS IV

De finito, infinito et indefinito.

46. *Prænotanda circa perfectum et imperfectum.*

Perfectum, ut clarè dicit D. Thomas, « est illud cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis » (1^a, q. 3, a. 3, c); quod nimirum habet integra naturæ suæ principia, integras potentias, easque ad attingendum finem suum parès.

Porrò perfectum aliud est *relativum*, aliud *absolutum*. Prius illud est quod *habet omnia attributa quæ sibi secundum suam naturam conveniunt*; v. g. homo est relativè perfectus, seu in specie humanâ, si, ut veteres dicebant, habeat « mentem sanam in corpore sano ». Perfectum verò absolutum dicimus cui *omnes possibles insunt perfectiones, sine ullo limite*.

Quæ carent aliquâ ex perfectionibus naturæ suæ consentaneis propriè dicuntur *imperfecta* seu *mala*; v. g. homo cæcus vel virtute destitutus.

His monitis, agendum nobis est 1^o de naturâ, 2^o de origine finiti, infiniti et indefiniti.

§ I. — De naturâ finiti, infiniti et indefiniti.

47. Finitum vocatur *quod finem sive limites habet*. — Quare notio finiti, partim *positiva*, et partim *negativa* dicenda est; positiva, quatenus ens aliquod repræsentat; negativa autem, quatenus termino illud circumscribit.

48. Infinitum contrâ denotat aliquid *quod sine seu termino caret*.

Porrò distingui solet in *absolutum* et *relativum*. Infinitum absolutum seu propriè dictum, *illud est quod omnibus perfectionibus perfectissimo gradu pollet*. Infinitum relativum est illud quod *supponitur infinitum in aliquo tantum ordine determinato*; v. g. si cogites lineam infinitam longitudine, vel potentiam quamdam infinitam virtute. — In præsentia non nisi de infinito absoluto sermo nobis est.

Quòd si attendatur ad *rem* notione infiniti exhibitam, maximè positiva est, siquidem repræsentat ens nullis limitibus circumscriptum. Si autem attendatur ad *vocem* ipsam, patet eam esse negativam; nam idem sonat ac *non finitum*.

Demum, si agatur de *modo* quo infinitum dignoscimus, dicendum est illud a nobis apprehendi notione *positivo* — *negativo*; positivâ scilicet quoad id quod intelligitur, negativâ autem quoad *modum* quo intelligitur a nobis, quoniam apprehendimus infinitum negatione limitum qui finito insunt.

49. *Indefinitum* medium tenet inter finitum et infinitum; est enim utriusque particeps. Porrò idem sibi vult ac *non definitum*; est autem reipsa finitum, sed ejus limites perspecti aut determinati non sunt, ac potest a nobis vel augeri, vel imminui. Unde non existit nisi in nostro intellectu, cum non percipimus limites alicujus rei, aliunde finitæ.

§ II. — De origine notionis et existentia finiti et infiniti (1).

50. *Assertio 1^a*: *Ex existentia et notione finiti ad notionem et existentiam infiniti assurgere licet*.

Probatur contra Cartesium et quosdam ejus sectatores, qui quum id negavissent, ideam infiniti animo nostro innatam esse voluerunt.

PROB. 1^a PARS, *quod attinet ad notionem infiniti*.

Ex notione aliquâ ad aliam ascendere licet, si cum eâ colligetur, et ad eam manudecat. Sed talis est notio finiti rela-

(1) S. Th., 1^a, q. 88, a. 3; Balmès, *Philos. fundam.*, t. 3, l. 8, c. 6-8.

tivè ad infiniti notionem. Enimvero idea infiniti, qualis nobis inest, tres *generales* conceptus præ se fert: 1^o conceptum realitatis cujusdam in genere; 2^o conceptum limitis in genere; 3^o conceptum negationis limitis in genere. Porrò tres istos conceptus ex rebus finitis haurire nobis licet.

Nam 1. omne ens nobis exhibet certam realitatem, quia præsefert aliquid positivi. — 2. Cùm varia entia mundana inspicimus atque *comparamus*, alia majora et perfectiora, alia autem minora et imperfectiora nobis apparent; v. g., homo perfectior quàm animal apparet, animal perfectius quàm planta, planta perfectior quàm mineralia. Hinc manifestum est ideam limitis *particularis* ex observatione ipsà rerum colligi posse; siquidem limitantur animalia relativè ad hominem, mineralia relativè ad plantas, et plantæ relativè ad animalia. — 3. Ex his etiam comparare possumus ideam negationis illius limitis; nam de homine negamus limitem quem de animalibus affirmamus, scilicet rationis defectum; de animalibus negamus limitem quem plantis tribuimus, scilicet defectum sensûs, et sic de vegetalibus relativè ad mineralia. — Quia autem intellectus noster abstrahendi virtute pollet, potest qualitatem quamdam particularem a se apprehensam, ex conditionibus individuandis separare, ut illam in se et in universum consideret. Ergo potest quoque concipere 1. realitatem aliquam in genere, 2. limitem etiam in genere, et 3. limitis hujus negationem in genere. Itaque licet jam tres eos *generales* conceptus conjungere et de ente aliquo limitem omnem remove, et ita formare ideam entis alicujus illimitati, proinque infiniti.

Quinimo ipsa *invitat* nos *experientia* ad illam limitum *omnium* remotionem. Licet enim in mundo inspicere entia quædam minima, alia verò majora, alia demum maxima. E. g. oceani ac celi spatia immensa, cum minimo ente comparata, animo exhibent aliquid summum et relativè infinitum. Quo spectaculo, et ipso intellectûs nostri *spontaneo* impulsu incitatur ad suspicandum et quærendum semper aliquid majus his quæ præ oculis habemus, scilicet et ad *removendum* ex his quæcumque imperfecta videntur, et ad

amplificandum quæ videntur esse perfectissima. Et ita fit ut impellamur ad suspicandam et cogitandam *possibilitatem* entis alicujus perfectissimi et simpliciter infiniti.

PROB. 2^a PARS, *scilicet existentiam infiniti ex rebus finitis colligi posse.*

Prope nos videmus res mundanas nasci et interire, ipsique vitæ nostræ cognoscimus initium. — Videmus etiam entia alia ab aliis ducere nativitatem; unde facili negotio concipere nobis licet necessariam entis infiniti existentiam. Quod enim initium habet, ab alio habeat necesse est; aliud autem ab alio sibi priore, donec demum deveniamus ad ens aliquod primum, absolutè necessarium et a seipso existens. Porrò in Theologiâ naturali declarabitur ex ideâ entis primi, necessarij et a seipso existentis jure merito inferri ejus infinitatem.

51. *Corollarium.* Ex quibus patet ideam infiniti comparari a nobis, *non per continuam finiti ad finitum additionem*, ut placuit Lockio, sed *ex absolutâ limitum omnium remotione*. Sanè, ex additione continuâ finiti ad finitum adquiri potest notio indefiniti, non autem infiniti; siquidem finitum finito additum in naturam infiniti absoluti transire haud valet. — Verùm si a finito limites *omnes* per abstractionem removeantur, jam habetur idea entis nullis finibus circumscripti, et absolutè infiniti.

52. — *Objicitur* notionem finiti fundamentum habere in præviâ infiniti notionem, nec posse nisi per eam nobis innotescere.

Sed objectio ista vana est. Nam ex dictis, finiti notio, duo tantum includit, scilicet realitatem quamdam, et limites huic realitati affixos. Porrò sub neutro respectu, notio finiti in infiniti præviâ notionem fundatur. Nam quatenus positiva, menti exhibet ens quoddam determinatum, quod sanè cognosci potest in seipso, nullâ præviâ ratione habitâ infiniti. — Quatenus autem negativa, importat quidem limites, nec tamen inducit comparisonem cum infinito. Nam ex dictis, nobis licet ideam limitis acquirere ex ipsâ comparatione rerum mundanarum uti nobis occurrunt. Quæ enim minores

sunt, limitatæ nobis apparent, si cum majoribus conferantur, quin necesse sit eas comparare cum infinito.

53. Assertio 2^o: *Ex existentia et notione finiti ad notionem et existentiam infiniti assurgimus reipsa.*

Probatur contra Cartesium et recentes quosdam, qui arbitrati sunt notionem infiniti esse priorem, etiam quoad nos, finiti notione.

1^o *Ratione.* Id prius a nobis cognosci debet, a quo nostra cognitio exordium ducit, quodque proprium ac directum est objectum intellectus nostri. Sed cognitio nostra exordium ducit a rebus finitis, quia incipit a sensu, ut intellectu perficiatur; objectum autem directum ac proprium intellectus nostri est natura rerum materialium, ut probavimus in Anthropologia (n. 86) (1).

2^o *Experientia.* Nam ipso infiniti nomine commonstratur nos ad infiniti notionem pervenire ope finiti, nimirum negatione limitum qui insunt finito, sicut *immateriale* cognoscimus negatione partium quæ materiæ insunt, et *æternum* negatione initii et finis quibus res temporales constringuntur. — Porro, ut sapienter notat D. Thomas, ex modo quo res nominamus, declaratur modus quo illas cognoscimus.

Confirmatur, quia notio nostra de infinito, licet distincta (quippe ipsum ab omnibus aliis facile secernimus), tamen minus est clara et completa quam notio nostra de finito. Porro hinc probatur ideam nostram de infinito esse *indirectam et deductam*, scilicet a nobis acquiri per viam ratiocinationis et remotionis, ex consideratione rerum finitarum. Finitum enim non nisi imperfectam notionem infiniti ingenere potest.

(1) Appositè D. Thomas : « Deus non est primum quod a nobis cognoscitur, sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus, secundum illud Apostoli : *Invisibilia ipsius a creaturâ mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Primum autem quod intelligitur a nobis, secundum statum præsentis vitæ, est quidditas rei materialis, quæ est nostri intellectus objectum. » (1. q. 88, a. 3, c).

ONTOLOGIÆ SECUNDA PARS

DE

PROPRIETATIBUS ENTIS

TRANSCENDENTALIBUS

54. Objectum hujusce partis. Proprietates transcendentales eæ sunt quæ omni enti conveniunt et designant conceptum non designatum per solam entis rationem.

Porro istæ proprietates tres numero propriè distinguuntur, scilicet *unitas, veritas et bonitas.* Ens enim considerari potest vel prout est *in seipso*, vel prout ad aliud refertur. Si prius, habetur unitas quæ convenit enti absolutè sumpto; si posterius, vel ens consideratur quatenus refertur ad intellectum, vel quatenus ad appetitum; in 1^o casu veritas, in 2^o bonitas enascitur.

Atqui transcendentalia proximè sequitur *pulchritudo*; hæc enim, tametsi ab aliquo ente per accidens abesse possit, nihilominus cuivis enti a naturâ ipsâ solet inesse; unde latiori sensu inter transcendentalia recensetur. De illâ igitur etiam dicendum est.

CAPUT I DE UNITATE

Ut conceptus unitatis illustrior evadat, dicendum est 1^o de unitate propriè sumptâ; 2^o de identitate; 3^o de similitudine;

sunt, limitatæ nobis apparent, si cum majoribus conferantur, quin necesse sit eas comparare cum infinito.

53. Assertio 2^o: *Ex existentia et notione finiti ad notionem et existentiam infiniti assurgimus reipsa.*

Probatur contra Cartesium et recentes quosdam, qui arbitrati sunt notionem infiniti esse priorem, etiam quoad nos, finiti notione.

1^o *Ratione.* Id prius a nobis cognosci debet, a quo nostra cognitio exordium ducit, quodque proprium ac directum est objectum intellectus nostri. Sed cognitio nostra exordium ducit a rebus finitis, quia incipit a sensu, ut intellectu perficiatur; objectum autem directum ac proprium intellectus nostri est natura rerum materialium, ut probavimus in Anthropologia (n. 86) (1).

2^o *Experientia.* Nam ipso infiniti nomine commonstratur nos ad infiniti notionem pervenire ope finiti, nimirum negatione limitum qui insunt finito, sicut *immateriale* cognoscimus negatione partium quæ materiæ insunt, et *æternum* negatione initii et finis quibus res temporales constringuntur. — Porro, ut sapienter notat D. Thomas, ex modo quo res nominamus, declaratur modus quo illas cognoscimus.

Confirmatur, quia notio nostra de infinito, licet distincta (quippe ipsum ab omnibus aliis facile secernimus), tamen minus est clara et completa quam notio nostra de finito. Porro hinc probatur ideam nostram de infinito esse *indirectam et deductam*, scilicet a nobis acquiri per viam ratiocinationis et remotionis, ex consideratione rerum finitarum. Finitum enim non nisi imperfectam notionem infiniti ingenere potest.

(1) Appositè D. Thomas : « Deus non est primum quod a nobis cognoscitur, sed magis per creaturas in Dei cognitionem pervenimus, secundum illud Apostoli : *Invisibilia ipsius a creaturâ mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Primum autem quod intelligitur a nobis, secundum statum præsentis vitæ, est quidditas rei materialis, quæ est nostri intellectus objectum. » (1. q. 88, a. 3, c).

ONTOLOGIÆ SECUNDA PARS

DE

PROPRIETATIBUS ENTIS

TRANSCENDENTALIBUS

54. Objectum hujusce partis. Proprietates transcendentales eæ sunt quæ omni enti conveniunt et designant conceptum non designatum per solam entis rationem.

Porro istæ proprietates tres numero propriè distinguuntur, scilicet *unitas, veritas et bonitas.* Ens enim considerari potest vel prout est *in seipso*, vel prout ad aliud refertur. Si prius, habetur unitas quæ convenit enti absolutè sumpto; si posterius, vel ens consideratur quatenus refertur ad intellectum, vel quatenus ad appetitum; in 1^o casu veritas, in 2^o bonitas enascitur.

Atqui transcendentalia proximè sequitur *pulchritudo*; hæc enim, tametsi ab aliquo ente per accidens abesse possit, nihilominus cuivis enti a naturâ ipsâ solet inesse; unde latiori sensu inter transcendentalia recensetur. De illâ igitur etiam dicendum est.

CAPUT I DE UNITATE

Ut conceptus unitatis illustrior evadat, dicendum est 1^o de unitate propriè sumptâ; 2^o de identitate; 3^o de similitudine;

et 4^o de distinctione, quæ opponitur unitati, sicut identitas et similitudo eam sequuntur.

ARTICULUS I

De unitate propriè sumptâ (1).

Dicemus 1^o de illius notione ac speciebus; 2^o de illius existentia in quolibet ente.

§ I. — De notione et speciebus unitatis.

55. Unum dicitur quod est in se indistinctum seu indivisum; v. g. domus aliqua dicitur una, quia partes illius, quam plures ac diversæ, in totum quiddam unum conjunctim conspirant. — Unum, si abstractè sumatur, idem est ac unitas, quæ jure definitur *entis indivisio*.

Conceptus unitatis, nisi maturius inspicias, videtur aliquid merè *negativum* designare; siquidem negationem divisionis directè importat. Attamen significat aliquid reipsa *positivum*; etsi enim enti non addat nisi negationem divisionis, tamen illa negatio magnam præsefert perfectionem, quia vel entis simplicitatem, vel, si fuerit compositum, connexionem partium aut attributorum ejus declarat.

56. Unitas quadrifariam dividitur, nimirum: 1^o in unitatem transcendentalem et numericam; 2^o in unitatem simplicitatis et compositionis; 3^o in unitatem per se et per accidens; 4^o in unitatem genericam et specificam.

1^o Unitas *transcendentalis*, de quâ hactenus diximus, ea est quæ refertur ad ens *in seipso* inspectum, et ejus indivisionem significat. Unitas autem *numerica* ea est quæ convenit enti, quatenus est principium *numeri*, et generat quantitatem aut continuam, aut discretam. Atqui alteram ab alterâ distingui ex eo patet quòd unitas transcendentalis nullam enti realitatem addit, dum unitas numerica enti

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 1^{re} part., c. 51 et 3.

addit aliquid quod ad genus *quantitatis* pertinet. (Cf. S. Th. 1^a, q. 11, a. 1, ad 1).

2^o Unitas *simplicitatis* seu *indivisibilitatis* propria est rerum *simplicium*, quæ, quia partibus carent, non tantum actu sunt indivisæ, sed ne dividi quidem possunt. — Unitas *compositionis*, ut ipsum nomen innuit, est propria corporum, quæ quum partibus consistant, licet actu indivisa, tamen habent cur dividi queant.

3^o Unitas *per se* sive *naturalis* competit substantiis sive simplicibus, sive compositis, quarum elementa ad invicem *naturâ* ipsâ ordinata sunt ut sese *intrinsecus* compleant, conspirentque ad *unum esse substantiale constituendum*. Hujusmodi est homo, utpote qui constat ex animâ et corpore, ceu principiis substantialibus incompletis, ex quorum naturali conjunctione unum esse substantiale completum exsurgit. — Contrâ, unitas *per accidens*, sive *acervationis* aut etiam *artificialis*, viget inter plura entia *completa*, quæ ad invicem naturâ ordinata non sunt, et in quorum conjunctione multiplex substantia invenitur, proprium *esse* et *operari* habens; qualis est unitas exercitûs, vel acervi lapidum.

4^o Denique unitas *generica* inest entibus genere conjunctis, v. g. variis animalibus; unitas verò *specificâ* inest entibus specie similibus, v. g. variis hominibus.

§ II. — De existentia unitatis in quolibet ente.

57. Unitatem omnibus rebus convenire, ac proinde proprietatem transcendentalem esse luculenter probat D. Thomas: « Omne ens aut est simplex, aut compositum; quod autem est simplex, est indivisum et actu et potentiâ. Quod autem est compositum, non habet esse quamdiu partes ejus sunt divisæ, sed postquam constituunt et componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quòd esse cujuslibet rei consistit in indivisione. Et inde est quòd *unum* quodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem. » (1^a, q. 11, a. 1, c).

58. Corollarium. *Multitudo supponit unitatem et in ed*

fundatur. « Ipsa multitudo, præclarè ait D. Thomas, non « contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub « uno. Dicit enim Dionysius quòd non est multitudo non « participans uno, sed quæ sunt multa *partibus*, sunt unum « *toto*; et quæ sunt multa *accidentibus*, sunt unum *subjecto*; « et quæ sunt multa *numero*, sunt unum *specie*; et quæ sunt « *speciebus* multa, sunt unum *genere*; et quæ sunt multa « *processibus*, sunt unum *principio*. » (*Ibid.*, a. 3, ad 4).

ALERE FLAMMAM
VERITATIS
ARTICULUS II

De identitatis notione ac speciebus.

59. Identitas, quoad nomen idem sibi vult ac eadem entitas.

Quoad rem, propriè definiri potest *convenientia rei cum seipsa*; v. g. Socrates est idem sibi.

60. Si latiùs accipiatur identitas, *multiplex* jam distingui potest, prout res aliqua consideratur in se et absolutè, vel refertur ad alia. Hinc divisio identitatis in *absolutam* et *relativam*.

1^o Prior esse potest *metaphysica*, *physica* et *moralis*. — Identitas metaphysica aut *perfecta* ea est vi cuius ens ali- quod *nullam* prorsus *mutationem* patitur; quam proinde nonnisi in Deo reperias. — Identitas physica in ente illo invenitur, quod, mutatis licèt *accidentibus*, eandem suam *substantialem* realitatem jugiter servat; talis est Angeli vel animæ humanæ identitas.

Demum identitas moralis, si tamen *strictiùs* accipiatur, ea est vi cuius ens quoddam *compositum* alteram sui partem *internam* retinet, alterà partè *immutatà*: v. g. in animali, animà eadem physicè remanente, corporis partes mutantur, quin ipsum identitatem suam *moralem* amittat; quia partes quæ sensim accedunt, unius ejusdemque formæ accipiunt impressionem, suum esse, vires ac proprietates.

Latiore autem sensu, in existimatione hominum, moraliter identicum habetur aliquod ens, si *exteriùs* idem appa-

reat, quanquam nihil sui servaverit: talis est identitas *societatis* cujus singula membra sensim mutantur, vel undarum fluyii currentis.

2^o Identitas *relativa*, scilicet alicujus entis per ordinem ad alia, *generica*, vel *specificà* distinguitur, prout duo vel plura entia genere vel specie conveniunt.

ARTICULUS III

De similitudine et differentiâ.

61. *Similitudo* viget inter res quæ *communem* habent *quandam* qualitatem seu *codem*, seu *diverso gradu*; v. g. duo corpora alba similia dicuntur; quæ verò qualitate discrepant, dicuntur *dissimilia*. — *Æqualia* propriè nuncupantur quæ vel *quantitate*, vel saltem *perfectione* conveniunt; v. g. duo corpora ejusdem ponderis.

62. *Differentia* in eo est quòd *plura entia attributum quoddam* *essentiale commune*, sed *aliter determinatum* habeant; v. g. homo et leo animalitatis proprietates ambo habent; nihilominus in homine, hæc rationabilitate, in leone autem irrationabilitate determinatur.

Diversitas latiùs extenditur, et iis entibus convenit quorum alia omnino est essentia; v. g. homo et lapis.

Oppositio demum latiùs patet quàm *diversitas*, siquidem viget inter ea quæ secum pugnant; ut bonum et malum.

Porro quaeritur utrum existere possint in mundo duo entia perfectè similia, et an forte existant.

63. *Non repugnat* duo entia *perfectè similia* existere.

Probatur quia conceptus vel existentia duorum entium perfectè similibus nihil omnino præesert absurdi. — Nec dicatur cum Leibnitio ea carere ratione sufficienti, et ab invicem secerni non posse. Etenim existentia duorum similibus potest conferre ad ordinem mundi, cum cætera entia supponantur dissimilia. — Ab invicem autem secerni possunt facili negotio, cum non sint identica, ut vult Leibnitius, sed tantum similia. Quanquam enim eorum similes sint

omnino qualitates, tamen eadem non est substantia nec idem numero subjectum.

64. *Nescimus an revera existant duo perfectè similia; quippe qui nec omnia et singula mundi entia novimus, nec an quædam fortè similes omnes ac simili gradu qualitates habeant, possumus intueri.*

ARTICULUS IV

De notione distinctionis ejusque variis speciebus.

65. Identitati adversatur *distinctio*; distincta porrò nominantur *quorum unum non est aliud*.

Distinctio triplicis est generis, scilicet *realis, logica et virtualis*. Enimvero vel distinctio existit in rebus ipsis, independenter a consideratione intellectûs, vel in intellectu duntaxat, vel partim in rebus, partim in intellectu: 1^a realis, 2^a logica, 3^a virtualis appellatur.

1^o Distinctio realis, in universum inspecta, *existit inter res plures quarum una non est alia, quanquam non exigit eas esse separatas, vel separabiles*.

Hæc verò vel est *substantialis, vel accidentalis, vel modalis*; prima existit inter duas substantias, v. g., inter arborem et lapidem; vel inter duo principia unius substantiæ completæ; v. g., inter animam et corpus.

Secunda existit inter substantiam et aliquod ex illius accidentibus, v. g., inter Petrum et ejus scientiam, vel inter ipsa ejus accidentia, v. g., inter scientiam et virtutem Petri.

Tertia viget inter *rem et modum* ejus; v. g., inter motum et ejus celeritatem.

Prima dicitur *realis major*, tertia autem, ut secunda, vocatur *realis minor*.

2^o *Distinctio logica vocatur etiam rationis ratiocinantis*, quia *alibi non est nisi in intellectu ratiocinantis*; talis distinctio existit inter hominem et animal rationale. Quare objec-

tum unum idemque reipsa exhibet, sub duplici tamen ideâ, alterâ quidem confusâ, alterâ verò magis distinctâ.

3^o *Distinctio virtualis* ea est *quæ repræsentat rem aliquam unam actu, at multiplicem potentiâ*; v. g., anima humana una est actu, sed tamen triplici animæ æquivalet, nempe rationali, sensitivæ et vegetativæ. — Distinctio ista vocatur quoque *rationis ratiocinatæ*, quia ratio fundamentum ejus invenit in re ipsâ circa quam ratiocinatur. — Nihilominus propiùs ad logicam, quàm ad realem distinctionem accedit.

CAPUT II

DE VERO ET FALSO

Quum falsitas opponatur veritati ac per eam a nobis dignoscatur, de veritate et falsitate agendum est.

ARTICULUS I

De veritate (1).

66. *Status quæstionis*. Jam in Logica (n. 17, 18), de veritatis notione variisque speciebus disputavimus; sed tum præcipuè diximus de veritate, quatenus in *subjecto* cognoscenti invenitur, scilicet de veritate *cognitionis*, et secundiò tantùm de veritate, quatenus rebus ipsis inest, scilicet de veritate *objectivè* inspectâ, quæ *metaphysica, ontologica, vel etiam transcendentalis* appellatur.

Porrò Ontologiæ est de veritate transcendentali sermonem habere, quia sub eo respectu proprietas est omnis entis. Hoc autem ut accuratè præstetur, inquirenda sunt tria: 1^o ejus fundamentum; 2^o essentia, et 3^o immutabilitas.

(1) Cf. S. Th., 1^a, q. 16; Qq. disp. de Verit., q. 1, a. 1, q. XXI, a. 1.

omnino qualitates, tamen eadem non est substantia nec idem numero subjectum.

64. *Nescimus an revera existant duo perfectè similia; quippe qui nec omnia et singula mundi entia novimus, nec an quædam fortè similes omnes ac simili gradu qualitates habeant, possumus intueri.*

ARTICULUS IV

De notione distinctionis ejusque variis speciebus.

65. Identitati adversatur *distinctio*; distincta porrò nominantur *quorum unum non est aliud*.

Distinctio triplicis est generis, scilicet *realis, logica et virtualis*. Enimvero vel distinctio existit in rebus ipsis, independenter a consideratione intellectûs, vel in intellectu duntaxat, vel partim in rebus, partim in intellectu: 1^a realis, 2^a logica, 3^a virtualis appellatur.

1^o Distinctio realis, in universum inspecta, *existit inter res plures quarum una non est alia, quanquam non exigit eas esse separatas, vel separabiles*.

Hæc verò vel est *substantialis, vel accidentalis, vel modalis*; prima existit inter duas substantias, v. g., inter arborem et lapidem; vel inter duo principia unius substantiæ completæ; v. g., inter animam et corpus.

Secunda existit inter substantiam et aliquod ex illius accidentibus, v. g., inter Petrum et ejus scientiam, vel inter ipsa ejus accidentia, v. g., inter scientiam et virtutem Petri.

Tertia viget inter *rem et modum* ejus; v. g., inter motum et ejus celeritatem.

Prima dicitur *realis major*, tertia autem, ut secunda, vocatur *realis minor*.

2^o *Distinctio logica vocatur etiam rationis ratiocinantis*, quia *alibi non est nisi in intellectu ratiocinantis*; talis distinctio existit inter hominem et animal rationale. Quare objec-

tum unum idemque reipsa exhibet, sub duplici tamen ideâ, alterâ quidem confusâ, alterâ verò magis distinctâ.

3^o *Distinctio virtualis* ea est *quæ repræsentat rem aliquam unam actu, at multiplicem potentiâ*; v. g., anima humana una est actu, sed tamen triplici animæ æquivalet, nempe rationali, sensitivæ et vegetativæ. — Distinctio ista vocatur quoque *rationis ratiocinatæ*, quia ratio fundamentum ejus invenit in re ipsâ circa quam ratiocinatur. — Nihilominus propiùs ad logicam, quàm ad realem distinctionem accedit.

CAPUT II

DE VERO ET FALSO

Quum falsitas opponatur veritati ac per eam a nobis dignoscatur, de veritate et falsitate agendum est.

ARTICULUS I

De veritate (1).

66. *Status quæstionis*. Jam in Logica (n. 17, 18), de veritatis notione variisque speciebus disputavimus; sed tum præcipuè diximus de veritate, quatenus in *subjecto* cognoscenti invenitur, scilicet de veritate *cognitionis*, et secundiò tantùm de veritate, quatenus rebus ipsis inest, scilicet de veritate *objectivè* inspectâ, quæ *metaphysica, ontologica, vel etiam transcendentalis* appellatur.

Porrò Ontologiæ est de veritate transcendentali sermonem habere, quia sub eo respectu proprietas est omnis entis. Hoc autem ut accuratè præstetur, inquirenda sunt tria: 1^o ejus fundamentum; 2^o essentia, et 3^o immutabilitas.

(1) Cf. S. Th., 1^a, q. 16; Qq. disp. de Verit., q. 1, a. 1, q. XXI, a. 1.

§ I. — De veritatis transcendentalis fundamento.

67. **Assertio** : *Veritatis transcendentalis fundamentum est ipsa rerum entitas.*

Probatur quia in tantum aliquid est verum, in quantum est cognoscibile; quippe verum ordinem dicit ad cognitionem. Porro, ut ait S. Thomas, « unumquodque in quantum habet de esse, in tantum est cognoscibile. » (1^a, q. 16. a. 3, c. et ad 1). Ergo entitas rerum est *ratio ipsa veritatis earum*, ac proinde, ut ait D. Thomas « verum *convertitur* cum ente secundum *substantiam* ». Quo sensu D. Augustinus : « *Verum est id quod est.* » (Sobiloq., c. 2, n. 8).

68. **Corollarium**. Hinc sequitur omne ens esse verum; si quid omne ens, eo ipso quod est aliquid, est etiam *intelligibile*.

§ II. — De veritatis transcendentalis essentiâ.

69. **Assertio 1^a** : *Essentia veri transcendentalis consistit in entitate rerum, non absolutè sumptâ, sed ad intellectum relatâ.*

Probatur contra Wolfium. 1^o Si veritas in ipsâ rerum entitate sita est, nihil jam addit enti; si autem nihil addit enti, vocabulum veritas proprio sensu caret, quippe nihil significat quod non sit jam significatum vocabulo *ens*. Sed omnes homines vocabulo *veritas* quid *proprium et positivum* designare intendunt.

2^o Et verò, ens in seipso inspectum nihil dicit nisi ens. Ergo *formaliter* veri non obtinet nisi ex ordine quem habet ad aliud cui veritas insit *primariò*. Sed, ut clariùs declarabitur in thesi sequenti, illud aliud cui veritas *primariò* et *formaliter* inest, ipse est intellectus. Nam *veritas* propriè significat *intelligibilitatem*. Porro *intelligibilitas*, ut ex terminis patet, est ordo rei ad intellectum *intelligentem*.

70. **Assertio 2^a** : *Res sunt veræ primariò et per se ex ordine suo ad intellectum Dei, secundariò et per accidens ex ordine suo ad intellectum hominis.*

PROB. 1^a PARS. Ex probatis, res dicuntur veræ formaliter ex ordine suo ad intellectum. Ergo *primariò* et per se dicendæ sunt veræ ex ordine suo ad intellectum a quo pendent secundum suum *esse*, et ad quem non possunt non æquari. Porro intellectus ille non est nisi intellectus Dei, qui continet ideas *archetypas* omnium rerum antequam sint, quique illas producit juxta suarum idearum exemplaria.

PROB. 2^a PARS. Res per accidens ac *secundariò* veræ dicendæ sunt ex ordine suo ad intellectum ad quem *secundariò* et per accidens referri et æquari possunt. Atqui res creatæ ad intellectum humanum relationem hanc *secundariam* et *accidentalem* habere queunt et habent reipsa. Nam licet a nobis haud pendeant secundum suum *esse*, retineantque suam *veritatem* si eas ignoremus, tamen ab intellectu nostro possunt cognosci, et sic ab eo *rationem veri* recipere.

Nec *obstat* quod intellectus noster *mensuratur* a rebus, ac dicitur *veritatem* assequi, quatenus iis sese conformat. Enimvero *mensuratur* a rerum *entitate*, sed ipsa rerum entitas dicitur *formaliter*, quanquam *secundariò* vera, quatenus ad intellectum nostrum comparatur (1).

71. **Corollarium 1^{um}**. Hinc sequitur quo sensu veritas dici possit *una*, aut *multiplex*. — Una est in *fonte* suo, scilicet in intellectu Dei, qui intellectibus a se creatis *participationem* aliquam sui luminis indidit, unde *intelligere* possent, et

(1) Præclare Doctor Angelicus : « Res intellecta, ad intellectum potest habere ordinem vel *per se*, vel *per accidens*. Per se quidem habet ordinem ad intellectum a quo dependet secundum suum *esse*. Per accidens autem ad intellectum a quo cognoscibilis est; sicut domus comparatur ad intellectum artificis per se, per accidens autem ad intellectum a quo non dependet. — Judicium autem de re non sumitur secundum id quod inest ei per accidens, sed secundum quod inest ei per se. Unde unaquæque res dicitur vera *absolutè* secundum ordinem ad intellectum a quo dependet. Et inde est quod res *artificiales* dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum. Dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ quæ est in mente artificis; et dicitur oratio vera, in quantum est signum intellectus veri. — Et similiter res *naturales* dicuntur veræ, secundum quod assequuntur similitudinem specierum quæ sunt in mente divinâ. Dicitur enim verus lapis, qui assequitur propriam lapidis naturam, secundum præconceptionem intellectus divini. » (1^a, q. 16, a. 1, c).

rebus naturalibus entitatem largitus est, unde possent intelligi. — Est etiam una, in eo sensu quod veritati veritas adversari nequit; ac proinde diversæ veritates quæ in diversis scientiis traduntur, nunquam in collisionem venire possunt.

At *multiplex* est veritas, prout seu intellectibus, seu rebus diversis inest, quia varii hominum intellectus propriam vim habent et varias veritates cognoscunt. — Item tot sunt veritates in rebus creatis, quot sunt ipsæ res creatæ. — Itaque ab unâ veritate divinâ plures oriuntur veritates. (Cf. S. Th., 1^a, q. 16, a. 6, c.)

72. Corollarium 2^{um}. *Veritas est primariò in intellectu, secundariò in rebus.*

Vel enim res comparantur ad intellectum divinum, vel ad intellectum humanum. *Si prius*, veræ dicuntur quatenus respondent ideis divinis, a quibus pendent secundum suum esse; *si posterius*, veræ dicuntur quatenus sunt cognoscibiles ab intellectu hominis. Sed cognitio fit quatenus cognitum est in cognoscente, juxta suam similitudinem. Ergo ratio veri derivatur ab intellectu ad rem intellectam, ut ipsa dicatur vera quatenus intelligibilitate pollet, unde ad intellectum referatur.

§ III. — De immutabilitate veritatis (1).

73. Errores. Hegelii opinio fuit res non esse, sed fieri, veritatem absolutam non esse, sed fieri; hinc famosa theoria *του fieri*, quæ hodie pluribus scriptoribus gallis vehementer arripit. Alii enim cum Heraclito putant mundanas res in perpetuo esse fluxu ac priùs elabi quàm apprehendi possint. — Alii autem asserunt omnia pendere ab humano intellectu, ipsumque ita in dies progredi, ut postea rejiciat quæcumque olim tenuit; unde nihil absolutè affirmandum sentiunt; ita Lherminier, Schérer, Renan (2) cæterique.

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. iv et x.

(2) « Le grand progrès de la critique a été de substituer la catégorie du devenir à la catégorie de l'être, le mouvement à l'immobilité. Autrefois tout était considéré comme étant, on parlait de philosophie, de

74. Assertio : *Falsus est fluxus continuus ac progressus indefinitus.*

1^o *Falso nititur fundamento et adversatur experientiæ.*

Enimverò ex probatis (n. 35), essentiæ sunt absolutè immutabiles; et ipsa testis est experientia entium naturas, species et genera non variari mutatione phænomenorum vel individuarum rerum, sed absolutà gaudere immutabilitate.

Intellectus humanus ipse suam essentiam habet fixam et immotam, suasque necessarias leges. Quarè, licèt variationi subiaceat quoad multa, sive quòd postea discat quæ hodie nescit, sive quòd pristinos corrigat errores, tamen experientiâ constat hominum diversorum opiniones in multis concordare: v. g. omnibus omnium temporum et locorum hominibus multas communes sententias inesse de Deo, de mundo, de homine et illius officiis.

Demum, *progreditur* quidem humanum genus, quatenus posteri majorum inventis utentes, nova quoque adveniunt; at homines, utpote liberi, libertate suâ possunt abuti. Ex quo, historiâ teste, videre est eos modò ad perfectiora progredi, modò regredi ad pejora; atque ita commentitiam omnino esse progressus *continui* et *necessarii* legem.

2^o *Inducit ruinam certitudinis et moralitatis.*

Ibi enim non est certitudo, ubi non abest omnis errandi metus. Porrò, positâ *continui* et *necessarii* progressus theoriâ, nunquam abest metus omnis errandi. Si enim certitudo tua meæ certitudini opponi potest; si opiniones nostræ veterum opinionibus adversantur; si opiniones hodiernas eras aboleri oportet, ita ut nihil sit fixum absolutumve, nulli jam rei omnino adhærere potest mens nostra, sed in universalibus dubio sese debet continere.

Corruit etiam ipsa *moralitas*, cum bonum sequatur veri sortem, nihilque, docentibus progressus infiniti professoribus, sit in se bonum, sed tantum *relativè*, pro tali homine, tempore et loco.

« droit, de politique, d'art, de poésie d'une manière absolue; maintenant « tout est considéré comme en voie de se faire. » (*Averroës et l'averroïsme*, préf., p. vi et vii, 2^e édit.)

3^o *Progressum ipsum impossibilem facit.*

Ibi impossibilis est progressus, ubi omnia, vel ipsa rerum fundamenta motu laborant, imò indesinenter perturbantur. Porrò hoc ipsum inducit adversariorum sententia.

Confirmatur, quia progressus non est nisi *lenta et quieta unius ejusdemque rei per ordinatas vices amplificatio*. Quemadmodum igitur idem est vir qui fuit adolescens et puer, eadem natura atque persona, etsi melior status et habitus; sic oportet veritates aliquas ac sententias firmas esse prorsus et immotas, ut ratio iis innixa, ad alias proficiendo et discurrendo valeat assurgere.

ARTICULUS II

De falsitate.

75. *Prænotanda*. Falsitas veritati opponitur, ac proinde sicut veritas *æqualitatem* quamdam inter intellectum et rem importat, ita falsitas *inæqualitatem*. — Item, quemadmodum in intellectu propriè veritas invenitur, in intellectu etiam falsitas inveniatur oportet. Res enim in seipsis falsæ dici haud queunt, quum, ex probatis, veritas cum ente convertatur, et omne ens, in quantum est ens, sit etiam intelligibile seu verum.

Quocirca restat ut inquiramus an res formaliter falsæ esse possint, prout ad intellectum referuntur.

76. PROP. 1^a: *Nulla res est falsa relativè ad intellectum Dei.*

Vel enim agitur de rebus naturalibus, vel de rebus quæ a causis secundis producuntur. Porrò nec priores, nec posteriores falsæ sunt respectu intellectus Dei. — *Non priores*; nam comparantur ad Deum sicut ad sapientissimum potentissimumque artificem, qui eas intellectus sui simillimas condidit. — *Nec posteriores*, quia nulla causarum secundarum operatio Deum latere potest. — Nisi fortè, ut ait S. Thomas, eas hominis operationes dicamus falsas respectu Dei, quæ a *regulâ* suâ deficient. Nam agentibus voluntariis liberum est « sub-

« ducere se ab ordinatione divini intellectus, in quo malum « *culpæ* consistit; secundum quòd ipsa *peccata falsitates* et « *mendacia* dicuntur in Scripturis, secundum illud Psal. iv, « 3 : *ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* » (1^a, q. 17, a. 1, c).

77. PROP. 2^a: *Nulla res per se, sed per accidens tantum falsa dici potest relativè ad intellectum nostrum.*

PROB. 1^a PARS ex eò quòd quidquid est, intelligibilitate etiam fruatur, ac proinde ex naturâ suâ habet cur sinceram sui notionem in intellectu nostro generare queat.

PROB. 2^a PARS hunc in modum a D. Thomâ: « Sic dicitur « res esse falsa, quæ *nata* est facere de se opinionem falsam. « Et quia *innatum* est nobis per ea quæ exterius *apparent* de « rebus judicare; ideo ea quæ in exterioribus accidentibus « habent similitudinem aliarum rerum dicuntur esse falsa « secundum illas res, sicut stannum est falsum argentum. « Et Philosophus dicit quòd falsa dicuntur quæcumque nata « sunt apparere aut *qualia* non sunt, aut *quæ* non sunt. » (1^a, q. 17, a. 1, c).

CAPUT III

DE BONO ET MALO

Ut vero falsum, ita bono malum opponitur; unde sigillatim de bono et malo dicamus necesse est.

ARTICULUS I

De bono (1).

Dicere præstat 1^o de illius naturâ; 2^o de illius subjecto; 3^o de illius speciebus.

(1) Cf. S. Th., 1^a, q. 5 et q. 16, a. 1; *Cont. Gent.*, I, c. 37.

3^o *Progressum ipsum impossibilem facit.*

Ibi impossibilis est progressus, ubi omnia, vel ipsa rerum fundamenta motu laborant, imò indesinenter perturbantur. Porrò hoc ipsum inducit adversariorum sententia.

Confirmatur, quia progressus non est nisi *lenta et quieta unius ejusdemque rei per ordinatas vices amplificatio*. Quemadmodum igitur idem est vir qui fuit adolescens et puer, eadem natura atque persona, etsi melior status et habitus; sic oportet veritates aliquas ac sententias firmas esse prorsus et immotas, ut ratio iis innixa, ad alias proficiendo et discurrendo valeat assurgere.

ARTICULUS II

De falsitate.

75. *Prænotanda*. Falsitas veritati opponitur, ac proinde sicut veritas *æqualitatem* quamdam inter intellectum et rem importat, ita falsitas *inæqualitatem*. — Item, quemadmodum in intellectu propriè veritas invenitur, in intellectu etiam falsitas inveniatur oportet. Res enim in seipsis falsæ dici haud queunt, quum, ex probatis, veritas cum ente convertatur, et omne ens, in quantum est ens, sit etiam intelligibile seu verum.

Quocirca restat ut inquiramus an res formaliter falsæ esse possint, prout ad intellectum referuntur.

76. PROP. 1^a: *Nulla res est falsa relativè ad intellectum Dei.*

Vel enim agitur de rebus naturalibus, vel de rebus quæ a causis secundis producuntur. Porrò nec priores, nec posteriores falsæ sunt respectu intellectus Dei. — *Non priores*; nam comparantur ad Deum sicut ad sapientissimum potentissimumque artificem, qui eas intellectus sui simillimas condidit. — *Nec posteriores*, quia nulla causarum secundarum operatio Deum latere potest. — Nisi fortè, ut ait S. Thomas, eas hominis operationes dicamus falsas respectu Dei, quæ a *regulâ* suâ deficient. Nam agentibus voluntariis liberum est « sub-

« ducere se ab ordinatione divini intellectus, in quo malum « *culpæ* consistit; secundum quòd ipsa *peccata falsitates* et « *mendacia* dicuntur in Scripturis, secundum illud Psal. iv, « 3 : *ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* » (1^a, q. 17, a. 1, c).

77. PROP. 2^a: *Nulla res per se, sed per accidens tantum falsa dici potest relativè ad intellectum nostrum.*

PROB. 1^a PARS ex eò quòd quidquid est, intelligibilitate etiam fruitor, ac proinde ex naturâ suâ habet cur sinceram sui notionem in intellectu nostro generare queat.

PROB. 2^a PARS hunc in modum a D. Thomâ: « Sic dicitur « res esse falsa, quæ *nata* est facere de se opinionem falsam. « Et quia *innatum* est nobis per ea quæ exterius *apparent* de « rebus judicare; ideo ea quæ in exterioribus accidentibus « habent similitudinem aliarum rerum dicuntur esse falsa « secundum illas res, sicut stannum est falsum argentum. « Et Philosophus dicit quòd falsa dicuntur quæcumque nata « sunt apparere aut *qualia* non sunt, aut *quæ* non sunt. » (1^a, q. 17, a. 1, c).

CAPUT III

DE BONO ET MALO

Ut vero falsum, ita bono malo opponitur; unde sigillatim de bono et malo dicamus necesse est.

ARTICULUS I

De bono (1).

Dicere præstat 1^o de illius naturâ; 2^o de illius subjecto; 3^o de illius speciebus.

(1) Cf. S. Th., 1^a, q. 5 et q. 16, a. 1; *Cont. Gent.*, I, c. 37.

§ I. — De naturâ boni.

78. Bonum definiri potest *ipsum ens, quatenus appetibile*.

Nam sicut ens dicitur verum, prout ad intellectum refertur, ita bonum vocatur, prout ordinem dicit ad appetitum. Propterea essentia boni in *appetibilitate* consistit; quo sensu Aristoteles: « *Bonum est quod omnia appetunt.* » (*Eth. ad Nicom., I, 4*).

At quæritur cur bonum sit appetibile. Porrò ideo aliquid appetitur, quia videtur *conveniens* appetenti. Est autem conveniens quia perfectum; perfectum enim habet virtutem quamdam *attractivam* tum propter se, tum quia perficere potest cæteras res. Nam quodque ens ad illud inclinatur et tendit a quo perficitur, propterea quòd omne ens amat suam perfectionem, sive bonum suum.

Itaque ens est fundamentum perfecti, perfectum fundamentum boni, bonum autem in appetibili *formaliter* consistit. — Unde patet ens et bonum idem esse secundum *rem*, sed secundum *rationem* differre, quia bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens.

§ II. — De subjecto boni.

79. *Omne ens est bonum.*

Nam omne ens, quatenus ens, est actus. Sed omnis actus est quædam perfectio; perfectio verò habet rationem appetibilis et boni.

Hoc autem non sibi vult omnes res existentes *simpliciter* aut *æque* bonas dici debere, sed nullam rem esse quæ bonitatis quadamtenus particeps non sit. Bonitas quippe sequitur perfectionem. Sed rara sunt admodum, si forte quædam sint, entia creata, quibus non desit aliqua perfectio secundaria, naturæ suæ consentanea. — Insuper, ea meliora, ideoque perfectiora sunt, quibus inest natura præstantior.

80. **Corollarium.** Ex dictis colligitur boni rationem *non-nisi existentibus propriè* convenire. Bonum enim ad se trahit

appetitum, qui fertur ad rem amatam quam vel amplectitur, vel amplecti cupit. Sed appetitus trahi nequit nisi aliquâ re existente. Quare appetimus frui rebus existentibus, aut exoptamus quædam *feri*, ut iis frui liceat.

§ III. — De variis boni speciebus.

81. Bonum dividitur in *reale* et *apparens*, prout est revera quale esse putatur; v. g. virtus; vel habet solum *speciem* boni; v. g. voluptas.

Porrò bonum reale dividitur ipsum in *metaphysicum*, *physicum* et *morale*. — Bonum metaphysicum seu *transcendentale*, de quo jam diximus, nihil est aliud nisi ens ipsum, quatenus appetibile. Bonum physicum illud est quod inest alicui enti determinato, quatenus est *talis* vel *talis* naturæ; v. g. bonitas hominis, quatenus est homo. — Atqui bonum physicum potest esse *sensibile*, vel *spirituale*, prout inest enti materiali vel immateriali.

Demum bonum *morale* inest actionibus, prout conveniunt cum regulis morum, vel ab illis discrepant. Vocatur adhuc *honestum*, quia appetitur *propter se*, sive propter suum splendorem.

Itaque omninò differt a bono *delectabili*, vel *utili*; nam bonum delectabile non appetitur nisi ob delectationem ex eo capiendam; bonum autem utile seu *relativum*, non appetitur nisi quia ducit ad aliquem finem intentum; sic v. g. medicina quæ in tantum bona est, in quantum confert ad valetudinem.

ARTICULUS II

De Malo.

Dicendum est 1° de naturâ; 2° de subjecto; 3° de causâ; 4° de speciebus mali.

§ I. — De naturâ mali.

82. Malum, si notionem *vulgarem* quæras, est id quod *opponitur bono et appetitui repugnat*.

Si verò definitionem *propriam* exigit, est defectus boni debiti; v. g. carentia visûs in animali. Malum igitur non est entitas aliqua, sed entitatis defectus; nec simplex defectus, sed defectus boni quod quis habere deberet, quemque *privationem* vocant. Hinc S. Thomas: « Remotio boni negativè accepta, mali rationem non habet; alioquin sequeretur quòd ea quæ nullo modo sunt, mala essent, et iterum quòd quælibet res esset mala, ex hoc quòd non haberet bonum alterius rei; ut quòd homo esset malus, quia non habet velocitatem capræ, vel fortitudinem leonis. » (1, a. q. 48, a. 3, c.)

At quilibet defectus boni debiti est aliquod malum; inde axioma: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu.*

§ II. — De subjecto mali.

83. Malum in seipso existere nequit, quippe quòd non sit ens, sed entis aut perfectionis privatio. Ergo in nullo alio existere potest nisi in bono cui *accidat*, cuique afferat imminutionem; sic v. g. cæcitas est in animali, error in intellectu, vitium in voluntate.

Hinc sequitur 1^o bonum esse prius malo, quia omnis privatio præsupponit aliquam perfectionem; 2^o nullam rem esse posse *omnino* malam; alioquin existere desineret.

§ III. — De causâ seu origine mali.

84. **Assertio:** *Causa mali non est malum, sed bonum, per accidens tamen, seu quatenus deficiens.*

PROB. 1^a PARS. Omnis causa est aliquid positivum et reale.

Porrò, ex dictis, malum non est aliquid positivum, sed contrà, negatio perfectionis. Ergo non potest esse causa, proinque mali causa non potest esse nisi bonum.

PROB. 2^a PARS. Nihil *per se* tendere potest ad suum contrarium, sed ad aliquid sibi conveniens. Porrò bonum, per se inspectum, est quædam perfectio. Ergo per se ac propriâ vi

tendere debet ad aliquam perfectionem, non autem ad malum, quod appetitui repugnat, nedum eum allicitat.

At *per accidens* tendere potest ad aliquod malum, « volendo aliquod bonum, ait D. Thomas, cui *conjungitur* istud malum; sicut Deus volendo justitiam, vult pœnam, et volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi. » (1^a, q. 19, a. 9, c.)

Bonum, quatenus *deficiens*, potest etiam esse causa mali sive physici, sive moralis, ut ingeniosè argumentatur S. Bonaventura: « Malum, eo modo quo habet *esse*, eo modo habet et *feri*; et quoniam malum privatio est et defectus, hinc est quòd sicut malum esse non est aliquid verè esse, sic nec malum effici est verè ab aliquo fieri ut *efficiente*, sed *vi deficiente*. » (In lib. 2 *Sent.*, dist. 34, a. 1, q. 2.) Sic v. g. claudicatio non oritur ex crure, ut tali, sed quatenus aliquâ deformatione laborante. Sic etiam peccatum non oritur ex voluntate, ut voluntas est, sed ut est voluntas imperfecta et defectiva.

§ IV. — De speciebus mali.

85. Malum, ut bonum, dividi potest in *apparens* et *reale*, prout habet solum *speciem* mali; v. g. defectus divitiarum qui in opinione vulgi pro malo habetur; vel reipsa malum est; v. g. peccatum, vel error.


At malum reale vel est *naturale*, vel *morale*. Malum naturale inducit privationem alicujus boni naturæ alicujus entis debiti; et ipsum potest esse vel *physicum*, v. g. privatio visûs in animali, vel *intellectuale*, ut error.

Rursus, malum physicum potest esse *nocivum*, oppositum scilicet bono *utili*; v. g. venenum; vel *dolorosum*, oppositum *delectabili*; v. g. dolor ortus ex aliquo morbo.

Malum morale, quod etiam *turpe* dicitur, vel *peccatum*, afficit actiones quatenus deficiunt a perfectione regulis morum requisitâ.

86. **Corollarium.** Rejicienda est notio mali quod Leibnitzius (*Theodic.*, pars 1^a, n. 21) vocavit *metaphysicum*, quod-

que ab eo definitur simplex entitatis limes aut carentia perfectionis altioris in subjecto quod ad illam habendam naturā non comparatur. At verò talis limes perfectionis nonnisi sermonis abusu malum dicitur, quippe ex dictis (n. 82) malum non est simplex defectus, sed privatio perfectionis subjecto *debitæ*; alioquin leo v. g. diceretur malus, propterea quòd intellectu careat.



CAPUT IV

DE PULCHRITUDINE (1)

Dicendum est 1° quid sit pulchrum? 2° quomodo arte possit exprimi?

ARTICULUS I

De naturā pulchri.

Ad eam declarandam, agemus 1° de illius vi objectivā; 2° de illius principiis ac definitione; 3° de illius speciebus; 4° de potentiis animæ ad quas refertur.

§ I. — De vi objectivā pulchri.

87. Assertio : *Pulchrum habet vim objectivam.*

Probatur contra Kantium et quosdam recentes qui pulchrum nonnisi subjecti cognoscentis formam aliquam esse, ac totum a nobis pendere opinantur. At 1° sensus hominum *communis* pro certo habet pulchritudinem rebus ipsis inesse, quæ pulchræ vocantur, non quia delectant nos, sed ideo delectant, quia pulchræ sunt. Quare omnes homines rebus quibusdam pulchritudinem attribuunt, quibusdam verò

(1) Cf. *L'idée du beau dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin.*

denegant. — 2° Nulla ratio est cur idea pulchri minùs objectiva dicatur quàm cæteræ ideæ; eam enim ut illas *scientificè* comparamus, experientiā nimirum et ratione, ope abstractionis. — 3° Pulchritudo sequitur perfectionem rerum, *nec est aliud nisi splendor ipse perfectionis.*

88. Nec *objiciatur* homines haud rarò dissentire in æstimandā pulchritudine, dum iisdem rebus eam alii tribuunt, negant alii. Homines enim non de pulchro duntaxat, sed etiam de vero et bono non rarò dissentiunt; ac proinde objectio nil probat nisi pulchritudinem rerum haud semper compertam nobis esse, vel iudicium de re æstheticā culturam animi exigere quā multi destituuntur.

§ II. — De principiis ac definitione pulchri.

89. Quænam sint pulchri elementa aut principia, et quā ratione *definiri* debeat, non una est omnium sententia. Ut enim sensistas prætereamus, alii putant pulchritudinem esse *unitatem in varietate*, alii *splendorem veri*, alii *splendorem boni*, alii *splendorem ordinis*, alii *proportionem*, alii *demum magnitudinem.*


Nobis autem videtur istas definitiones esse mancas, quippe quæ non omnia pulchritudinis elementa constitutiva declarant.

Quamobrem pulchrum veriùs definitur : *Splendor perfectionis*, vel enucleatiùs cum D. Thomā : « *Ratio pulchri, in « universali, consistit in resplendentia formæ super partes « materiæ proportionatas, vel super diversas vires, vel actio- « nes.* » (*Opusc. de pulchro*).

Atqui sincera est illa definitio, quippe quæ omni et soli definito convenit. Ex unā enim parte, convenit omnibus pulchri generibus, scilicet pulchro sive materiali, sive spirituali, sive morali.

Ex aliā autem parte, omnia pulchri principia seu elementa, indicat, sed directè quidem, ut par est, elementum *formale* ac potissimum, indirectè autem elementum *materiale.*

que ab eo definitur simplex entitatis limes aut carentia perfectionis altioris in subjecto quod ad illam habendam naturā non comparatur. At verò talis limes perfectionis nonnisi sermonis abusu malum dicitur, quippe ex dictis (n. 82) malum non est simplex defectus, sed privatio perfectionis subjecto *debitæ*; alioquin leo v. g. diceretur malus, propterea quòd intellectu careat.



CAPUT IV

DE PULCHRITUDINE (1)

Dicendum est 1° quid sit pulchrum? 2° quomodo arte possit exprimi?

ARTICULUS I

De naturā pulchri.

Ad eam declarandam, agemus 1° de illius vi objectivā; 2° de illius principiis ac definitione; 3° de illius speciebus; 4° de potentiis animæ ad quas refertur.

§ I. — De vi objectivā pulchri.

87. Assertio : *Pulchrum habet vim objectivam.*

Probatur contra Kantium et quosdam recentes qui pulchrum nonnisi subjecti cognoscentis formam aliquam esse, ac totum a nobis pendere opinantur. At 1° sensus hominum *communis* pro certo habet pulchritudinem rebus ipsis inesse, quæ pulchræ vocantur, non quia delectant nos, sed ideo delectant, quia pulchræ sunt. Quare omnes homines rebus quibusdam pulchritudinem attribuunt, quibusdam verò

(1) Cf. *L'idée du beau dans la philosophie de S. Thomas d'Aquin.*

denegant. — 2° Nulla ratio est cur idea pulchri minùs objectiva dicatur quàm cæteræ ideæ; eam enim ut illas *scientificè* comparamus, experientiā nimirum et ratione, ope abstractionis. — 3° Pulchritudo sequitur perfectionem rerum, *nec est aliud nisi splendor ipse perfectionis.*

88. Nec *objiciatur* homines haud rarò dissentire in æstimandā pulchritudine, dum iisdem rebus eam alii tribuunt, negant alii. Homines enim non de pulchro duntaxat, sed etiam de vero et bono non rarò dissentiunt; ac proinde objectio nil probat nisi pulchritudinem rerum haud semper compertam nobis esse, vel iudicium de re æstheticā culturam animi exigere quā multi destituuntur.

§ II. — De principiis ac definitione pulchri.

89. Quænam sint pulchri elementa aut principia, et quā ratione *definiri* debeat, non una est omnium sententia. Ut enim sensistas prætereamus, alii putant pulchritudinem esse *unitatem in varietate*, alii *splendorem veri*, alii *splendorem boni*, alii *splendorem ordinis*, alii *proportionem*, alii *demum magnitudinem.*

Nobis autem videtur istas definitiones esse mancas, quippe quæ non omnia pulchritudinis elementa constitutiva declarant.

Quamobrem pulchrum veriùs definitur : *Splendor perfectionis*, vel enucleatiùs cum D. Thomā : « *Ratio pulchri, in « universali, consistit in resplendentia formæ super partes « materiæ proportionatas, vel super diversas vires, vel actio- « nes.* » (*Opusc. de pulchro.*)

Atqui sincera est illa definitio, quippe quæ omni et soli definito convenit. Ex unā enim parte, convenit omnibus pulchri generibus, scilicet pulchro sive materiali, sive spirituali, sive morali.

Ex aliā autem parte, omnia pulchri principia seu elementa, indicat, sed directè quidem, ut par est, elementum *formale* ac potissimum, indirectè autem elementum *materiale.*

90. *Explicantur principia pulchri.* Principia pulchri quinque exiguntur, ut innuitur allatâ definitione, scilicet ex parte elementi materialis, varietas, integritas et proportio vel congruentia, et ex parte elementi formalis, unitas et resplendentia (1).

Ratio cujusque horum elementorum facilè potest demonstrari, ex naturâ ipsâ pulchritudinis, necnon ex hominis conditione.

Enimvero, pulchrum est *splendor perfectionis*. Atqui talis splendor quinque prædicta elementa exoptulat (2).

1° *Quidem varietatem.* Nam quodlibet ens naturale seu corporeum, seu incorporeum, pluribus partibus aut principiis constat, habetque potentias et operationes plures reipsa distinctas, quarum aliæ alias complement, et in ente opulentiam quamdam significant.

2° *Integritatem;* eâ quippe sublata, minuitur varietas, tollitur exacta partium proportio, deficit *summa* seu perfectio entis. Unde S. Thomas : « *Quæ diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt.* » De pulchro ut de bono valet axioma : *Bonum ex integrâ causâ, malum ex minimo defectu.*

Res incompleta potest quidem in partibus quæ supersunt laudari, non tamen est *simpliciter* pulchra, ob lacunas quibus laborat.

3° *Proportionem;* ut variæ partes non jungantur solùm, sed aliæ aliis respondeant ac decenter aptentur, et efflorescat *ordo*, seu, ut præclare ait Augustinus « *parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio* ». (*De civil. Dei*, l. xiv, a. 3). Jam enim ex ordinatâ illâ varietate mirabilis exurgit *concentus*, ut in musicâ, diversæ voces, si benè maritentur, claram faciunt *harmoniam*. Jure ergo D. Tho-

(1) S. Thomas tria duntaxat pulchritudinis elementa enumerat *explicitè*, ubi ait : « Ad pulchritudinem tria requiruntur. Primum quidem integritas sive perfectio... Et debita proportio, sive consonantia. Et iterum claritas (1^a, q. 39, a. 8, c). — At verò partium integritas varietatem earum supponit; iisque unitas accedit ex formâ per quam inter se colligantur unumque efficiunt. Nam « unumquodque per suam formam habet unitatem, » ait laudatus Doctor. (*Quodlib.*, 6, a. 1, c).

(2) Cf. *L'Idée du Beau*, 1^{re} part., 1^{re} section.

mas : « *Ratio pulchri consistit in quadam consonantiâ diversorum.* » (*Opusc. de pulchro*).

4° *Unitatem.* Unitas quidem sequitur omne ens, sed *crescit* cum ipsâ ejus perfectione; unde est præcipuum perfectionis criterium.

Est etiam non tantùm *elementum*, sed et ipsum ordinis *principium*; quippe varias partes naturâ suâ dispares et dispersas in Societatem colligit, regit, et *fini communi* servire jubet. In hoc sensu D. Augustinus : « *Omnis porrò pulchritudinis forma unitas est.* » (*Epist.* 18).

Attamen unitas quæ ad constituendum pulchrum requiritur, eadem non est in variis pulchri generibus, sed consentanea esse debet propriæ cujusque entis naturæ. Ad eam satis est plura oriri ab eodem *principio*, vel in eodem *subjecto* recipi, vel ad unum *finem* ordinari et conspirare.

5° *Splendorem formæ.* Forma designat in ente elementum præcipuum, quod ei dat suum esse, suam speciem, suas vires, suam igitur perfectionem, ac proinde splendorem qui ab ipsâ perfectionis præstantiâ effulget. Quare forma potest haberi ut *expressio ideæ divinæ*, in rebus, vel ut *ideale* ad cujus plenior possessionem quæque res tendere debet.

At verò oportet ut ea sit perfectio formæ quæ non lateat intus, sed *manifestam* sese prodat sicque propriâ vi capiat intuitentem. — Ad rem S. Thomas : « Sicut ad pulchritudinem corporis requiritur quòd sit proportio debita membrorum, et quòd *color supersplendeat eis*, quorum si alterum deesset, non esset pulchrum corpus; ita, ad rationem universalis pulchritudinis exigitur proportio aliquorum ad invicem, vel partium, vel principiorum, vel quorumcumque, quibus supersplendeat *claritas formæ.* » (*Opusc. de Pulchro*).

Porrò in rebus corporeis, claritas oritur ex *colore* et *figurâ* vel adumbratione lineari (gallice *dessin*); sed figura colorem longè antecellit.

In substantiis autem immaterialibus, tota claritas fluit ex ipsâ *perfectionis earum perspicuitate*. Non enim dubitandum est quin entibus immaterialibus sua, imò nobilior insit cla-

ritas, cum pulchrum revera non sit aliud nisi resplendentia perfectionis, quæ sanè major est in ente spirituali quàm in ente materiali. Itaque ipsa entia *composita*, ut homo, vel animal, eò fulgentiorem præferunt pulchritudinem quò immaterialioris animæ speciem exhibent.

91. Atqui elementa prædicta non habent solum vim *objectivam* ad efficiendum pulchrum, sed habent quoque rationem *subjectivam*, ut innuit D. Thomas, sumptam ex ipsâ cognitionis naturâ. Nam ex dictis, pulchra vocamus *quæ visa placent*, id est, quorum visio seu cognitio nos delectat. Ea igitur ad pulchrum conferre debent, quæ facultates cognoscitivas acuunt et cognitionem faciunt faciliorem ac plenior. Sed hujusmodi sunt varietas, integritas, proportio, unitas et claritas, ut experientiâ constat et satis patet attendenti ad singula.

92. Pulchritudo igitur ex *duobus* hauritur, nempe ex partibus vel principiis *materialiter* sumptis, et ex *formâ* quæ super his resplendet. Attamen ex varietate, integritate, proportione et unitate *fundamentum*, ex splendore autem formæ ratio *specificâ* pulchri enascitur. Et causa est quia, ex probatis, forma representat elementum entis præstantissimum, et proinde clarissimum. Quod adeo verum est, ut apud Latinos *forma* (ex quâ *formosus*) idem sibi velit ac pulchritudo. Forma autem *exterior*, quam solam percipiunt sensus, ex *internâ* et *substantiali* formâ suam accipit rationem et claritatem.

93. *De unitate pulchri.* Cum D. Thomâ « dicendum est « quòd pulchritudo non consistit in *componentibus*, sicut in « materialibus, sed in *resplendentia* formæ, sicut in *formali*. » (Ibid.). Ac propterea, quoniam resplendentia formæ aliquid unum præferat, pulchritudo ipsa unitatem præferat oportet.

94. *De criterio perfectionis relativæ pulchri.* Docente D. Thomâ, pulchritudo non ex partibus aut principiis ipsis, sed ex resplendentia formæ propriè hauritur, atque ipsæ partes ex formæ fulgore decus suum accipiunt. Quò igitur perfectior entis alicujus forma fuerit, eò etiam fulgentior, et quò ful-

gentior forma, eò fulgentiores partes, et eò major entis pulchritudo. — Hoc porrò ipsâ experientiâ comprobatur, nec aliter de variarum rerum pulchritudine dijudicare solemus; quippe hominis quàm animalis, animalis quàm plantæ, plantæ autem quàm lapidis vel pretiosi clarior splendet pulchritudo. Ratio est quia homo animam rationalem, animal sensitivam, planta vegetativam manifestam prodit; natura autem *physica* principio *simplici* fruitur, certas elicit actiones, fixas et mirabiles sequitur leges quæ Creatoris sapientiam publicam faciunt.

In eadem verò specie, tantò individuum quoddam cæteris antecellit pulchritudine, quantò plenius perfectionem suæ speciei possidet (1).

§ III. — De variis pulchri speciebus.

95. Una quidem est ratio *formalis* pulchri, sed in multis et specie diversis rebus invenitur. Hinc pulchrum multifariam dividi solet, nimirum in *ideale* et *reale*; reale verò in *sensibile* et *suprasensibile*; sensibile autem in *naturale* et *artificiosum*, dum suprasensibile vel est *intellectuale*, vel *morale*. De quibus pulchri speciebus pauca sigillatim monenda sunt.

I. De pulchro reali et ideali.

96. Pulchrum reale illud est quod existit in naturâ, in variis entibus. At pulchrum ideale est *typica perfectio* quæ habetur ut ipsum *exemplar* ad quod accedere debent res pulchræ, et eo pulchriores nobis videntur, quò propius ad illud accedunt.

Porro *unicuique* rei respondet *sua idealis* pulchritudo, quæ consistit in plenâ possessione perfectionis quam exigit ejus forma aut species. Sed, variis ex causis, nulla est res *creata* quæ ad hanc typicam suam perfectionem accedat, quæque non possit esse vel cogitari plenior ac pulchrior.

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 1^{re} part., sect. 1^{re}, c. 6, § 4.

II. De pulchro sensibili et suprasensibili.

97. Pulchritudo sensilis refertur ad res corporeas et cernitur vel in *universâ* naturâ, vel in *singulis* naturæ entibus.

De pulchritudine naturæ universæ dicemus in Cosmologiâ, ubi ex illâ sumemus argumentum in gratiam existentiae Dei.

— Pulchritudo fulget etiam, ex dictis (n. 89) licet diverso gradu, in *singulis speciebus* aut regnis. — Quod autem spectat ad entia singularia seu individua, multa quidem pulchritudine destituuntur, quia, variis ex causis, imperfectè repræsentant suam speciem, sive integritate, sive proportionem aut splendore careant.

98. *Pulchrum suprasensibile* rebus incorporeis inest, ac potest vel in earum naturâ, vel in operationibus reperiri.

Si prius, aut substantiæ *increate*, aut *creatis* substantiis convenit. Si posterius, in *intellectuale*, vel *morale* dividitur, prout in operationibus merè intellectualibus, vel in operationibus ad regulas morum relatis occurrit. — Quædam breviter monere par est de pulchritudine, quatenus ad Deum et ad actus morales pertinet.

99. 1^o *De pulchritudine Dei*. Pulchritudo in Deo reponenda est, et hæc quidem infinita. Enimvero Deus habet quæcumque pulchrum constituunt, naturam scilicet unam atque integram et variis instructam attributis, mirè inter sese consentientibus, super quæ resplendet essentiæ nobilissimæ purissima forma. — Insuper, Deo ceu *causæ* omnium primæ, attribuendum est *eminenter* quidquid pulchri admiramur in rebus cum incorporeis, tum corporeis, necnon in actibus moralibus. *Fons* igitur habendus est omnis pulchritudinis tum realis, tum idealis. — Imo verò, non *pulchrum* duntaxat Deum, sed ipsammet *pulchritudinem* esse meritò dixeris, quippe cujus pulchritudo non est *participata*, ut in rebus creatis, sed *subsistens*, nec aliud nisi ipsa illius infinita essentia.

Equidem pulchritudo ejus, utpotè *merè spiritualis*, potiùs transcendit nos quàm tangit; nihil tamen inde minuitur ab ejus claritate *absolutâ*. — Cæterum, si per sese nihil sensi-

bile nobis exhibet, tamen in mundo quem condidit aliquid sui fulgoris nobis revelat et ad nos quodammodo descendit.

100. 2^o *Pulchritudo moralis* ea est quæ in actibus efflorescit, quatenus ad regulas morum referuntur. Iis porrò pulchritudo convenit, et quidem maximè. Nam actus aliquis varietatem, integritatem, proportionem, unitatem ac splendorem præ se fert meritò, quum in eo nihil deest neque ex parte circumstantiarum, neque ex parte objecti, neque ex parte finis, et decor enascitur ex formâ virtutis ex quâ actus promanat, quæcumque sit hæc virtus. Sed eò pulchrior est actus quò plenius alicujus virtutis speciem refert, vel ad nobiliorum pertinet virtutem.

Sublimis (1) autem erit, si aut consuetas agentis vires transcendere videatur, aut maximè arduum, aut magnanimum quiddam præferat. Nec pulchro morali pulchrius quidquam esse in creatis arbitramur, tum quia *finis* habet rationem, tum quia homo illud in seipso effingit, passionibus multâ vi triumphatis. Quamobrem apud hominem etiam vulgarem, si forte virtute sit ornatus, vultus ipse spectabilem quamdam pulchritudinem præsefert.

§ IV. — De potentiis animæ ad quas refertur pulchrum (2).

101. Assertio 1^a: *Non ad appetitum, sed ad potentias cognoscitivas propriè refertur pulchritudo.*

Illud ad appetitum propriè non refertur, cujus non *fruitio*

(1) Hic innuere præstat quæ sit distinctio inter *sublime*, *pulchrum* et *venustum*. Porrò, juxta quosdam, sublime, pulchrum et venustum *specie* differunt; juxta alios, *gradu* duntaxat. Prima opinio verior nobis videtur. Habent enim hæc tria notas diversas, et diversas etiam in nobis excitant emotiones. Venustum præsefert aliquid inchoatum vel parvum, gratiâ micans; sensibilitatem potiùs quàm rationem afficit, sensum generat levem ac fugitivum. — Pulchrum contrâ altam excitat emotionem, rationi potiùs quàm sensibus placet, admirationem rapit, magnum quiddam et constans exhibet. — At sublimi vis inest nobilior quædam et divinius, ornamentis nescia, simplicitate simul ac majestate pollens, sensibilitati austera, mentem non delectans quidem, sed ad superna erigens eique admirationem injiciens ac stoporem.

(2) Cf. *L'Idée du Beau*, 1^{re} part., 2^e section.

seu *usus*, sed *apprehensio* ipsa delectat. Atqui talis est pulchritudo. Nam eas res pulchras nominamus quarum *visio* nos recreat, quin aliquid ulterius ab iis requiramus; v. g., cœlum stellis irradiantibus ornatum pulchrum vocamus, solusque illius intuitus nos delectat. Unde S. Thomas: « Considerare pulchritudinem est delectabile secundum seipsum. » (*In Polit.*, l. 8, lect. 1^a).

102. Corollarium 1^{um}. A vero igitur aberrant *sensualistæ* qui pulchrum in *utili* reponunt. Ast autem pulchrum est quid merè *speculativum*, quod veriùs reponeres in *inutili*. Quippe plurimæ sunt res *in se* aut *nobis* inutiles, quas tamen pulchras habemus, et plurimæ sunt utiles quæ nullum in nobis sensum æstheticum movent. Si quæ autem pulchræ simul et utiles sint, sub diverso respectu pulchræ et utiles nobis videntur.

Nec *objicias* pulchrum a nobis *appeti*; illud enim sicut et verum appetimus, sed ut melius *contemplemur* vel *admiremur*, non autem ut illo *ulamur*, quod appetitûs proprium est.

103. Coroll. 2^{um} de relatione quæ viget inter pulchrum, verum et bonum (1).

1^o *Nec a vero, nec a bono potest separari.*

Non a vero; nam pulchrum dicit splendorem; falsum autem, seu id quod non est, splendere non potest. — Quòd si nonnunquam oratio falsa videatur pulchra, ratio est quia similitudinem coloremque veri præ se fert.

Nec a bono; pulchrum enim necessariò postulat proportionem, seu ordinem; malum verò proportioni et ordini adversatur; unde apprehenditur ut *deforme* (2).

Quinimo pulchrum, verum et bonum in *subjecto* idem sunt, quatenus fundantur supra eandem rem, scilicet supra

(1) Cf. *L'idée du beau*, 1^{re} part., 2^e sect., c. 2, § 1.

(2) « Pulchrum nunquam separatur a bono, sicut pulchrum corporis a bono corporis, et pulchrum animæ a bono animæ, et sic semper accipiendum circa idem; pulchritudo corporis autem quandoque dicitur vana, non respectu corporis, sed respectu boni animæ », cui etiam periculo esse potest. (S. Thomas, *Opusc. de Pulchro*).

ens et ejus perfectionem. Quarè verum et bonum rationem pulchri induere possunt, si modo splendeant.

2^o *Pulchrum a vero et bono differt*, quia splendorem exigit, quem ipsa non expostulant; unde nec omne verum, nec omne bonum pulchrum est.

Insuper speciale viget discrimen inter pulchrum et bonum, quia prius est *speculativum*, ad cognitionem ordinem dicit, movetque admirationem; dum bonum *practicum* est, ad appetitum refertur, ac propriè amorem excitat.

Verum gignit *scientiam*, pulchrum *æstheticam*, bonum *ethicam*.

104. Coroll. 3^{um}. Ad appetitum *secundariò* refertur pulchritudo, quatenus aspectu suo jucundum *sensum* excitat. Sensus autem æstheticus optimas præsefert dotes: est enim præcelsus, ab utilitate alienus, jucundissimus, ordini consentiens, completus, actuosus, sympathiâ, amore et admiratione constans.

105. Assertio 2^a: Pulchri sensilis perceptio inchoatur a sensibus, perficitur ab intellectu.

PROB. 1^a PARS. A sensibus inchoari debet perceptio cujus objectum primò ipsis occurrit. Atqui talis est pulchritudo corporea, saltem quatenus varietatem, integritatem et claritatem exhibet; hæc siquidem qualitates extrinsecus sese produnt et sensus luce suâ percillant.

Nec tamen ab omnibus sensibus percipitur pulchrum, sed ab iis duntaxat quibus vis cognoscendi potissimè inest, a *visu* scilicet et *auditu*. « Ad rationem pulchri, ait S. Thomas, « pertinet quòd in ejus aspectu seu cognitione quietatur appetitus; unde et illi sensus præcipuè respiciunt pulchrum, « qui maximè cognoscitivi sunt, scilicet visus et auditus, « *rationi deservientes*; dicimus enim pulchra *visibilia* et pulchros *sonos*. In sensibilibus autem aliorum sensuum non « utimur nomine pulchritudinis; non enim dicimus pulchros « sapes aut odores. » (1^a 2^a, q. 27, a. 1, ad 3).

PROB. 2^a PARS. Enimvero, pulchritudo rei etiam corporeæ tum perfectè percipitur, cum variarum ejus partium proportionem atque unitatem cernere est, necnon splendorem for-

mæ. Porrò nec partium proportio, nec unitas, nec formæ splendor a sensibus apprehendi possunt, sed a solo intellectu, quippe quòd istæ dotes spirituale quiddam præferunt. Quamobrem sensus *confusè* admodum percipiunt pulchritudinem corpoream, quia *concretè* solùm et *incompletè* eam attingunt, dum intellectus eam confert cum notione pulchri abstractæ seu ideali, ac proinde illius etiam gradum æstimare potest.

106. Assertio 3^a : *Pulchritudo spiritualis a solo intellectu percipitur, sed adjuvante imagine sensibili.*

PROB. 1^a PARS ex eo quòd pulchritudo spiritualis est suprasensibilis, sicque transcendit aciem sensuum.

PARS 2^a desinit ex probatis in Anthropologiâ (n. 89) ubi ostendimus intellectum humanum nihil actu intelligere posse nisi comitante aliquâ phantasiæ imagine, quæ ipsa sensuum perceptionem præsupponit.

At in re æstheticâ, quæ naturâ suâ tendit ad *repræsentationem*, multò majus est subsidium imaginationis quàm in cognitionibus merè abstractis.

Quamobrem, licèt pulchrum *in se et absolutè* inspectum, elementum sensibile non exigat, tamen *quoad nos* illud exigat. Nec mirum, cùm humana natura consistat ex harmoniâ permutatione elementî sensibilis ac spiritualis.

107. Corollarium. Facultas illa quam *æstheticam* vocant, quia de pulchro judicat, non est *una aut specialis*, nec *sextus* quidam sensus, ut nonnulli volunt, sed *varia et multiplex*, sensibilis simul ac spiritualis; constat enim ex visu, auditu, imaginatione et ratione, tametsi ratio primas in eâ partes obtineat.

ARTICULUS II

De expressione pulchri seu de arte (1).

De artibus tria breviter tractanda sunt : 1^o quæ sit earum natura? 2^o quomodo se habere debeant erga naturam? 3^o quæ sit earum divisio?

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^e part., ch. 4.

§ I. — De artium naturâ.

108. *Ars generatim* inspecta definiri potest *recta ratio alicujus operis externi faciendi*, seu *complexio regularum ad aliquod opus externum affabrè conficiendum*; v. g. architectura, sculptura. (Cf. Log. n. 11 et 345).

Ars scriptè sumpta, est *recta ratio efficiendi alicujus operis, ad exprimendum pulchrum destinati*.

Artes sic intellectæ vocantur *pulchræ*, vel *liberales*, vel adhuc *bonæ artes*, ut distinguantur ab artibus vulgo *mechanicis* quæ dirigunt etiam hominem in conficiendo quodam opere, sed quod ad *utile* tantum destinatur; qualis est v. g. ars sutoris, vel fabri.

109. In bonis artibus duplex elementum reperitur : aliud scilicet *immaterialè*, aliud verò *materiale* seu sensibile. Prius est *ideale* quoddam quod artifex ante *concupere* debet quàm tentet exprimere; posterius est signum *sensibile* quo ideale exprimitur.

Quamquam porrò prius elementum *præcipuum* est in arte, posterius tamen haud mediocris est momenti, siquidem est *expressio ipsa prioris*, quod nonnisi ab eo habet ut *pateat et fulgeat*.

110. Corollarium. Ex dictis patet artem *directè* tendere ad pulchrum exprimendum, non autem ad bonum prædicandum. Attamen abstrahere omnino nequit a bono, et a fortiori nequit cum bono pugnare, quippe ex probatis (n. 103) pulchrum ipsum nec a bono, nec a verò valet separari. Imo etiam *cognatio pulchri et boni* a Græcis communi vocabulo declarata est *καλον κἀγαθον*, a Latinis etiam qui indifferenter dicunt *pulchras* vel *bonas artes*.

Absurda itaque dicenda est ea non paucorum recentium opinio quæ *absolutam* propugnat artis *autonomiam*, et, ut ipsi dicunt, *artem pro arte colit*, nullâ boni aut veri habitâ curâ.

§ II. — Quomodo ars habere se debeat erga naturam?

111. *Opiniones.* Qui sensualismum vel positivismum tuentur, volunt omnem artificis curam in eo esse ut naturam imitetur, et exprimat omne reale et solum reale. Alii contra sentiunt artem esse interpretationem vel transfigurationem naturæ potius quam nudam imitationem.

112. *Assertio:* Ars non est imitatio, sed transfiguratio naturæ (1).

PROB. 1^a PARS, quia artifex nec debet, nec potest imitari quidquid reale est.

1^o *Non debet:* nam in naturâ inveniuntur res quædam malæ aut deformes, quarum proinde vitanda est imitatio, imò generatim representatio; sunt aliæ res mediocres, et in plerisque inveniuntur elementa secundaria et mobilia, quæ satius artifex negliget, juxta præceptum illud poetæ:

Et quæ desperat tractata nitescere posse relinquit.

2^o *Non potest;* quippe vita, in quâ natura delectatur, ea est quæ fingi aut representari nequeat. Si ergo ars nonnisi naturam imitari velit, semper et multò quidem infra illam stabit, ac proinde satius erit jam ad opera naturæ quam artis adspicere.

PROB. 2^a PARS, quia nulla res est individua quæ ad perfectionem typi sui accedat; artifex ergo res quas pingit transfigurare debet, non ut supra conditionem naturæ appareant, sed ut essentiam suam verè demum, scilicet plenè representent. Hac impletâ conditione, artis opera digna sunt quæ considerentur; nam naturam realem superant, et erigunt mentem ab his quæ sunt, quæque imperfectè sunt, ad ea quæ possent esse vel deberent.

§ III. — De divisione bonarum artium.

113. Divisio artium sumi debet ex earum elemento sensibili, quippe quòd ipsius vi elementum ideale representatur seu exprimitur. Porrò sub eo respectu, bonæ artes in duas

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^o part., ch. 4.

classes meritò dividuntur: quarum alia ad visum refertur, ut *pictura*, *sculptura* et *architectura*; alia autem ad auditum, ut *musica* et *poesis*.

Eloquentia inter bonas artes numeranda non est, quia non, ut ipsæ, tendit ad pulchri expressionem, sed tantum ad persuasionem.

ONTOLOGIÆ TERTIA PARS
DE CATEGORIIS

114. *Objectum hujusce partis.*

Postquam egimus de transcendentalibus, scilicet de attributis quæ sequuntur omne ens, restat ut disputemus de categoriis, sive de his supremis attributis quæ non omni enti conveniunt, sed variis entibus possunt convenire.

Porrò categoriæ tractari queunt vel universim, vel sigillatim. Unde caput duplex: 1^{um} de categoriis in genere; 2^{um} de singulis categoriis.

CAPUT I

DE CATEGORIIS IN UNIVERSUM

Duo inquirenda sunt: 1^o Quis sit categoriarum numerus? 2^o Quæ sit relatio inter præcipuam categoriam, quæ dicitur substantia, et alias categorias quæ accidentia nominantur.

ARTICULUS I

De numero et classificatione categoriarum.

115. *Opiniones.* Categoriæ sunt suprema attributorum genera quæ variis entibus convenire queunt, et ad quæ reducuntur omnes et singulæ speciales proprietates rerum. Porrò Kantius *duodecim* voluit esse categorias, quas in Ideologiâ declaravimus (n. 173).

Aristoteles autem, ut innuimus in Logicâ (n. 170) *decem* categorias admisit, nempe substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, spatium, tempus, habitum et situm. — Quam partitionem probatam S. Augustino (*De Trinit.*, lib. V, c. 7, n. 8), et S. J. Damasceno, Albertus M. (*De Prædicamentis*, tract. 1, c. 10), S. Bonaventura et D. Thomas (1) pro firmâ habuerunt.

116. *Porro aristotelica divisio tenenda est.* Enimvero sumitur ab ipsâ rerum *naturâ*, et est adæquata, membris opposita et rectè ordinata. Si enim res mundanas consideremus, aliæ quidem in seipsis existunt, v. g. homo, lapis; aliæ autem in aliis tanquam in subjecto recipiuntur, v. g. figura in corpore, et cogitatio in mente. Priores *substantiæ*, posteriores *accidentia* vocantur.

Accidentia porrò in universum distinguuntur in *intrinseca* et *extrinseca*, prout sunt in subjecto, vel ab extrinseco sumuntur. — *Intrinseca* autem dividuntur in *absoluta* et *relativa*, prout insunt subjecto in se considerato, vel in ordine ad aliud. Priora vel materiam rei, vel formam sequuntur, et continentur sub *quantitate* et *qualitate*.

Sed *accidentia extrinseca*, vel omnino extrinseca sunt, vel

(1) « Prædicatum ad subjectum tripliciter se potest habere. *Uno modo*, quum est id quod est subjectum, ut quum dico: Socrates est animal... et hoc prædicatum dicitur significare *substantiam primam* de qua omnia prædicantur. — *Secundo modo*, ut prædicatum sumatur secundum quod *inest* subjecto; quod quidem prædicatum, vel inest *per se* et *absolutè* ut consequens materiam, et sic est *quantitas*; vel ut consequens formam, et sic est *qualitas*; vel inest rei *non absolutè*, sed in *respectu ad aliud*, et sic est *ad aliquid*. — *Tertio modo*, ut prædicatum sumatur ab eo quod est *extra subjectum*, et hoc dupliciter. *Uno modo*, ut sit *omnino extra subjectum*, quod quidem, si non sit *mensura subjecti*, prædicatur per modum *habitus*, ut cum dicitur: Socrates est calceatus. Si autem sit mensura ejus, cum mensura extrinseca sit vel locus, vel tempus, sumitur prædicamentum vel ex tempore, et sic erit *quando*, vel ex loco, et sic erit *ubi*, non considerato ordine partium in loco, quo considerato, erit *situs*. — Alio modo, ut id a quo sumitur prædicamentum, *secundum aliquid sit in subjecto* de quo prædicatur. Et si quidem *secundum principium*, sic prædicatur ut in *agere*; nam actionis principium in subjecto est; si verò *secundum terminum*, sic prædicabitur ut in *pati*, nam *passio* in subjectum patiens terminatur. » (In V *Metaph.*, lect. 9).

partim extrinseca, partim intrinseca seu mixta. Accidentia omnino extrinseca variis modis subjectum afficiunt, quatenus vel ipsi simpliciter *adjacent*, ut *habitus*, vel ipsum etiam *mensurant*; hinc eorum divisio in *adjacentia* tantum, et in *mensurantia*. — At subjectum tripliciter mensurari potest, nempe quoad suam extensionem, vel suarum partium dispositionem in loco, vel suam durationem; inde *spatium*, *situs* et *tempus*.

Demum accidentia extrinseca, quæ aliquali ratione subjecto insunt, vel ab ipso *oriuntur*, ut *actio*, vel ad ipsum *terminantur*, ut *passio*, quæ terminatur ad patiens.

Novem igitur sunt accidentia, quorum quatuor rebus tum corporeis, tum incorporeis æquè conveniunt, nimirum *qualitas*, *relatio*, *actio* et *passio*; quinque autem corporibus sunt propria, nempe *quantitas*, *spatium*, *tempus*, *situs* et *habitus*.

447. Quanquam autem passio, actio, spatium, tempus, situs et habitus, quadamtenus accidentia relativa dici queant, nihilominus differunt ab accidente quod proprio nomine *relatio* nuncupatur. Nam, ut notat B. Albertus, relatio propriè dicta promanat ex *totâ* substantiâ subjecti quod ad aliud refertur, qualis est relatio Creatoris ad creaturam, heri ad servum. Cætera autem accidentia quæ relationis strictæ imaginem aliquam referunt, vel substantiæ sunt omnino extrinseca, vel saltem non a totâ substantiâ, sed ab aliquo tantum ejus principio, formali vel materiali, originem habent.

ARTICULUS II

De relatione inter accidentia et substantiam.

448. *Opiniones*. Quæritur utrum accidentia varia quæ insunt substantiæ, ab eâ distinguantur et ab eâ valeant separari. Porrò veteres philosophi realem distinctionem admiserunt. Juxta illos, substantia est *ens in seipso existens*, *idemque perseverans*, variantibus licet suis accidentibus; accidens

autem est *ens cui convenit esse in alio tanquam in subjecto* (1), v. g. virtus in homine.

Accidentia porrò dividuntur in *absoluta* et *modalia*; priora substantiam *immediatè* afficiunt, et in eam inducunt entitatem quamdam *novam*, posteriora autem nec substantiam ipsam immediatè afficiunt, nec in eam novam entitatem inducunt, sed ipsa accidentia absoluta modificant, quorum statum vel rationem essendi determinant: v. g. motus est accidens absolutum corporis, sed major vel minor ejus celeritas est accidens modale. — Docent insuper Scholastici accidentia omnia realiter a substantiâ distingui, et quædam ab eâ per miraculum separari posse.

Econtrario philosophi recentes, si Leibnitzium excipias, accidentium loco *modos* tantum admittunt, qui nihil aliud sunt nisi *ipsamet* substantia, altero vel altero modo *affecteda*; unde fluit modos a substantiâ separari nullo pacto posse, cum ab eâ non *re*, sed *ratione* tantum secernantur.

449. *Assertio 1^a*: *Viget realis distinctio inter substantiam et accidentia* (2).

Probatur 1^o ex naturâ potentie creatæ. Ex dictis in Anthropologiâ (n. 9) animæ potentiæ realiter ab essentiâ distinguuntur; sed id æquè valet pro cunctis entibus creatis. Nam in quovis ente creato sunt quædam attributa, quæ ab essentiâ illius *promanant* quidem, sed eam non *constituunt*, et sunt alia quibus indiscriminatim frui vel carere potest. — Imò attributa illa sunt ab invicem realiter distincta, varia, vel etiam opposita. Ergo nisi realiter a substantiâ distinguantur, jam ea constare debent ex proprietatibus diversis et oppositis, quod apertè repugnat.

2^o *Ex naturâ actionis creatæ*. Res omnes creatæ agunt; sed earum actio non potest esse nisi accidentalis; v. g. cogitatio aut volitio quam elicio in præsentia, est entitas realis et accidentalis, quippe additur menti meæ jam in suo esse constitutæ et in eâ subsistit.

(1) Accidens dicitur ab *accidere*, quia substantiæ *supervenit*.

(2) Cf. S. Basil., *Homil. VI in Hexameron.*, n. 3; et S. Augustin., *De Trinit.*, l. I, n. 11; *de Civ. Dei*, l. XI, c. 10, n. 2.

3^o *Ex naturâ mutationis.* Res creatæ omnes moventur simul et *identicæ* permanent : v. g. anima nostra nunc in eo, nunc in isto est statu, corpora autem moventur, augentur, immi- nuuntur, etc... At simul conscientia cuique testatur eandem animam esse quæ modò eas, modò illas affectiones experitur. — Item nemo non videt eandem remanere corporis substan- tiam, licet ejus moles augeatur, vel minuat. Porro quod fluit non potest esse res eadem ac illud quod permanet; sed prius accidentale quiddam præsefert, posterius autem merito dicitur substantia.

4^o *Ex consecrariis;* quia admissâ, ut in adversariorum opi- nione, jugi mutatione substantiarum creatarum, teritur iter scepticismo et pantheismo; *scepticismo* quidem, propterea quòd nihil omnino fixum remanet, sed omnia indesinenti fluxui laborant; *pantheismo* etiam, quia creaturæ, si univer- sali fluxu laborent, non merebuntur jam nomen substantiæ, sed habebuntur potius ut variæ modificationes divinæ sub- stantiæ (1).

5^o *Ex analogiâ fidei.* Enimvero *fides, spes, charitas, gratia habitualis*, aliud esse nequeunt nisi accidentia quædam super- naturalia, animæ nostræ *superaddita*. Nam alioqui, vel animæ extrinsecæ dici deberent, quod veritati catholicæ ad- versatur; vel ab animâ ipsâ non distinguerentur, ipsaque animæ substantia supernaturalis foret, quod repugnat, quia augeri possunt vel amitti, animâ remanente.

120. *Assertio 2^a : Inspectâ ratione accidentis, non repu- gnat illud a substantiâ connaturali per miraculum separatum existere.*

Ad hoc enim duo sufficiunt : scilicet 1^o ad accidentis essen- tiam non pertinere actualem inhæsiorem in substantiâ, et 2^o eam omnipotentiâ Dei frustrari et suppleri posse. Porro hæc duo constant.

(1) Rectè Leibnitzius : « Si la substance créée est un être successif... comme ses accidents..., pourquoi ne dira-t-on pas, comme Spinoza, que Dieu est la seule substance et que les créatures ne sont que des acci- dents ou des modifications? Jusqu'ici on a cru que la substance de- meure et que les accidents changent, et je crois qu'on doit se tenir encore à cette ancienne doctrine. » (*Essais de Théod.*, part. III, n. 393).

Constat 1^{um}, quia ex unâ parte, accidens habet entitatem propriam, a substantiâ realiter distinctam; et ex aliâ parte, minimè repugnat eam sustentari ab alieno subjecto, quod habeat eandem vim ac substantia ipsi connaturalis.

Sanè quidem accidentibus *naturale* est ut in propriis sub- stantiis actu inhæreant, sed tamen ad eorum *essentiam* non actualis, sed *aptitudinaria* tantùm inhæsiō pertinet.

Constat 2^{um}. Ut argumentatur S. Thomas, « idem est ju- dicandum de productione rerum, et de conservatione earum in esse. Divina autem virtus potest producere effectus qua- rumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secun- dis, sicut potuit formare hominem sine semine, et sanare febrem sine operatione naturæ; quod accidit propter infi- nitatem virtutis ejus, et quia omnibus causis secundis lar- gitur virtutem agendi; unde et effectus causarum secunda- rum conservare potest in esse sine causis secundis. » (*Cont. Gent.*, l. IV, c. 65).

Quamobrem « Deus, qui est *prima causa* substantiæ et « accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest « in esse accidens, subtractâ substantiâ, per quam conser- vabatur in esse sicut per propriam causam. » (3^a, q. 77, a. 1, c).

121. Quod autem ratio sola non nisi *possibile* esse declarat, theologia *existere* docet in sanctissimo Eucharistiæ sacra- mento, in quo, subtractâ propriâ substantiâ, accidentia panis et vini supra naturæ ordinem virtute Dei sustentantur (*Lo- gica*, n. 43).

Divi accidens, ratione accidentis, a subjecto sibi connatu- rali separari posse, quia nonnulla accidentia separationem istam renunt : v. g. cogitatio et volitio a substantiâ cogitante, motus a mobili separari non valent. Hoc autem non habent ex naturâ communi accidentis, sed ex suâ *speciali* naturâ, quæ non patitur ea concipi sine connaturali suo subjecto.

CAPUT II

DE CATEGORIIS SIGILLATIM INSPECTIS

121. Suprà diximus decem categorias distingui, substantiam nimirum novemque accidentia; de quibus speciatim agendum est; et hunc inter eas ordinem tenebimus quem iis ipsa attribuit natura. Quocirca loquemur primò de substantiâ, quæ omnium accidentium est fons et subjectum, postea de accidentibus absolutis et intrinsicis, demum de accidentibus relativis et extrinsecis.

ARTICULUS I

De substantiâ (1).

Præstat 1° declarare sinceram substantiæ notionem; 2° refellere falsas ejus definitiones a quibusdam philosophis exco-gitatas; 3° ejus existentiam stabilire; 4° varias ejus species exponere.

§ I. — De sincerâ notione substantiæ.

122. « Nomen substantiæ, » ait D. Thomas, « imponitur a *substanto* » (in *I Sent.*, dist. 8, q. 4, a. 2) et id significat quod sub aliis *substare*, *substerni* ac *permanere* cernitur.

Quoad rem, si, ut dicit D. Thomas substantia « possit habere definitionem, non obstante quòd est *genus generatissimum*, erit ejus definitio, quòd est *res cujus quidditati debetur esse non in aliquo.* » (*Qq. dispp.*, de *Pot.*, q. 7, a. 3, ad 4), sive cui convenit esse in seipsâ, non autem in aliâ

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 5 : *La substance*.

re tanquam in subjecto. Talis est v. g. arbor, animal, homo.

Substantia igitur non propriè significat essentiam, sed specialem ejus existendi modum, quo nempe in seipsâ existit (1).

Porrò substantia in seipsâ subsistere dicitur, non quia *per se* substitit nec habet causam sui; siquidem ratio substantiæ nec includit, nec excludit ordinem ad causam sui efficientem, sed quia est ens cui convenit esse in seipso, non autem in alieno subjecto.

123. *Varie proprietates substantiæ.* Prima et præcipua substantiæ nota est quòd subjectum sui non habeat; 2^a est quòd eadem immobilisque permaneat; unde axioma scholasticum: *Substantia non suscipit magis nec minus*; — substantia enim, quatenus in se existit, consistit in *indivisibili* (2). — 3^a Substantia significat ens *maximè reale*, eo quòd non tantum est, sed suum esse in seipsâ possidet, dum accidens « dicitur magis entis, quàm ens, » quia est in alio (3). — 4^o Contrarium non habet, uti fit in accidentibus. — 5^o Substantia omnis *creata* quibusdam accidentibus subjicitur. — 6^o Substantia *creata* potest accidentia varia, imò contraria, diversis temporibus accipere, et immotam interim suam servare identitatem.

(1) Quia tamen soli essentiæ convenit existere in seipsâ, cum D. Thomâ dicendum est: « Substantia dupliciter dicitur: uno modo, pro essentia sive naturâ; alio modo, pro supposito, sive hypostasi. » (3^a, q. 2, a. 6, ad 3).

(2) De quo rectè D. Thomas: « Cum dicitur quòd substantia non recipit magis et minus, non intelligitur quòd una species substantiæ non sit perfectior quam alia; sed quòd unum et idem individuum non participet suam speciem quandoque magis, quandoque minus; nec etiam a diversis individuis participatur species substantiæ secundum magis et minus. » (1^a, q. 93, a. 3, ad 3).

(3) « Illud propriè dicitur esse, quod ipsum *habet* esse, quasi in suo esse subsistens. Unde solæ substantiæ propriè dicuntur entia, accidens verò non habet esse, sed *eo* aliquid est, et hac ratione dicitur ens, sicut albedo dicitur ens, quia eâ aliquid album est album. » (S. th. 1^a, q. 90, a. 3, c).

§ II. — De falsis quibusdam substantiæ definitionibus.

124. Præ aliis famosiores sunt definitiones a Lockio, Leibnitzio et Spinosâ excogitatæ.

Lockius substantiæ nomine intelligit « *complexionem quæ a litatum, quas sensu percipimus, ignotâ ratione coexistentium.* » (*Essai sur l'entendement humain*, l. II, c. XXIII, § 1 et 2). Cum eo sentiunt omnes hodierni positivisti. — Leibnitzius (*De 1^a philosophiæ emendat. et de substant. definit.*), quem Kantius aliique recens secuti sunt, substantiam vim aliquam aut causam esse definivit. — Spinosâ autem, ut pantheismo viam faceret, eam substantiæ definitionem adinvenit, quæ soli Deo posset convenire; eam nempe vocavit « *ens quod in se est et per se concipitur; hoc est, id cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat.* » (*Ethic.* pars 1^a, defin. 3) (1).

125. PROP. 1^a: *Falsa est Lockiana substantiæ definitio.*

Probatum quia 1^o complexio qualitatum eandem naturam habet ac singulæ qualitates ex quibus conflatur. Porrò qualitates non sunt nisi accidentia quæ in subjecto quodam sibi connaturali recipiuntur ac subsistunt, et ne partialiter quidem habent vim ad constituendam substantiam.

2^o Complexio qualitatum, quatenus *coexistentium*, præsupponit *vinculum commune*, vi cuius colliguntur et coexistent. Sed istud vinculum vel in se subsistit, et jam causam habemus et illud dicimus substantiam; vel non in se subsistit, sed in alio quod tandem in se existat sitque substantia, nisi progressus in infinitum admittatur.

126. PROP. 2^a: *Falsa est Leibnitziana substantiæ definitio.*

1^o Vis præsupponit existentiam, imò essentiam subjecti jam constitutam, nedum eam constituat; nam vis existit in eo cuius est vis, ac nequit agere, aut agere tali vel tali modo, nisi existat in tali vel tali subjecto.

(1) Spinosâ porrò abusus est æquivocâ istâ cartesianâ definitione substantiæ: « *Res quæ ita existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum.* » (*Princip. philos.*, t. I, n. 13).

2^o Vis aut causa nec *formalem*, nec *essentialem* substantiæ rationem declarat. Nam etsi omnis substantia sit vis aut causa, tamen non est causa quatenus substantia, sed quatenus potentiis instructa. Quippe quidem per seipsam inspecta, non significat ens, nisi quatenus in se subsistens. — Ex aliâ autem parte, accidentia multa sunt etiam vires, v. g. vis gravitatis, vis motrix, vis sensitiva et variæ generatim rerum proprietates. Definitio igitur leibnitziana nec *toti*, nec *soli* definito convenit.

127. PROP. 3^a: *Falsa est substantiæ definitio a Spinosâ confecta.*

Enimvero essentialia est substantiæ ut in seipsâ existat, sed accidentale ut a se ipsâ subsistat; potest enim indifferentem a seipsâ existere, ut Deus, vel ab alio produci, ut substantiæ creatæ. Et revera, ante cognoscimus nos ipsos et alia quædam entia mundana substantias esse, quàm sciamus nobis et illis datam fuisse existentiam ab ente primo, quod per se sit et per se concipiatur.

§ III. — De substantiarum existentia.

128. *Positivisti* negant existere substantias et eas revocant ad collectionem partium (1).

At verò substantiarum existentia probari potest:

1^o *Sensu hominum communi*; quippe nomen substantiæ est veluti fundamentum ac substratum *sermonis*, eamque omnes homines in ore habent et intelligunt ut *præcipuum* ac *permanente* rerum entitatem.

2^o *Experientiâ cum externâ, tum internâ*. Etenim videmus phænomena sive accidentia sibi succedere in ente aliquo eodem permante; v. g. in hac arbore, in isto animali. Aliunde intimè nobis *conscii* sumus substratum quoddam in nobis

(1) « *La substance est le tout : les qualités sont les parties.* » Taine, *Les Philosophes français*, c. x. « *Nous pensons qu'il n'y a ni esprit, ni corps, mais seulement des groupes de mouvements présents ou possibles et des groupes de pensées présentes ou possibles.* » (*Le Positivisme anglais*, p. 114).

esse quod idem perseverat sub variis mobilibusque sensationibus, cogitationibus et volitionibus, quæ sibi in nobis jugiter succedunt.

3^o *Ratione*, quia fieri nequit ut nihil subsistat. Si enim dantur accidentia, oportet ut subjecto cuidam accidant in quo recipiantur, quodque nulli alii insit, sed in seipso subsistat; alioquin progressus in infinitum induceretur. Itaque notionem et existentiam substantiarum colligimus methodo planè *scientifica*, nimirum experientiâ et ratione.

Attamen concedendum est priùs et clariùs accidentia seu phænomena rerum a nobis agnosci quàm substantiam, quia hæc distinctè sensibus occurrunt, eam verò potiùs *indirectè* et quatenus sub accidentibus involvitur apprehendimus.

§ IV. — De variis substantiæ speciebus.

Substantia dividitur in primam et secundam; prima autem in completam et incompletam; completa porrò in suppositum et personam. De quibus, triplici puncto sigillatim agendum est.

PUNCTUM I. — De substantiâ primâ et secundâ.

429. Percelebris est substantiæ divisio ab Aristotele tradita, in primam et secundam. Substantia prima ea est quæ nec in *subjecto existit, nec de subjecto prædicatur*; v. g., Socrates qui nec ulli subjecto inest, nec de subjecto prædicatur. At substantia secunda non est quidem in *subjecto, sed de subjecto prædicatur*; complectitur essentias universales, quæ substantiale quiddam exhibent, sed individuis attribuuntur; v. g. humanitas (1); dicitur enim: Aristoteles est homo. Vocatur autem *secunda*, sive quòd priùs a nobis cognoscuntur individua, posteriùs autem, per considerationem mentis, ab eis abstrahuntur essentia universales; sive quòd istæ essentia non subsistunt nisi ratione individuorum, in quibus existentiam habent.

(1) Substantia prima dici solet *physica*, secunda autem *metaphysica*.

Quia verò de ideis aut essentiis universalibus satis in Ideologia disputavimus, restat ut impræsentiarum de substantiâ primâ dicamus, et *causam* inquiramus unde res singulares *individua* sint. — Quâ in re declarare licet 1^o statum et momentum quæstionis; 2^o varias opiniones; 3^o veriore sententiam.

430. I. *Status et utilitas quæstionis*. Inter substantias singulares, aliæ tum specificè, tum numericè differunt, ut hæc arbor ab isto leone; aliæ conveniunt specie, et solo numero differunt, ut Socrates et Plato. Quapropter quæstio est ut declaretur undenam et cur duo vel plura entia ejusdem speciei differant numericè? — Quia verò plura individua *intrinsecus* differunt, oportet id quo differunt iis etiam intrinsecum esse. — Præterea, cùm individuum non sit merum accidens, verùm substantia, id quo individua numericè discrepant, substantiale quoque sit oportet.

Porrò quæstio de origine individuationis certam præ se fert utilitatem. Nam plurimùm confert ad *personalitatem* hominis his interris declarandam, ac post mortem vindicandam. — Confert etiam ad meliùs distinguendas proprietates *speciei* a proprietatibus *individui*, necnon ad pleniùs statuendum discrimen inter substantias spirituales et materiales. — Confert demum ad rectè statuendum munus ac relationes materiæ et formæ in compositis. — Hinc est cur veteres philosophi non tantùm universalium, verùm etiam individuarum rerum naturam multâ curâ expenderint; in primis D. Thomas, cujus theoria de individuo tam fortiter ab eo inculcatur et cum tot ac tam gravibus aliis quæstionibus connectitur, ut sine illâ universa ejus philosophia imperfectè admodum intelligi possit (1).

Quia verò substantia individua duplex distinguitur, nempe *composita* et *simplex*, utriusque investiganda est individuatio.

431. II. *De principio individuationis substantiarum compositarum*.

(1) Cf. *De ente et essentiâ*, c. 6, et 1^o, q. 50, a. 4, q. 76, a. 2, *Qq. dispp. de Pot.*, q. 3, a. 9, ad 7.

Agitur de substantiis quæ constant ex materiâ et formâ, scilicet de homine, necnon de entibus ipsi inferioribus.

Porrò eâ de re quintuplex est philosophorum sententia. Nam Aristoteles, Albertus M., S. Bonaventura, D. Thomas et major pars scholasticorum docent principium individuationis substantiarum compositarum esse *materiam signatam quantitate*, seu in ordine ad quantitatem inspectam. — Zarabella, cum paucioribus aliis, principium individuationis ex formâ repetit.

Scotus (in 2 *Sent.*, dist. 3, q. 6, n. 15 et 16), tenet res individuas fieri ex *speciali* quadam entitate quam obscurè admodum definit, sed dicit esse *ultimam* entis realitatem, a formæ entitate non reipsa, at ratione tantum distinctam. Nimirum ea videtur esse ipsa formæ entitas, non quatenus determinat ens in suâ specie, sed quatenus efficit ut ens sit *hoc* potius quam *illud*; unde scotistæ dixerunt eam *hæcçentatem*. — Suarezius (*Disp. Metaph.*, disp. 5), cui Leibnitzius adhæsit (in *opusc. Individui*) principium individuationis rerum haurit ex earum entitate *totâ*. — Fenelonius (*Exist. de Dieu*, 2 p., c. 4) et Rosminius ponunt illud in ipsâ *existentiâ*.

133. III. Assertio: *In substantiis compositis principium individuationis est materiâ, in ordine ad quantitatem spectata.*

Thesis probatur directè et indirectè.

1° Probatio *directa* ducitur ex ipsâ individui definitione. Individuum definitur *ens indivisum in se et divisum a quolibet alio*, scilicet alteri omnino incommunicabile. Si autem agatur de rebus compositis, accedit individuo quòd tempore et loco mensuretur. — Quare principium individuationis duplicem hanc dotem adimpleat oportet. Porrò in rebus compositis, duplici principio substantiali constat individuum, materiâ nimirum et formâ. Ergo ex alterutro ratio individui sumenda est. Porrò non forma, sed materiâ sola, in ordine ad quantitatem considerata, duas individui notas præ se fert.

Nam, ut notat D. Thomas, forma ex se universalis est, et de « suâ naturâ communicabilis et in multis recipi potest et » recipitur secundum *unam* rationem, quum sit una ratio

« speciei in omnibus individuis. » (*De Ente et essentiâ*.) — Insuper forma, utpote simplex et universalis, a loco et tempore abstrahit. Cum ergo nihil individuale præ se ferat, nequit esse principium individuationis.

At *materiâ* notis *individuantibus* fruitur: non materiâ quidem *in universum* inspecta, quæ ad naturam corporum *in genere* duntaxat concurrat; nec materiâ *hujus* vel *illius speciei*, v. g. lapidis aut plantæ, quæ confert solum ad corpus in tali vel tali naturâ constituendum; sed materiâ, prout refertur ad quantitatem *determinatam*. Materiâ enim sic inspecta, ita est naturâ suâ individua et singularis, ut pluribus communicari non valeat; unde *per* eam ens aliquod est indivisum in se et divisum a quolibet alio. — Præterea, materiâ ad quantitatem relata, per se cadit sub conditiones individuantis temporis et loci, quippe tempore et loco circumscribitur.

Res declaratur *exemplo*: sume lapidem quemdam: inest ei unitas specifica et numerica; quem si divides in duas partes, in duplici parte una essentia erit ac duplex jam individuum. Hæc autem multiplicatio numerica ex divisione lapidis orta est; non quidem ex divisione essentiæ illius, ut patet, sed ex divisione quantitatis. Ergo multiplicatio, ac proinde distinctio numerica individuum ex multiplicatione aut divisione materiæ oritur.

Eadem argumentatio valet ad explicandam individuationem *hominis*, utpote qui materiâ et formâ similiter componitur.

Confirmatur, quia corpus individuari nequit ab animâ, sed anima optimè individuari potest a corpore.

Constat 1^{um}, præter jam dicta, eò quòd alioquin anima penè sola esset homo, et is individuus homo. Nam, ex una parte, anima corpori confert suam speciem vi cujus humanum vocatur, et, ex alterâ parte, suam etiam illi individuationem conferret; unde individuum completum *hujus* hominis aliud penè non esset nisi individuum completum *hujus* animæ, et corpus in homine et in individuo homine, vix alias præter accidentis gereret vices.

Constat 2^{um}, quia anima humana, si per seipsam inspicia-

tur, nihil habet cur sit *hæc* potius quàm *illa*, et Socratis potius quàm Platonis imaginem referat; si autem in *tali* vel *tali* determinato corpore, tanquam in subjecto recipiatur, jam illius individuum formam recipit. Cum enim anima humana aliæque formæ inferiores in materiâ, velut in subjecto recipiantur, pro ejus *capacitate* magis vel minus aut *contrahuntur*, aut *dilatantur*. Undè, cum nullum subjectum particulare vim earum specificam *exhaustiat*, prima ratio cur multiplicentur, est quòd in variis recipiantur subjectis.

Confirmatur adhuc, quia sententia D. Thomæ, et hæc quidem sola, optimè explicat varios effectus *hæreditatis* in viventibus, et quomodo filii parentibus similes esse soleant, non solum quoad qualitates corporis, verum etiam quoad qualitates animæ (1). (Cf. *Anthrop.* n. 265).

2° *Probatio indirecta* nostræ sententiæ, ex cæterorum systematum falsitate colligitur.

Nam 1° opinio quæ vult principium individuationis ex *formâ* repeti, satis jam refutata est.

2° *Scoti* systema eo urgeri potest dilemmate: Vel *hæc*ceitas realiter a formâ non differt, vel habetur ut quædam entitas specialis et superaddita; sed neutrum dici potest. — Non 1^{um}; quia si realis viget distinctio inter speciem et individuum, realis etiam distinctio vigere debet inter formam, quæ est principium speciei, et entitatem singularem, quæ est principium individui. — Non 2^{um}; quia entitas ista substantiæ in suo esse constitutæ addita, non nisi accidentaliter esse poterit; unde principium individuationis erit quid accidentale, quod jam supra (n. 130) improbavimus.

3° *Opinio Suarezii et Leibnitzii* non solvit quæstionem. Sanè individuum *actuale* ab aliis secernitur totali suâ entitate, seu omnibus notis quibus instruitur. At notæ illæ individui existentis jam sunt individuatæ, et plures sunt merè accidentales; non possunt igitur esse *principium* ac *radix* individuationis.

4° Contra opinionem Fenelonii et Rosminii notandum est

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 2° part., c. 4, a. 3.

existentiam, si consideretur in se, esse quid in quo res omnes *conveniunt*; unde nequit esse principium eorum differentiæ individualis. Cæterum, individuationem supponit, nedum efficiat; nam antea quam res ad existentiam veniant, oportet ut, in ordine possibilium, concipiantur individua et aliæ ab aliis distinctæ.

134. *Obj.* 1° *Quantitas* est accidentaliter et variabilis. Si ergo ab eâ sumatur individuatio, substantialiter esse non poterit.

R. *dist. ant.* *Quantitas actualis* est accidentaliter ac variabilis, *conc.*; ordo materiæ ad quantitatem, *neg.* Nam ordo ille substantiis compositis necessariò convenit, et ad prædicatum earum substantiale pertinet. — Præterea, licet moleculæ corporis mutantur, tamen eadem manet proportio inter ejus dimensiones et partes, eadem manent ejus lineamenta; quod satis est ut, formâ eadem remanente, individuum suam teneat identitatem substantialem. — Cæterum, quæcumque sint mutationes alicujus corporis, ejus materia semper remanet ei *propria*, et ipsum ab omnibus aliis substantiis distinguit.

135. *Obj.* 2° Anima, si corpore individuari dicatur, pereunte corpore, interire etiam debet.

R. *nego consequ.*; nam 1° anima humana, cum sit spiritualis, soluto corpore, servat suum esse, et proinde suam etiam individuationem. — 2° Anima non præcisè individua fit ex *actuali* suâ unione cum tali corpore, sed ex suâ ad illud *aptitudine* vel *unibilitate*. Porro pereunte corpore, suam ad illud unibilitatem servat, illi semper est *commensurata*, imò verò servat impressiones *singulares* ac *proprias* quas ex pristino suo cum corpore commercio accepit.

IV. *De individuatione substantiarum simplicium, sive Angelorum* (1).

(1) Angelorum existentia ex Theologiâ constat; sed potest ipsi Philosophi probabiliter persuaderi. Nam petitur ad universi complementum. naturam Dei omnino spirituales celebrat, et confert ad connexionem rerum. Unde D. Thomas: « Est in summo vertice id quod est omnibus modis simplex et unum, scilicet Deus. Non est igitur possibile quòd im-

136. Assertio: *Principium individuationis, in substantiis simplicibus, repetendum est ab earum formâ, quatenus specificè diversâ.*

PROB. 1^a PARS. Repetenda est diversitas numerica substantiarum simplicium a propriâ earum naturâ. Porrò earum natura, cum ab omni materiâ aliena sit, non consistit nisi in formâ. Ergo ab eâ tantum earum diversitas accipi valet.

PROB. 2^a PARS, quia formæ puræ, ut sunt angeli, non habent principium materiale quo distinguantur numericè, sed tantum principium formale, quod est principium distinctionis specificæ. Undè S. Thomas: « Ea quæ conveniunt specie et differunt numero, conveniunt in formâ, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materiâ et formâ, sequitur quòd impossibile sit esse duos Angelos unius speciei, sicut etiam impossibile est dicere quòd essent plures albedines separatae, aut plures humanitates, cum albedines non sint plures, nisi secundum quòd sunt in pluribus substantiis. » (1^a, q. 50, a. 4, c).

Confirmatur 1^o quia apud Angelos cessat finis quem intendit natura in multiplicandis individuis in eadem specie; multiplicantur enim individua vel ad conservandam speciem, quia in rebus materialibus individua intereunt, vel ad speciem melius representandam, ut quod deest uni, ab altero suppleatur. Porrò, ex unâ parte, Angeli sunt naturâ suâ immortales; et, ex alterâ parte, quilibet Angelus speciem suam planè repræsentat, quia eam plenè possidet, cum forma ejus in se solâ subsistat, nec recipiatur in materiâ, ex quâ limitari, contrahi vel impediri possit.

Confirmatur 2^o, quia ut advertit S. Thomas, ea specierum angelicorum multiplicatio in perfectionem mundi cedit; nam

mediatè sub Deo collocetur corporalis substantia, quæ est omnino composita et divisibilis; sed oportet ponere multa media per quæ deveniatur a summâ simplicitate divinâ ad corpoream multiplicatam; quorum mediorum aliqua sunt substantiæ incorporeæ, corporibus non unitæ. » (Q. dissp. de spiritual. creat., a. 4 et 1^a, q. 50, a. 1. — Hac ratione molli philosophi pagani clariores admiserunt existentiam angelorum, dæmonum nomine; ita Pythagoras, Socrates, Plato et Aristoteles.

species, in unaquaque re, individuo est perfectior. Ergo specierum multiplicatio plus addit perfectioni universi quàm multiplicatio individuorum ejusdem speciei.

Quòd attinet ad Deum, individuationem suam habet ex infinitâ entis sui puritate, quæ nulli alteri communicari potest, et vi cujus a rebus cunctis secernitur.

PUNCTUM II. — *De substantiâ completâ et incompletâ.*

137. Substantia completa ea est quæ omnes operationes naturæ suæ consentaneas per seipsam exercere potest, et est sui juris; v. g. homo, arbor. Substantia incompleta ea est quæ omnes operationes naturæ suæ consentaneas per seipsam exercere nequit, ideoque ad conjunctionem sui cum alterâ substantiâ naturâ destinatur.

Porrò substantia incompleta vel nullas operationes per se solam exercere potest, et intrinsecus ab alterâ substantiâ pendet; vel aliquas, sed non omnes suæ naturæ operationes exercere potest per seipsam, ac proinde habet esse proprium et subsistere potest absque substantiâ cui naturaliter jungitur. — Si prius, vocatur incompleta tum in ordine speciei, tum in ordine substantialitatis, et exemplo est anima belluina. — Si posterius, dicitur incompleta in ordine speciei, non autem in ordine substantialitatis, et exemplo est anima humana, quæ quasdam, sed non omnes operationes humanas per seipsam exercere potest. « Non enim, ait D. Thomas, aliquid est completum in specie, nisi habeat ea quæ requiruntur ad propriam operationem speciei. » (Q. unica de Animâ inter Dispp. a 1 (1).

138. Scholium 1^{um}. Itaque accidens inhæret substantiæ veluti subjecto; substantia incompleta non inhæret quidem alteri substantiæ velut subjecto, sed tamen existit cum alterâ substantiâ, et in composito cujus est pars et a quo perficitur;

(1) Huc etiam spectat divisio substantiæ in compositam et simplicem. Substantia composita in lineâ substantialitatis, ea est quæ coalescit ex pluribus substantiis incompleta; v. g. homo, animal; substantia autem simplex in lineâ substantialitatis, ea est quæ ex se sola est substantia sive completa, sive incompleta; v. g. Deus, angelus, anima humana, anima belluina.

substantia autem completa neque in aliâ, neque cum aliâ substantiâ existit, sed est sui juris.

139. *Scholium 2^{um}. De subsistentia.* Subsistentia est attributum vi cuius aliquod ens aptum est ad existendum in seipso. Porrò duplex est subsistentia; alia quidem stricta, alia autem latior. Prior convenit substantiæ omnino completæ et definitur perfectio quâ natura ultimò completur ratione substantialitatis et operationum, ut sit sui juris. Posterior est attributum vi cuius aliqua substantia incompleta in ordine speciei, completa est in ordine substantialitatis; hoc sensu anima humana dicitur subsistens.

PUNCTUM III. — De supposito et personâ.

140. Substantia cui propriè dicta subsistentia competit, vocatur suppositum vel persona, prout ratione caret, vel fruifur. Itaque suppositum definitur substantia completa et sui juris, sed ratione carens: v. g. arbor, lapis. — Persona autem, ut ait S. Thomas, « significat id quod est perfectissimum in totâ naturâ, scilicet subsistens in rationali naturâ. » (1^a, q. 29, a. 3, c). Potest igitur definiri: *Substantia completa, sui juris et intellectu prædita* (1); v. g. Deus, homo.

141. Ex his definitionibus intelligere licet duo axiomata vulgatissima: *Actiones sunt suppositorum et personarum. Actiones participant dignitatem vel indignitatem personæ.*

Et sane, v. g. homo intellectu intelligit et corpore deambulat, nec tamen intellectui intellectio, aut corpori deambulatio, sed homini propriè attribuitur. Non enim dicimus; intellectus meus intelligit, corpus meum deambulat, sed: ego intelligo, ego deambulo. — Et ratio quidem in promptu est; nam actiones sunt ejus cuius est esse, a quo ipsæ ultimò promanant. Porrò esse est suppositi vel personæ; intellectus autem et corpus subsistunt in composito humano, et ideo illi, non sibi agunt. (Cf. S. Th., 2^a 2^a, q. 58, a. 2).

Ratio verò secundi axiomatis est quòd actio vim ac similitudinem refert ejus cuius est; ergo et ejus dignitatis vel indignitatis particeps sit oportet.

Ad magis enucleandam quæstionem de personalitate et naturâ, quæri solet 1^o utrum subsistentia sit mera negatio, an quid positivum; 2^o utrum a naturâ singulari realiter distinguatur.

142. Assertio 1^a: *Subsistentia non est mera negatio, sed aliquid positivum.*

Probatur contra Scotum et quosdam recentes, qui suppositum aut personam ex solâ negatione unionis naturæ singularis cum perfectiore ente constitui opinantur.

1^o *Ex naturâ subsistentiæ.* Illud vi cuius substantia aliqua efficitur adæquatam suarum operationum principium, videlicet completa tum in ordine naturæ, tum in ordine substantialitatis, ac propterea sui juris, certam perfectionem denotat. Porrò talis est subsistentia, ex ipsâ definitione.

2^o *Ex analogiâ fidei,* scilicet ex SS. Trinitatis et Incarnationis mysteriis. — Si enim subsistentia sit mera negatio, personæ divinæ merâ negatione constituentur. Sed hoc admitti nequit, tenendumque est divinas personas rationibus realibus ac positivis, tametsi relativis constitui. — Quod autem attinet ad Incarnationis dogma, docet fides humanam naturam, non personam, a Verbo assumptam fuisse. Atqui hoc sensu omni destituitur, si persona nihil positivi a naturâ distincti præ se ferat.

Merito igitur D. Thomas: « Hoc nomen persona non est nomen negationis, sed rei ». (1^a, q. 30, a. 4, c).

143. Assertio 2^a: *In creatis, personalitas aut subsistentia realiter distinguitur a naturâ etiam singulari.*

Probatur 1^o *ex notione personæ.* Persona (ex dictis, n. 140, 142) est omnino completa, et ideo excludit omnem sui communicabilitatem. Porrò id asseri nequit de naturâ etiam singulari et individuâ. Non potest quidem inesse alteri, more accidentis, nec alteri communicari, ut pars naturæ incompletæ, quoniam est substantia, et quidem completa in lineâ naturæ. Sed potest uniri supposito, veluti quædam natura, ut in eo subsistat et ab eo possideatur (1). Ratio enim

(1) Unde S. Thomas: « Non quodlibet individuum in genere substantiæ (etiam in rationali naturâ) habet rationem personæ, sed solum illud quod

naturæ etiam individuæ nihil per se exhibet, unde a nobiliori supposito assumi non valeat.

2° *Ex analogiâ fidei*, nimirum ex mysterio Incarnationis; siquidem illud in eo consistit quòd natura humana *tota* assumpta sit a Verbo, ipsa autem propriâ personalitate careat.

3° *Ex comparatione cum accidenti*. Nam sicut accidentis essentia non in *actuali* inhæsiōne in proprio subjecto consistit, sed in *aptitudine* ad inhærendum in illo; ita natura vi suæ essentiæ non habet ut *actu* in se ac per se subsistat, sed tantùm *aptitudinem* naturalem ut subsistat in se et per se. — Et velut accidens per miraculum privari potest adhæsiōne actuali in connaturali substantiâ, ac virtute alienæ substantiæ sustentari, ita etiam per miraculum, natura vel completa privari potest subsistentiâ propriâ, ut ab altero supposito assumatur, in quo subsistentiæ rationem obtineat.

Itaque natura etiam singularis accipit a subsistentiâ reale quoddam *complementum*, non quidem *ut natura*, sed *ut subsistens*; quippe non suâ vi, sed vi subsistentiæ, sibi additæ, subsistit. (Cf. S. Th., 3^a, q. II, a. 2, c; a. 3, ad 2, q. XXII, a. 1, 2; q. IV, a. 2).

Dicimus in rebus creatis; quia in Deo, propter infinitam ejus simplicitatem ac perfectionem, persona non realiter discernitur ab essentiâ

144. Corollarium. Ex dictis circa personam, sequitur eos errare qui eam definiunt *naturam sui consciam*, vel qui cum Lockio personæ identitatem in *præteritarum affectionum propriarum memoriâ, et præsentium conscientiâ consistere* arbitrantur.

Prior sententia multis vitiis laborat: nam 1° naturam a personâ non distinguit; — 2° conscientia, cum sit operatio animi, naturam constituere hand potest, sed ab eâ jam constitutâ promanat; — 3° jam sequeretur in Divinis unicam personam esse, quia una est natura; et Jesu Christi duplicem

per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori. » (3^a, q. 2, a. 2, ad 3).

esse personam, quia duplex est illius natura ac duplex conscientia.

Repelli etiam debet Lockiana sententia. Nam personæ identitas reponi nequit in aliquâ operatione, maximè verò in operatione mutabili ac variâ, qualis est memoria, aut conscientia actualis; siquidem modò harum, modò illarum operationum memoriâ vel conscientiâ fruimur, et eâ etiam nonnunquam destituimur omnino. — Insuper conscientia identitatem personæ *supponit*, nedum constituat. Nam ideo varias nostras affectiones nobis attribuimus, quòd identitatis nostræ sumus conscii et intimè sentimus eosdem nos esse qui olim eas operationes exercuimus, nunc autem alias elicimus.

ARTICULUS II

De quantitate.

145. Quantum dicitur quod *divisibile* est in plures partes; unde quantitas definiiri solet *accidens illud quo substantia in plures partes dividi potest*.

Dicemus 1° de naturâ quantitatis; 2° de illius speciebus; 3° de illius infinitate.

§ I. — De quantitatis essentiâ.

146. Philosophi non conveniunt in definiendâ quantitatis essentiâ. Nam alii putant eam in *divisibilitate* consistere; alii in extensione partium *internâ*, seu in ordine *ad se*; alii demum in extensione partium *externâ*, seu in ordine ad locum. Prior sententia propugnata est a D. Thomâ et aliis; 2^a patronos habet quosdam scholasticos; 3^a Cartesio placuit.

147. Assertio: *Essentia quantitatis in divisibilitate consistit, non autem in extensione partium nec internâ, nec externâ.*

Essentia cujusque rei illud est quod primùm in eâ concipitur, et a quo cæteræ proprietates ejus defluunt. Atqui talis est divisibilitas relativè ad quantitatem.

naturæ etiam individuæ nihil per se exhibet, unde a nobiliori supposito assumi non valeat.

2° *Ex analogiâ fidei*, nimirum ex mysterio Incarnationis; siquidem illud in eo consistit quòd natura humana *tota* assumpta sit a Verbo, ipsa autem propriâ personalitate careat.

3° *Ex comparatione cum accidenti*. Nam sicut accidentis essentia non in *actuali* inhæsiōne in proprio subjecto consistit, sed in *aptitudine* ad inhærendum in illo; ita natura vi suæ essentiæ non habet ut *actu* in se ac per se subsistat, sed tantùm *aptitudinem* naturalem ut subsistat in se et per se. — Et velut accidens per miraculum privari potest adhæsiōne actuali in connaturali substantiâ, ac virtute alienæ substantiæ sustentari, ita etiam per miraculum, natura vel completa privari potest subsistentiâ propriâ, ut ab altero supposito assumatur, in quo subsistentiæ rationem obtineat.

Itaque natura etiam singularis accipit a subsistentiâ reale quoddam *complementum*, non quidem *ut natura*, sed *ut subsistens*; quippe non suâ vi, sed vi subsistentiæ, sibi additæ, subsistit. (Cf. S. Th., 3^a, q. II, a. 2, c; a. 3, ad 2, q. XXII, a. 1, 2; q. IV, a. 2).

Dicimus in rebus creatis; quia in Deo, propter infinitam ejus simplicitatem ac perfectionem, persona non realiter discernitur ab essentiâ

144. Corollarium. Ex dictis circa personam, sequitur eos errare qui eam definiunt *naturam sui consciam*, vel qui cum Lockio personæ identitatem in *præteritarum affectionum propriarum memoriâ, et præsentium conscientiâ consistere* arbitrantur.

Prior sententia multis vitiis laborat: nam 1° naturam a personâ non distinguit; — 2° conscientia, cum sit operatio animi, naturam constituere hand potest, sed ab eâ jam constitutâ promanat; — 3° jam sequeretur in Divinis unicam personam esse, quia una est natura; et Jesu Christi duplicem

per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori. » (3^a, q. 2, a. 2, ad 3).

esse personam, quia duplex est illius natura ac duplex conscientia.

Repelli etiam debet Lockiana sententia. Nam personæ identitas reponi nequit in aliquâ operatione, maximè verò in operatione mutabili ac variâ, qualis est memoria, aut conscientia actualis; siquidem modò harum, modò illarum operationum memoriâ vel conscientiâ fruimur, et eâ etiam nonnunquam destituimur omnino. — Insuper conscientia identitatem personæ *supponit*, nedum constituat. Nam ideo varias nostras affectiones nobis attribuimus, quòd identitatis nostræ sumus conscii et intimè sentimus eosdem nos esse qui olim eas operationes exercuimus, nunc autem alias elicimus.

ARTICULUS II

De quantitate.

145. Quantum dicitur quod *divisibile* est in plures partes; unde quantitas definiiri solet *accidens illud quo substantia in plures partes dividi potest*.

Dicemus 1° de naturâ quantitatis; 2° de illius speciebus; 3° de illius infinitate.

§ I. — De quantitatis essentiâ.

146. Philosophi non conveniunt in definiendâ quantitatis essentiâ. Nam alii putant eam in *divisibilitate* consistere; alii in extensione partium *internâ*, seu in ordine *ad se*; alii demum in extensione partium *externâ*, seu in ordine ad locum. Prior sententia propugnata est a D. Thomâ et aliis; 2^a patronos habet quosdam scholasticos; 3^a Cartesio placuit.

147. Assertio: *Essentia quantitatis in divisibilitate consistit, non autem in extensione partium nec internâ, nec externâ.*

Essentia cujusque rei illud est quod primùm in eâ concipitur, et a quo cæteræ proprietates ejus defluunt. Atqui talis est divisibilitas relativè ad quantitatem.

1° Divisibilitas *primum* in quantitate concipitur. Etenim quantum, ex ipsâ definitione, illud est quod constat pluribus partibus. Porrò quantum non concipitur habere plures partes, nisi prius concipiatur ut divisibile; et divisibilitate ipsâ plures partes distinctæ in illud statim inducuntur. Semotâ enim divisibilitate, omne ens concipitur ut unum.

Partes autem corporis *inter se ordinari* (ut vult extensio interna) haud queunt, nisi prius aliæ ab aliis distinguantur et mente saltem dividantur. Unde S. Thomas: « Divisio est *causa multitudinis*, et est prior secundum intellectum *quam multitudo.* » (*Qq. dispp. de Pot.*, q. 9, a. 7, ad 15); et alibi: « Ratio quantitatis consistit in quadam divisibilitate. » (*In 1 Sent.*, dist. 19, q. 1, a. 1).

Rursus, extensio partium *externa* seu in ordine ad locum, extensionem internam præsupponit. Nam prius est partes esse extensas in ordine ad se, quam tali vel tali spatio circumscriptas. — Cæterum, quum quantitas sit accidens *absolutum*, definiri non potest ex relatione suâ ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum.

2° Ex divisibilitate omnes quantitatis proprietates *defluunt*. Omnes enim in extensione aut internâ, aut externâ fundamentum habent; sed extensio partium cum interna, tum externa ex divisibilitate ipsâ, tanquam a radice defluit.

II. De speciebus quantitatis.

148. Quantitas dividitur in quantitatem *dimensionam*, quæ propriè quantitas vocatur, et quantitatem *virtualem*, quæ ad res incorporeas per *metaphoram* transfertur, ad earum *perfectionem* designandam.

Quantitas dimensioniva nomen suum haurit a dimensionibus quibus constat, ac dividitur in *continuum* et *discretam*, prout partes ejus *uno communi vinculo ac termino colligantur*, vel *singulæ a singulis actu distinctæ et separatæ existunt*, quamvis contactu quodam fortassis copulatæ: v. g. corpus humanum est quantitas continua, lapidum acervus quantitas discreta. Prior, *magnitudo* seu *moles*, posterior, *multitudo* seu *numerus* nuncupatur.

Ex dictis colligere est propriam quantitatis rationem quan-

titati *continuae* competere. Quantitas namque discreta est potiùs multitudo quædam plurium quantitatum, ac proinde quantitatem continuam præ se habet. Imò verò enascitur ex divisione quantitatis continuæ.

Rursus, quantitas sive continua sive discreta potest *esse permanens*; v. g. linea; vel *successiva*; v. g. motus, tempus.

149. *Scholium de numero*. Quantitas gignit *numerus*, qui a D. Thomâ definitur « *multitudo mensurata per unum.* » (1^a, q. 7, a. 4, c).

Sed numerus dividitur in *transcendentalem* et *prædicamentalem*. Quando multitudo quæ numerationi subicitur, est rerum *quarumcumque*, sive materialium, sive spiritualium, obtinet numerus *transcendentalis*; v. g. duo homines, tres angeli, quatuor virtutes cardinales. Numerus *transcendentalis* fundatur in unitate *transcendentali*, ac proinde competit omnibus rebus aptis ad multitudinem formandam per hanc unitatem *mensurabilem*. — Quando verò multitudo numerationi subjecta, est partium quantitatis *continuae*, vocatur numerus *prædicamentalis*.

150. Porrò numerus *prædicamentalis* solus dicitur propriè numerus, dum numerus *transcendentalis* non est numerus nisi latiori significatione. *Probat*, quia ibi est numerus propriè dictus, ubi variæ distinguuntur unitates *homogeneæ*, aptæ ad formandam unitatem *naturalem*, quæ scilicet suapte naturâ inter se ordinantur, aliæ ab aliis pendent, et ex suâ conjunctione totum propriè dictum efficiunt. Sed in solâ quantitate *continua* inveniuntur hujusmodi unitates.

At numerum latè sumpsum constituunt res aliter ordinatæ, sive corporeæ, sive incorporeæ, quatenus multitudinem *accidentalem* formantes. In his, inquam, rebus, ratio numeri non videtur esse *objectiva*, sed magis pendet a consideratione intellectus qui inter eas unitates ordinem quemdam instituit ac primam et ultimam unitatem recenset. (Cf. Suarez, *Disp. Metaph.*, t. 2, disp. 41, sect. 2) (1).

(1) Distinguitur adhuc numerus *numerans*, i. e. abstractus, qui concipitur seorsum a rebus numeratis; v. g. octo, decem; et numerus *nume-*

III. De infinitate quantitatis.

151. PROP. 1^a: Magnitudo sive quantitas continua, concretè sumpta, actu infinita nequit esse, sed abstractè sumpta, infinita in potentiâ concipitur.

PROB. 1^a PARS contra Balmès. 1^o Omne corpus habet finitam substantiam et certam figuram; sed finita substantia non nisi finitam quantitatem habere potest; et figura *terminationem*, sive limites continuo imponit. — 2^o Corpus magnitudine infinitum moveri haud posset, quum omnia occuparet loca; et ideo nec posset agere, quia omnis corporum actio per motum absolvitur.

PROB. 2^a PARS, ex eo quòd quantitatem continuam, abstractè inspectam, sine fine augere nobis licet.

152. PROP. 2^a: Quantitas discreta seu multitudo, non actu, sed potentiâ infinita esse potest.

PROB. 1^a PARS contra Leibnitzium. — Illud actu infinitum dicitur quod neque augeri, neque imminui potest. Porrò nulla multitudo ea est quæ augeri vel imminui haud queat. Nam quæcumque fuerit, licet ei unitatem vel addere, vel subtrahere.

PROB. 2^a PARS. 1^o Illud potentiâ infinitum est quod sine fine potest augeri. Atquæ talis est numerus, cui alium atque alium semper adicere licet. — 2^o Et verò, ut argumentatur D. Thomas, « augmentum multitudinis consequitur divisionem magnitudinis; quantò enim aliquid plus dividitur, « tantò plura secundum numerum resultant. Unde, sicut « infinitum invenitur in potentiâ, in divisione continui, « eadem ratione etiam infinitum invenitur in potentiâ, in « additione multitudinis » (1^a, q. 7, a. 4, c).

ARTICULUS III.

De qualitate.

Dicendum est 1^o de illius natura et proprietatibus; 2^o de variis illius speciebus.

ratus, qui consistit in rebus ipsis numerabilibus, quibus applicamus numeros mente conceptos.

§ I. — De naturâ et proprietatibus qualitatis.

153. I. Qualitas, latius accepta, designat quidquid de substantiâ per modum accidentis prædicari potest.

At strictè definitur: « accidens modificativum seu dispositivum substantiæ in seipsâ. »

Dicitur 1^o accidens, quia substantiæ in suo esse constitutæ superadditur, et non rarò mutatur, substantiâ eadem remanente; v. g. homo ex ignaro doctus, ex ægro sanus evadit.

Dicitur 2^o accidens modificativum substantiæ in seipsâ, quia substantiam intrinsecus afficit, et in eam immediatè inducit entitatem quæ specialem essendi modum ei adicet; v. g. scientia, virtus.

154. II. Triplicem qualitati proprietatem jure attribuit Aristoteles: 1^o habet contrarium, ut virtus vitio adversatur; — 2^o suscipit magis aut minus, ut patet de sanitate aut scientiâ; exceptâ figurâ quæ, quum quantitatem sequatur, magis aut minus haud recipit; 3^o fundamentum præstat similitudini ac dissimilitudini; nam sicut æqualia dicimus quæ quantitate, ita similia quæ qualitate conveniunt.

§ II. — De variis speciebus qualitatis.

155. III. Qualitatis quadruplex species distinguitur, quia quadrifariam substantia modificari potest intrinsecus; vel æquè quantum ad esse aut operari, vel solum quantum ad operari, vel quantum ad passionem aut alterationem quamdam sensilem, vel quantum ad partes quantitativas. (Cf. S. Th., 1^a 2^e, q. 49, a. 2, c).

1^o Substantia quantum ad esse suum vel operari modificari potest ut bene vel malè se habeat, et quidem duplici ratione: si enim modificatio sit difficilè mobilis, vocatur *habitus*; v. g. sanitas, scientia; si autem fuerit facilè mobilis, dicitur simplex *dispositio*; v. g. opinio, suspicio.

2^o Dupliciter quoque substantia ad operationem disponi valet, nempe bene vel male. Si prius, vel adest simplex po-

tentia; v. g. intellectus, voluntas communis; vel habet *specialem* vim seu perfectionem; v. g. intellectus acutus. — Si *posterius*, aderit *impotentia*, quæ potest esse absoluta v. g. cœcitas, vel relativa, v. g. quædam ingenii hebetudo.

3^o Quòd si qualitas passionem alterationemve sensibilem in subjectum inducat, vel ista modificatio citò transit; v. g. pallor, qui ex repentino metu oritur; vel diu manet; v. g. pallor qui oritur ex longo morbo; si prius, *passio*; si posterius, *qualitas patibilis* vocatur.

4^o Demum, ex variâ partium dispositione oritur *forma* vel *figura*: talis est figura pyramidis aut arboris. Porrò forma non reipsa, sed *ratione* tantùm a figurâ discriminari videtur, et in rebus *naturalibus*, partium dispositio dicitur figura; v. g. figura hominis; in rebus autem *artificialibus* forma nuncupatur; v. g. forma domûs vel tabulæ.

Ex dictis patet duo priora genera qualitatis substantiis materialibus et spiritualibus æquè convenire, posteriora autem substantiis materialibus esse propria.

ARTICULUS IV

De relatione.

Dicendum est 1^o de naturâ relationis; 2^o de illius speciebus; 3^o de existentia et vario genere proprietatis realis; 4^o de illius proprietatibus.

§ I. — De naturâ relationis.

156. Relatio dicitur *accidens respectivum*, ut distinguatur ab accidentibus *absolutis*, de quibus suprâ.

Fusiùs definiri solet: *accidens est cuius aliqua res ad alteram refertur*; qualis est relatio inter patrem et filium.

157. Relatio *materialiter* spectata, triplex elementum involvit, *subjectum*, *terminum* ac *fundamentum*. Subjectum est illud quod ad aliud refertur, terminus illud ad quod refertur subjectum, fundamentum verò *ratio* ipsa cur subjectum ad

terminum refertur; v. g. in exemplo allato, pater est subjectum, filius terminus, generatio fundamentum. Subjectum ac terminus *extrema* relationis nominantur.

Quare fundamentum relationis ab ipsâ relatione *revera distinguitur*; siquidem entitas relationis non eadem est atque entitas fundamenti. Nam fundamentum est aliquid *absolutum* in re, dum relatio addit *respectum* unius rei ad aliam. — Insuper, fundamentum est potiùs *causa* relationis, quàm ipsa relatio.

158. At relatio, *formaliter* inspecta, non concipitur ut aliqua *res* existens in seipsâ, aut in aliquo subjecto, verùm ut *ad aliquid*. Nam concipitur ut *medium* aliquid inter relatos terminos, nulli intrinsecus affixum, et positum in merâ *habitudine* inter utrumque. Unde S. Thomas: « Relationi, ex hoc quòd ad alterum dicitur, non debetur quòd sit res quædam; est tamen res aliqua, secundùm quòd habet fundamentum in eo quod refertur » (In I. Sent., dist. 26, q. 2, a. 2, ad 3).

§ II. — De speciebus relationis.

159. Relatio dividitur in increatam et creatam, creata autem in transcendentalem et prædicamentalem, prædicamentalis in realem et logicam, realis demum in mutuam et non mutuam.

1^o Relatio *increata* ea est quæ inter personas divinas viget; *creata* autem vel est inter Creatorem et creaturam, vel inter ipsas res creatas.

2^o Relatio *transcendentalis* sic vocatur quia non continetur aliquo rerum genere, ac meritò definitur *ipsa rei absolutæ entitas ex suâ essentiâ ad aliud destinata*; sic v. g. ad corpus anima, ad formam materia refertur. — Relatio *prædicamentalis* hoc nomen ex eo habet quòd specialem constituit categoriam, et definitur *ordo sive habitudo alicujus rei ad aliam*. — Prior ab entitate rei absolutæ haud realiter secernitur, dum posterior reipsa distinguitur ab entitate rei in quâ insidet. Patet de relatione prædicamentali tantùm in præsentia nobis esse sermonem.

3^o Relatio prædicamentalis potest esse *realis* vel *logica*, prout in rebus ipsis, vel in solâ consideratione mentis existit: v. g. inter patrem et filium *realis*, inter pacem et olivam *logica* relatio habetur, quæ non est aliud nisi *ordo rerum intellectarum, quatenus intellectarum*.

4^o Relatio *realis in mutuum et non mutuum dividitur*, quatenus fundamentum ejus subjecto et termino *reciprocum* est, vel alteri extremorum proprium: inter patrem et filium *mutua* est relatio, quoniam ut pater ad filium, ita filius ad patrem *re ipsa* refertur; sed inter Creatorem et creaturam non est relatio *mutua*, quia tametsi creatura *realem ordinem* ad Creatorem habeat, Creator ad creaturam *non nisi logicum ordinem* habet.

Quocirca in relatione *mutuâ*, vis ipsa relationis subjectum et terminum æquè afficit, dum in relatione *non mutuâ*, unum duntaxat extremorum afficit atque immutat. — Quare, in relatione *mutuâ*, altero extremorum sublato, alterum *formaliter* spectatum auferatur necesse est; e. g., sublato filio, ratio paternitatis a patre auferitur, et vicissim. — At verò in relatione *non mutuâ*, sublato relationis termino, subjectum quidem auferitur, non autem vicissim; v. g., sublato Deo, creaturæ nihil sunt, at, sublatis creaturis, Deus remanet nec amittit quidquam, nisi *logicam* habitudinem quâ ad eas refertur.

§ III. — De existentia et vario genere relationis realis.

160. *Existere* aliquas relationes *reales* indubium est, quamvis Averroes, Lockius et Humius id negaverint. Ad hoc enim sufficit existere res quasdam inter se distinctas, et eas ad se *reali* fundamento ordinari. Porro illud experientiâ ipsâ perspicuum est: v. g. *realis* est ratio cur effectus ad causam, filius ad patrem referatur et ab eo pendeat.

161. Relationes *reales* ad *triplex genus* referuntur: vel enim fundantur super *quantitatem*, ut duplum et dimidium; vel super *qualitatem*, ut similis et dissimilis; vel super

actionem et passionem, ut faciens et factum, pater et filius, dominus et servus.

Hanc ultimam relationem præcipuam esse nemo non videt.

§ IV. — De proprietatibus relationis realis.

162. Quinque relationis *realis* proprietates ab Aristotele jure nominantur, breviter a nobis explicandæ.

1^o *Relatio non habet contrarium*, scilicet alteram altera non excludit, possuntque plures diversæ relationes in eodem subjecto existere; v. g., idem homo potest esse pater et filius.

2^o *Relatio non suscipit magis et minus*, nempe intrinsecè non augetur, quanquam ad plura vel pauciora extrinsecè extendatur: v. g. paternitas intrinsecè manet eadem, seu plures, seu pauciores quis habeat filios.

3^o *Relativa inter se opponuntur*, i. e. inter subjectum et terminum viget oppositio; v. g. pater nequit esse filius.

4^o *Relativa convertuntur*, sive sunt *correlativa*; quia alterum sine altero non explicatur: v. g., herus est servi herus, sicut servus est heri servus.

5^o *Relativa correlativa sunt simul natura*; dempto enim altero, vel subjectum sine termino, vel terminus sine subjecto existeret, quod repugnat relationis definitioni.

6^o *Sunt simul cognitione*, videlicet aliud sine alio cognosci nequit: v. g., nec pater sine filio, nec filius sine patre concipi potest. Quamobrem *relativa correlativa sese mutuò definiunt* sive notificant.

Attamen advertas velim tres posteriores relationis proprietates non nisi relationibus *realibus* *mutuis* propriè inesse. ®

ARTICULUS V

De spatio.

Ad categoriam *ubi* explanandam, oportet 1^o quædam in genere notare circa præsentiam et locum; 2^o recensere varias opiniones circa naturam spatii, 3^o falsas repudiare, et 4^o probare veriolem.

§ I. — Prænotiones circa præsentiam et locum.

163. I. *Præsentia*, ut aliæ *primitivæ* notiones, facillimè concipiuntur et difficilè definitur.

1º In universum defini potest *id vi cuius aliquid adest alteri, vel est in altero*. Supponit igitur *coexistentiam* plurium rerum quæ immediatè conjungantur, vel quarum una sit in altera. — Scholastici præsentiam nominant *ubi*, quod substantiæ convenire asserunt per comparisonem ad aliquid extrinsecum.

2º Porro præsentia potest esse *corporea* vel *incorporea*, prout prædicatur de corporeis, vel incorporeis rebus; prior ubi *circumscriptivum*, posterior ubi *definitivum* vocatur. — Corpus enim est in loco *localiter*, scilicet per contactum quantitatis dimensionis, et alia pars ejus est in aliâ parte loci, alia in aliâ, et totum in toto; unde continetur loco et circumscribitur.

164. II. Locus autem scitè ab Aristotele definitur: *Ejus quod continet terminus immobilis primus.* (*Phys.*, l. 4, c. 6, § 28).

Dicitur 1º *terminus primus* ejus quod continet, nimirum superficies ipsa corporis aliud *immediatè* ambientis; non enim v. g., homo dicitur esse in toto aere, sed in parte illâ quæ ipsi proximè contigua invenitur.

Dicitur 2º *terminus immobilis*, quia superficies illa, ut *continentis* et *mensura* rationem habeat, debet immobilis perseverare relativè ad locatum, seu eandem erga illud servare relationem, quamquam ipsa secundum partes suas immutetur; e. g., licèt aeris prima superficies quæ aliquem hominem capit in horas mutetur, non mutatur ratio loci, quia partes quæ prioribus succedunt, eandem relationem habent erga istum hominem. — Quinimo immobilis remanet locus, etiamsi mutetur locatum; unde, ut notat S. Thomas, « per « localem motum non dicitur esse successio locorum in uno « locato, sed magis successio locatorum in uno loco. » (*Qq. dispp. de Ver.*, q. 1, a. 6, c.).

At substantia *incorporea* non est in loco *localiter* aut per *circumscriptionem*, siquidem non habet partes, sed solum per contactum *virtutis*, et est tota in singulis loci partibus, totalitate essentiæ quæ dividi nequit. — Quare loco propriè non continetur aut commensuratur, sed e contrario; nam, ut dicit S. Thomas, « substantia incorporea suâ virtute continet « gens rem corpoream, continet ipsam, et non continetur « ab eâ. » (1ª, q. 52, a. 1, c.).

Hæc præsentia dicitur *definitiva*, quoniam substantiæ creatæ, quum finitam essentiæ habeant, finitam etiam habent virtutem, ac proinde limitatam præsentiam, quæ ad certos fines vel certum locum determinatur.

165. Porro quæri solet *utrum aliqua res simul esse possit in pluribus locis.*

Distinguendum est inter substantiam spiritualem et corpoream.

Quod ad 1^{am} attinet, nil vetat eam in plura simul præsentiam suam extendere; siquidem in tantum alicui rei præsens est, in quantum in ipsam agit; porro agendo in aliquam rem, non in eâ totam suam virtutem defigit, sed partem ejus in aliam rem simul applicare potest, et « secundum hoc esse « in uno vel pluribus locis, et in loco parvo vel magno. » (1ª, q. 8, a. 2, ad 2). — Quanto igitur virtuosior fuerit aliqua substantia spiritualis, tantò in plura simul actionem, proinque præsentiam suam poterit extendere.

Quo sensu animam in toto corpore et in singulis ejus partibus, Angelum verò in pluribus corporibus esse posse asserimus.

Nihilominus, docente S. Thomâ, corpus comparatur ad animam sicut *locus unus*, et corpora quibus Angeli virtus simul applicatur, correspondent ei sicut *locus unus*, sicut « universum ens comparatur ut unum aliquid ad universalem Dei virtutem. Oportet enim quidquid comparatur ad « unam virtutem, ut unum aliquid comparari ad ipsam. » (1ª, q. 52, a. 2, c.). — Hoc sensu accipienda sunt verba ejusdem Doctoris dicentis Angelum in uno duntaxat loco esse posse.

Quòd autem spectat ad substantiam corpoream, videtur eam non tantum naturaliter, sed ne per miraculum quidem in pluribus locis simul esse posse. Etenim nulla res potest simul comprehendi et non comprehendi aliquo loco. Atqui corpus comprehenderetur et simul non comprehenderetur aliquo, si esset in pluribus locis. *Comprehenderetur*, quia quod est in loco *localiter* sive *circumscriptivè*, ex definitione, (n. 163), continetur totum in loco ubi est, seu, ut ait D. Thomas, « ita est in ipso loco quod nihil ejus est extra locum illum » (*quodlib.* 3, a. 2. c). — *Non comprehenderetur*, ex hypothesi, quia esset etiam in alio loco.

166. Nec *objectioni* est præsentia corporis Christi in cœlo et in Eucharistiâ simul, aut sanctorum apparitiones, qui pluribus in locis simul fuisse leguntur.

Nam corpus Christi est in cœlo localiter, in Eucharistiâ autem non localiter aut circumscriptivè, per modum quantitatis, sed per modum substantiæ, quæ cum ratione sui sit *inextensa et indivisibilis*, præsens est etiam inextensâ et indivisibili ratione (Cf. *Catech. conc. Trid. Euchar.*, § 43).

Apparitiones autem sanctorum in pluribus locis explicari possunt in nostrâ sententiâ, duplici ratione, prout dicitur eas contigisse Angelorum ministerio, qui in similitudine corporeâ sanctos repræsentabant, vel productione novi corporis sanctorum corpori simillimi.

§ II. — Recensentur diversæ opiniones de naturâ spatii.

167. Philosophorum opiniones de naturâ spatii ad quatuor potissimum reduci possunt: alii enim spatium merè ideale et phænomenicum esse volunt; alii dicunt illud esse quid reale, sed corporibus omnino extrinsecum ab iisque distinctum; alii putant ipsum esse quid intrinsecum corporibus nec ab iis revera distinctum; alii demum partim corporibus extrinsecum, partim intrinsecum esse arbitrantur.

168. I. *Exponitur 1^{um} genus opinionum.* Kantius putavit notionem spatii non ab experientiâ hauriri, sed ei præcedere, et esse innatam, ideoque merè *subjectivam et idealem*.

Fautores *monadum* admittere etiam debent spatium ut quid merè phænomenicum, siquidem tenent corpora coalescere ex monadibus *inextensis*, quæ eo ipso impares sunt ad generandam extensionem realem. Quare consistit spatium in merâ simplicium rerum coexistentium relatione, juxta Leibnizianam illam definitionem: *ordo coexistentium, quatenus coexistentium*; ita Boscowich, Gioberti et plures recentes.

169. II. *Exponitur 2^{um} genus opinionum.* Inter eos qui habent spatium ut corporibus omnino extrinsecum, alii dicunt ipsum esse *inane* seu *vacuum*; alii verò illud ab immensitate Dei haud secernunt. — Prior sententia plures veteres philosophos fautores habuit, nempe Democritum, Epicurum et Lucretium, quibus inter recentes adhæsit Gassendi.

Juxta Epicurum et Lucretium, duo tantum in mundo inveniuntur, corpora scilicet et *inane*, seu vacuum quoddam spatium, in quo recipi moverique possint corpora (Cf. *Arist.*, *Phys.*, l. iv, c. 8, § 1). — Gassendi autem decrevit spatium esse quid reale, imò verò æternum, independens, nec tamen substantiam aut accidens, incorporeum quidem, sed sui generis, utpote quod habeat trinam dimensionem, sed a dimensionibus corporeis alienam.

Posterior sententia Newtoni placuit, qui dixit spatium esse ipsammet immensitatem Dei, propterea quòd illud concipimus ut immensum et infinitum. Ab istâ porrò sententiâ non satis recessit Fenelonius, ubi extensionem limitibus circumscriptam, corpoream esse asseruit, extensionem verò nullis limitibus coarctatam esse immensitatem Dei. (*De Exist. de Dieu et de ses attrib.*, 2 p., c. 5, a. 4).

170. III. *Exponitur 3^{um} genus opinionum.* Cartesius, quum ratus esset spatium extensum esse, et corporum essentiam in extensione consistere, docuit spatium a corporibus ipsis non distingui (*Princip. de la philos.*, part. 2^a, § 9-12).

171. IV. *Exponitur 4^{um} genus opinionum.* Aristoteles, S. Thomas et omnes Scholastici spatium partim extrinsecum, partim intrinsecum esse corporibus sentiunt. Nam, ex unâ parte, quodlibet corpus habet varias dimensiones quæ aliæ extra alias jacent, et quibus ipsius substantia clauditur

et continetur : hinc ratio spatii *interni*. Ex alterâ autem parte, quodlibet corpus in alterius cujusdam corporis dimensionibus recipitur et continetur : hinc ratio spatii *externi*, quod propriè nomine spatii vocatur, nec a loco distinguitur.

§ III. — Refelluntur falsa systemata circa naturam spatii.

172. Assertio 1^a : *Falsum est systema Kantii et monadistarum.*

PROB. 1^a PARS. Systema Kantianum 1^o falso innititur fundamento, in eo videlicet quod corpora percipere non possimus, nisi *præconceptam* habeamus notionem spatii. At verò, nobis licet corpora ut sunt in seipsis percipere, nullâ præconceptâ notione spatii, scilicet non considerando relationes *situs* quas habent alia cum aliis. — Quin etiam licet percipere corpus aliquod, quatenus positum in spatio, sine præconceptâ ideâ spatii, et illam hæc ipsâ occasione acquirere.

2^o *Sensui communi et experientie adversatur*; quia omnes homines clarè vident spatium non esse ideale animi phænomenon, sed quid reale, externum, in mundo physico positum.

PROB. 2^a PARS. Nam 1^o monadum *coexistentia* spatium præsupponit, nedum constituat. Quippe in tantum monades coexistunt, in quantum distant; sed in tantum distant, in quantum in variis spatii punctis sunt collocatæ.

2^o Etiamsi daretur monades coexistere et agere in invicem, spatium haud propterea constituerent, quum simplices fingantur. Profectò enim *spiritus* alii aliis coexistunt et alii in alios agunt, nec ideo tamen spatium formant, utpote quòd non in merâ relatione actionis vel passionis consistit, sed realem exigit extensionem.

173. Assertio 2^a : *Falsa est opinio quæ spatium in vacuo reponit, sive ad Epicuri, sive ad Gassendi mentem propugnetur.*

PROB. 1^a PARS. Epicuri systema 1^o falso innititur fundamento, in eo scilicet quòd motus fieri nequeat, nisi admissio vacuo. Atqui, vacuo etiam non admissio, moveri possunt corpora, idque illorum *rarefactione* aut *condensatione* expli-

care licet. — Quin etiam sine rarefactione aut condensatione corporum motus explicari valet, et exemplo est piscis inter medias natans undas; quia, ex unâ parte, unda sursum non movetur, et, ex alterâ parte, non *comprimitur*.

2^o Vel vacuum Epicuri nihil est, vel aliquid; *si prius*, continere nequit corpora; *si posterius*, aliud vacuum præsupponit in quo recipiatur, et sic in infinitum.

PROB. 2^a PARS. Gassendi systema falso innititur fundamento; videlicet 1. mundum creari haud potuisse, nisi in *præexistente* vacuo, in quo reciperetur et collocaretur; 2. spatium a nobis intelligi ut æternum immensumque. — Porrò 1^a ratio tota est in figmento imaginationis. Quum enim, ex probandis infra, spatium nihil sit nisi corporum variæ dimensiones quibus alia in aliis continentur, patet mundum non habere spatium a se *distinctum*, sed varia corpora sibi invicem spatio esse. Mundus igitur, si consideretur ut *totum* aliquod, non existit in loco; nam eo ipso quòd omnes res comprehendit, nihil est extra ipsum, in quo recipi queat. At si spectetur quoad *singulas* partes ex quibus constat, in spatio existit, quia alia in aliis corpora continentur.

Quod attinet ad 2^{am} Gassendi argumentum, totum consistit in confusione spatii *imaginariè* et *realis*. Sanè imaginatio fingit nobis immensitatem quamdam *extra* mundi limites repositam idoneamque innumeris corporibus collocandis. Præterea, quum immensa illa capacitas *concipi* possit abstractendo a *reali* corporum existentia, inde occurrit animo veluti absolutum quiddam, æternum atque independens. — Hæc autem solum existunt in ordine *ideali* vel *phantastico*; sed reipsa extra mundum nihil est, et mundus creatus fuit in tempore et certis limitibus circumscriptus; et ideo spatium reale productum finitumque sit necesse est.

174. Assertio 3^a : *Falsa est opinio quæ spatium in immensitate Dei reponit.*

1^o Falso innititur fundamento; in eo nempe quòd spatium sit immensitate infinitum. Porrò, ex probatis, spatium *possibile* seu *imaginarium* potest quidem *indefinitum* concipi, sed spatium *reale* finitum est.

2° *Naturæ Dei repugnat*, quia nihil corporeum aut divisibile in Deo reponere licet. Atqui spatium est quid corporeum et divisibile; nam corpora recipit, et majus vel minus dicitur, pro majori vel minori eorum numero.

175. **Assertio 4°**: *Falsa est opinio quæ spatium cum ipso corpore confundit.*

Probatur quia idem non est id quod continet, et id quod continetur. Atqui spatium recipit et continet corpora. Ergo aliud est ab ipsis corporibus. Cartesianum igitur systema in eo præcipuè peccat, quod spatium *internum* ab *externo* minimè secernit.

176. § IV. — **Declaratur veritas sententiæ scholasticæ de naturâ spatii** (1).

1° *Sententia scholastica respondet notioni hominum communi de spatio*. Omnes enim habent spatium veluti *receptaculum* quoddam quod corpora contineat. Porrò, experientiâ teste, hoc ordine cohærent secum diversa corpora, ut aliâ in aliorum dimensionibus recipiantur. Ergo quodque corpus receptaculum ac spatium suum habet in dimensionibus alterius corporis, ipsum primò ambientis. — Ac si corpus aliquod fingeretur unicum aut separatum ab aliis, ipsum sibi receptaculum esset, in quantum ejus substantia in propriis dimensionibus contineretur.

2° *Respondet origini notionis de spatio*. — Notionem spatii adquirimus ex motu corporum, cum ea ex loco in locum ferri atque aliâ aliorum loco succedere inspicimus. Nam inde cogitamus receptaculum aliquod in quo recipiantur sibi que succedant. Porrò hoc sibi vult sententia aristotelico-scholastica (Cf. Arist. *Physic.* l. IV, c. 2, § 1, 2; c. 4, § 8; c. 4, 6, § 27).

3° *Respondet modo quo spatium metimur*. Probatur quia cum alicujus corporis spatium metiri volumus, metimur distantias quæ vigent inter superficies alterius corporis

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 46-49.

ipsum primò ambientis, vel quæ inter partes extremas superficierum hujus corporis inveniuntur.

177. **Corollarium**. Ex dictis circa spatium *particulare*, colligere licet definitionem spatii *universalis*, quod nihil aliud est nisi dimensiones *omnium* corporum ex quibus mundus componitur, abstractione intellectûs *simul* acceptæ, vel etiam, *corporum omnium complexio*, quatenus *alia in aliis recipiuntur et continentur, mediantibus mutuis dimensionibus*.

ARTICULUS VI

De tempore.

Ad categoriam *quando* declarandam tria præstare oportet, scilicet 1° varias opiniones recensere, 2° falsas repudiare, 3° veram probare.

§ I. — Recensentur variæ opiniones de naturâ temporis.

178. Quoniam tempus et spatium inter multiplex analogia est, similia de tempore et spatio systemata protulere philosophi, quæ ad quatuor etiam classes revocari possunt.

I. Kantius voluit notionem temporis esse *a priori* inditam et merè *subjectivam* representationem, quâ successiva animi nostri phænomena percipimus. — Leibnitzius autem putavit tempus esse *ordinem successorum, quatenus successorum*.

II. Gassendi dixit tempus esse incorporeum quiddam, improductum et independens, quod intelligimus fluxisse ante creationem mundi, fluere nunc, ac fore ut flueret, etiamsi mundus in nihilum redigeretur.

III. Newton, Clarke alique tempus habent ut infinitum æternumque; quod ab æternitate Dei non secernunt.

IV. Scholastici, post Aristotelem (*Phys.* l. IV, c. 14-21) temporis naturam profundius scrutati sunt; quorum sententia fusiorem descriptionem exigit.

179. Tempus in *duratione* quadam consistere nemo est qui non videat. Porrò duratio idem est ac *perseverans aut continuata entis existentia*; quocirca totuplex erit durationis

2° *Naturæ Dei repugnat*, quia nihil corporeum aut divisibile in Deo reponere licet. Atqui spatium est quid corporeum et divisibile; nam corpora recipit, et majus vel minus dicitur, pro majori vel minori eorum numero.

175. **Assertio 4°**: *Falsa est opinio quæ spatium cum ipso corpore confundit.*

Probatur quia idem non est id quod continet, et id quod continetur. Atqui spatium recipit et continet corpora. Ergo aliud est ab ipsis corporibus. Cartesianum igitur systema in eo præcipuè peccat, quod spatium *internum* ab *externo* minimè secernit.

176. § IV. — **Declaratur veritas sententiæ scholasticæ de naturâ spatii** (1).

1° *Sententia scholastica respondet notioni hominum communi de spatio.* Omnes enim habent spatium veluti *receptaculum* quoddam quod corpora contineat. Porrò, experientiâ teste, hoc ordine cohærent secum diversa corpora, ut aliâ in aliorum dimensionibus recipiantur. Ergo quodque corpus receptaculum ac spatium suum habet in dimensionibus alterius corporis, ipsum primò ambientis. — Ac si corpus aliquod fingeretur unicum aut separatum ab aliis, ipsum sibi receptaculum esset, in quantum ejus substantia in propriis dimensionibus contineretur.

2° *Respondet origini notionis de spatio.* — Notionem spatii adquirimus ex motu corporum, cum ea ex loco in locum ferri atque aliâ aliorum loco succedere inspicimus. Nam inde cogitamus receptaculum aliquod in quo recipiantur sibi que succedant. Porrò hoc sibi vult sententia aristotelico-scholastica (Cf. Arist. *Physic.* l. IV, c. 2, § 1, 2; c. 4, § 8; c. 4, 6, § 27).

3° *Respondet modo quo spatium metimur.* Probatur quia cum alicujus corporis spatium metiri volumus, metimur distantias quæ vigent inter superficies alterius corporis

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 46-49.

ipsum primò ambientis, vel quæ inter partes extremas superficierum hujus corporis inveniuntur.

177. **Corollarium.** Ex dictis circa spatium *particulare*, colligere licet definitionem spatii *universalis*, quod nihil aliud est nisi dimensiones *omnium* corporum ex quibus mundus componitur, abstractione intellectûs *simul* acceptæ, vel etiam, *corporum omnium complexio*, quatenus *alia in aliis recipiuntur et continentur, mediantibus mutuis dimensionibus.*

ARTICULUS VI

De tempore.

Ad categoriam *quando* declarandam tria præstare oportet, scilicet 1° varias opiniones recensere, 2° falsas repudiare, 3° veram probare.

§ I. — Recensentur variæ opiniones de naturâ temporis.

178. Quoniam tempus et spatium inter multiplex analogia est, similia de tempore et spatio systemata protulere philosophi, quæ ad quatuor etiam classes revocari possunt.

I. Kantius voluit notionem temporis esse *a priori* inditam et merè *subjectivam* representationem, quâ successiva animi nostri phænomena percipimus. — Leibnitzius autem putavit tempus esse *ordinem successorum, quatenus successorum.*

II. Gassendi dixit tempus esse incorporeum quiddam, improductum et independens, quod intelligimus fluxisse ante creationem mundi, fluere nunc, ac fore ut flueret, etiamsi mundus in nihilum redigeretur.

III. Newton, Clarke alique tempus habent ut infinitum æternumque; quod ab æternitate Dei non secernunt.

IV. Scholastici, post Aristotelem (*Phys.* l. IV, c. 14-21) temporis naturam profundius scrutati sunt; quorum sententia fusiorem descriptionem exigit.

179. Tempus in *duratione* quadam consistere nemo est qui non videat. Porrò duratio idem est ac *perseverans aut continuata entis existentia*; quocirca totuplex erit durationis

genus, quotuplex modus quo entis cujuscumque existentia permanere poterit. — Jam triplici ratione alicujus entis existentia perseverare potest: — 1^o enim Deus, utpote ens quoad omnia necessarium, omnem a se excludit mutationem ac motum et *absolutâ* pollet *æternitate*. — 2^o Entia spiritualia, ut angeli, immutabili substantiâ gaudent, sed habent existentiam successivam et successivas operationes. In ipsis igitur mutatio accidentalis est et ad affectiones terminatur. Dicuntur *mensurari ævo*.

3^o Corpora autem non tantum quoad accidentia, verum etiam quoad substantiam mutationi subjacent. Quum enim ex partibus componantur, dissolvi quoque possunt. Propterea esse corporum, utpote corruptibile, *tempore* mensuratur.

Porrò anima humana *medium* locum tenet inter Angelos ac res inferiores, et, ut dicit S. Thomas, « mensuratur *tempore*, secundum esse quo unitur corpori, quamvis, prout « consideratur ut substantia quædam spiritualis, *mensuretur ævo* (Qq. *dispp. de Pot.*, q. 3, a. 10, ad 8).

Quæ quam ita sint, *æternitas est duratio entis utcumque immobilis; ævum est duratio entis permanentis, quod accidentalem mutationem patitur; tempus verò est numerus et mensura motus secundum prius et posterius*. (Cf. S. Th., 1^a, q. x).

180. *Explicatur definitio temporis*. Quærendum est: 1^o quo sensu motus hic sumatur? 2^o quo sensu tempus sit mensura motus secundum prius et posterius?

Ad 1^{am} dicendum est motum in quadruplici sensu usurpari solere, nimirum *latissimè*, ad designandam quamlibet *operationem*; *latius*, ad designandam quamlibet *actionem successivam*; *minùs latè*, ad designandam mutationem seu alterationem quamdam *sensibilem*; *strictè* demum, ad designandum motum *localem* rerum corporearum. In præsentia motus in 3^a et in 4^a significatione tantum accipitur.

Ad 2^{am} dicendum est tempus a motu non *realiter*, sed *ratione* tantum distingui. Nam definitur mensura motus per modum numeri; sed numerus *numeratus* non realiter distinguitur a rebus numeratis.

At motus partes sunt *successivæ* simul et *continuae*, cum motus ipse *continuitate* perfruatur. Itaque tempus concipi debet ut *quantitas successiva*, sed *continua*, cujus diversæ partes *communi* vinculo copulantur.

Porrò, tres partes in tempore numerantur, *præteritum*, *præsens* et *futurum*. Præteritum et futurum sunt *extrema* temporis, et in *instanti* secum religantur; quod quidem munus instanti apprimè convenit, quatenus est præteriti *finis* et *initium* futuri. — Hujus etiam muneris gratiâ, instans sive *nunc*, temporis rationem habet, quia licet ipsum prius ac posterius non habeat, tamen præteritum et futurum inter se conjungit. Præteritum enim et futurum, nisi jungerentur in *instanti*, ratione temporis destituerentur, quoniam ipsis *continuitas* deesset. « Ejusdem est rationis, ait D. Thomas, tempus componi ex *nunc*, et lineam ex punctis. » (In II *Sent.*, dist. 37, q. 3, a. 3, sol.).

Nec tamen putes *nunc* ita esse præsens, ut nullo modo fluat; fluit certè, siquidem est motus, ac nisi flueret, non tempus jam foret, sed æternitas. Nihilominus, si mutatur quoad *modum* se habendi, secundum *substantiam* idem remanet. Cum enim tempus motui respondeat, instans respondere debet corpori quod movetur. Atqui corpus motum in toto motus decursu manet idem quoad substantiam, licet quoad modum immutetur. Instans ergo est sicut *mobile* currens, quod successivè se habet ad varias lineæ partes, ac modò in eâ, modò in istâ invenitur.

181. Tempus *dividitur* 1^o in *internum* et *externum*; tempus *internum* est mensura seu numerus diversarum affectionum corporis alicujus *absolutè* spectati, quatenus aliæ priores, aliæ posteriores existunt. Tempus *externum* est mensura seu numerus affectionum alicujus corporis, quatenus ad *motum* astrorum et præsertim solis comparantur; sic dicitur etiam *ætas*.

Dividitur 2^o in *particulare* et *universale*, prout est mensura motuum alicujus entis individui, vel numerus omnium motuum ab initio usque ad præsens existentium, imo usque ad finem mundi futurorum.

§ II. — Refelluntur falsa circa naturam temporis systemata.

182. Assertio 1^a: *Falsum est systema Kantianum.*

1^o *Falso innititur fundamento*, in eo scilicet quòd successio rerum a nobis haud posset percipi, nisi notio temporis præconcepta inesset animo. Porro, non tantum successio rerum sine præconceptâ temporis notione advertere possumus, verum etiam, experientia teste, ideo notionem temporis adquirimus, quòd res extra nos sibi succedentes videmus.

2^o *Sensui communi et experientiæ adversatur*, quum exhibet tempus ut quid merè ideale et phænomenicum; nam nemo non videt res ipsas externas in tempore esse et ab eo mensurari.

183. Assertio 2^a: *Falsum est systema Leibnizianum.*

1^o Ordo successorum essentiam temporis constitutam præsupponit, nedum constituat. Enimvero, sicut non datur ordo coexistentium, nisi præsupposito spatio, ita nec ordo successorum, nisi præsupposito tempore. Non enim certo res ordine coexistere aut sibi succedere concipiuntur, nisi quia proprium spatium ac tempus sortitæ sunt.

2^o Tempus est motus *uniformis et continuus*. Sed neutrum dici potest, admissâ opinione Leibnizii. — *Non 1^{um}*; quia tunc tempus consistit in qualicumque successione quæ afficit operationes vel affectiones alicujus entis etiam spiritualis. Porro in eodem homine, nunc citius, nunc morosius sibi succedunt diversæ cogitationes, et vel repens corripuntur, vel protrahuntur longius; idque a fortiori verum est de variis hominibus. Quocirca si tempus ex cogitationum successione acciperetur, nulla hominibus *communis* norma suppeteret ad mensurandum prius et posterius in tempore. — *Non 2^{um}*; quia existit ordo inter quantitates etiam *discretas*, quæ nisi communi unoque vinculo colligentur, a continuo temporis fluxu alienæ sunt.

184. Assertio 3^a: *Falsa est opinio quæ tempus in æternitate Dei reponit.*

1^o *Falso innititur fundamento*, nimirum in confusione temporis realis cum tempore imaginario. Sanè quidem tempus, si solâ imaginatione spectetur, exhibet aliquid nullis limitibus circumscriptum. At verò tempus *reale* inest rebus creatis, eosdemque ac ipsæ habet limites.

2^o *Æternitas Dei in immobili consistit quiete*, tempus contra in indesinenti motu vel fluxu.

185. Assertio 4^a: *Absurdum est systema Gassendi.*

Falso innititur fundamento, nempe 1^o in confusione temporis realis et imaginarii, et 2^o in ridiculâ fictione quâ supponitur mundum a Deo creari haud potuisse, nisi in præexistente duplici receptaculo, ut certo spatio contineretur, et certo tempore inciperet fluereque. Ast autem cum ipso mundo tempus perinde ac spatium creatum est. (Supra, n. 173).

186. § III. — Declaratur veritas sententiæ scholasticæ de naturâ temporis (1).

Prob. 1^o ratione. Non enim est tempus sine motu aliquo, nec motus ullus sine fluxu, nec fluxus ullus, nisi prius et posterius includat. Ergo tempus duo præ se fert, motum nempe, et prius ac posterius in motu. Hoc autem sibi vult definitio scholastica: Tempus est *mensura seu numerus motus secundum prius et posterius*. — Accedit quòd sententia scholastica, et hæc quidem sola, sincerum discrimen statuit inter durationem Dei, substantiarum spiritualium et corporalium.

2^o *Experientiâ*; propterea quòd optimè respondet *origini* notionis temporis in animo nostro, necnon modo secundum quem illud *metimur*.

Constat 1^{um}, quia nonnisi ex motu ad notionem temporis assurgimus, et ex eo quidem motu qui prius nobis occurrit, estque continuus et uniformis. Porro primùm occurrit nobis motus rerum corporearum, idemque continuus est et uniformis maximè. — Quare D. Thomas: « Tempus consequitur

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 49-52.

motum localem; unde non mensurat nisi ea quæ aliquantulum sunt in loco. » (*Cont. Gent.*, l. II, c. 96).

Constat 2^{um}, quia ut notat Aristoteles, ideo tempus in quo dormimus, non possumus advertere, quòd nullum tunc motum fluxumve percipimus. Unde conjungere haud licet instans in quo a somno excitamur, cum instanti in quo somno correpti sumus; nam inter utrumque motus continuitas nobis percepta non fuit. — Hinc etiam est cur longum nobis videatur tempus, si dolore, breve autem, si gaudio afficiamur. In priore enim casu, motus alienos nostrosque singulos advertimus ac numeramus; in posteriore autem, mentem nostram motus hi præterlabuntur, quia nos lætitiæ sensus occupat.

187. Corollarium. Ex dictis sequitur notionem temporis esse quidem *objectivam*, quatenus *fundamentum* habet in motu rerum, sed includere quoque elementum *subjectivum*, quatenus *completur* per actum intellectus numerantis prius et posterius. Ad rem D. Thomas: « *Essè rerum numeratarum non dependet ab intellectu; unde nec numerus rerum ab intellectu dependet, sed solum ipsa enumeratio quæ est actus animæ, ab intellectu dependet.* » (*In IV Phys.*, lect. 23) (1).

ARTICULUS VII

De situ et habitu.

Duplicem situs et habitus categoriam eodem capite et breviori calamo tangimus, quum sit infrequentioris usus in philosophiâ.

§ I. — De notione ac divisione situs.

188. 1^o Situs definitur *accidens superveniens corpori ex ordinatione partium ejus in loco*: v. g., si Paulus dicatur *sedere*,

(1) Et rursus: « Motus non habet esse fixum in rebus, nec aliquid invenitur actu in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile (præsens). Sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis prioris dispositionem mobilis ad posteriorem; sic igitur et tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile. Ipsa tamen totalitas

vel stare. — Quamobrem, *situs* ab *ubi* distinguitur; ubi enim simpliciter denotat aliquid esse in loco, situs autem denotat *specialem modum* quo aliquid est in loco, et præ se fert *ordinem* quem partes corporis in loco habere possunt.

Porro categoria situs *positionem* etiam comprehendit, tametsi per posterius et secundariò. Hæc enim propriè significat partium relationem in *ordine ad se*; v. g., ordinem quem caput, manus et pedes inter se habent; dum situs primariò dicit ordinationem partium in loco.

189. 2^o Situs dividitur in *absolutum et relativum*, prout spectatur in aliquo tantum corpore, vel in ordine ad alia.

Situs absolutus est vel *naturalis*, vel *arbitrarius*, vel etiam *violentus*: v. g., naturalis est situs quo habet homo caput erectum, arbitrarius quo sedet vel genuflectit, violentus quo ejus corpus invertitur.

Quamvis, ex dictis, situs corporum *proprius* sit, tamen ob *analogiam* rebus spiritualibus et ipsi Deo accommodari solet. Quæ ratione, ut notat D. Thomas, « Deus dicitur *sedens* propter suam immobilitatem et auctoritatem, et *stans* propter suam fortitudinem ad debellandum omne quod adversatur ei. » (1^a, q. 33, a. 1, ad 4).

§ II. — De habitu.

190. Habitus ab *habendo* nomen ducit. Definiri potest *accidens quod resultat in corpore ex circumpositione vestium, armorum, vel cujusvis ornamenti*: v. g., indui talari veste, aut redimiri coronâ.

Quare, ad habitum constituendum oportet aliquam substantiam alteri, vestis vel ornamenti instar, adjacere. Nam mutua hæc adjacentia alterius substantiæ ad alteram est aliquid accidentale. — Habitus autem nec est corpus vestitum, nec vestis corpori adjacens, sed ipsamet vestis ad vestitum circumpositio; ut enim ait S. Thomas, « inter habentem in-

temporis accipitur per ordinationem animæ numerantis prius et posterius in motu. » cf. *Dist.* 19, q. 5, a. 1, in 1 *Sent.*

« dumentum, et indumentum quod habetur, est habitus me-
« dius. » (1^a 2^a, q. 49, a. 1, c).

ARTICULUS VIII

De actione et passione (1).

191. Quum actionis et passionis categoria et theoria de causis maximi sint momenti, multasque moverint et moveant hodie inter philosophos discordias, de his diligentiori curâ disserere operæ est; quod ut præstetur, dicemus : 1^o de notionem et divisionem actionis; 2^o de notionem causæ et principii; 3^o de principio causalitatis, quod rationem causæ sequitur; 4^o de generali causarum divisione; 5^o de variis speciebus causæ efficientis; 6^o de subjecto causæ efficientis; 7^o de causâ finali ejusque speciebus; 8^o de fortunâ, casu et fato.

§ I. — De notionem et divisionem actionis.

192. I. Actio, si spectetur in universum, est illud quo aliquid constituitur operans.

Si autem definiri velit, prout inest creaturis, est *accidens quod causæ cuiusdam advenit cum constituitur in actu aliquid efficiens* : v. g., intelligere, loqui. — Passio est *accidens quod ens quoddam recipit actionem causæ efficientis*; v. g., moveri, secari. Aliis verbis, actio dici potest exercitatio potentie activæ, et passio exercitatio potentie passivæ. — Actio vocatur adhuc a Scholasticis *actus secundus* essentiae, utpote qui præsupponat existentiam, quæ est *actus primus* essentiae. — Eam porro, in creaturis, esse merum accidens, probavimus supra (n. 119).

193. II. Porro vel *effectus* actionis in ipso agente remanet, vel egreditur ab agente ad aliquid extrinsecum. Si prius, actio dicitur *immanens*; si posterius, *transiens*. Itaque actio immanens nihil producit ad extra, sed tota in agente exercetur

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 6, *La cause*.

ipsumque duntaxat perficit : v. g., sentire, intelligere. Actio *transiens* producit aliquid ad extra, proindeque non in agente, sed in patiente exercetur, quod etiam perficit : v. g., calefacere, scribere, aliaque id genus.

192. *Existere* autem duplex istud actionis genus cum observatio externa, tum conscientia ipsa cuique testatur.

Attamen Leibnitzius actionem *transeuntem* impossibilem esse decrevit (*Monadol.*, p. 703, n. 7), tum quia in illâ, agens videtur agere *in distans*, nimirum ad extra, ubi non est; tum quia videtur a se accidens quoddam abjicere, quod evagetur extra ipsum, donec in patiens sese recipiat. Sed objectiones istæ haud ægrè solvi possunt.

Quod ad 1^{am} attinet, actionem *in distans* absolutè rejicimus, quia moventis ad mobile sit oportet contactus aliquis. Nam actio agentis patienti communicari debet; alioquin ab ipso non reciperetur. Porro ei communicari nequit, nisi agens patienti aliquo modo conjungatur (Cf. S. Th., 1^a, q. 8, a. 1, ad 3).

At dupliciter illa conjunctio fieri potest, nimirum præsentia *suppositi*, et præsentia *virtutis*. In 1^o casu, agens substantiâ suâ *immediatè* patienti præsens est illudque tangit contactu quantitatis, aut saltem virtutis. — In 2^o casu, agens patienti non *immediatè* præsens est substantialiter, sed per aliquod *medium* virtutem suam diffundit, donec ea perveniat ad patiens eique applicetur. Hac ratione sol præsens est terræ, quam suo calore recreat. Itaque actio ad extra actionem *in distans* non involvit.

Porro 2^a objectio satis futilis est. Quippe actio *transiens* in eo non est posita, ut agens aliquod accidens a propria substantiâ abjiciat, ad illud patienti communicandum, sed in eo ut patiens ex potentiâ ad actum reducat. Patiens enim, si modo ab agente moveatur atque suscitetur, vim habet unde ex potentiâ transeat ad actum; e. g. discipulo vis inest quâ disciplinam acquirat, si incitetur a magistro, et ita de omni ente quod movetur.

193. Altera divisio actionis est in *instantaneam* et *successivam*. Prior fit subito ac sine motu, in eâque effectus simul

« dumentum, et indumentum quod habetur, est habitus me-
« dius. » (1^a 2^a, q. 49, a. 1, c).

ARTICULUS VIII

De actione et passione (1).

191. Quum actionis et passionis categoria et theoria de causis maximi sint momenti, multasque moverint et moveant hodie inter philosophos discordias, de his diligentiori curâ disserere operæ est; quod ut præstetur, dicemus : 1^o de notionem et divisionem actionis; 2^o de notionem causæ et principii; 3^o de principio causalitatis, quod rationem causæ sequitur; 4^o de generali causarum divisione; 5^o de variis speciebus causæ efficientis; 6^o de subjecto causæ efficientis; 7^o de causâ finali ejusque speciebus; 8^o de fortunâ, casu et fato.

§ I. — De notionem et divisionem actionis.

192. I. Actio, si spectetur in universum, est illud quo aliquid constituitur operans.

Si autem definiri velit, prout inest creaturis, est *accidens quod causæ cuiusdam advenit cum constituitur in actu aliquid efficiens* : v. g., intelligere, loqui. — Passio est *accidens quod ens quoddam recipit actionem causæ efficientis*; v. g., moveri, secari. Aliis verbis, actio dici potest exercitatio potentie activæ, et passio exercitatio potentie passivæ. — Actio vocatur adhuc a Scholasticis *actus secundus* essentialis, utpote qui præsupponat existentiam, quæ est *actus primus* essentialis. — Eam porro, in creaturis, esse merum accidens, probavimus supra (n. 119).

193. II. Porro vel *effectus* actionis in ipso agente remanet, vel egreditur ab agente ad aliquid extrinsecum. Si prius, actio dicitur *immanens*; si posterius, *transiens*. Itaque actio immanens nihil producit ad extra, sed tota in agente exercetur

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 6, *La cause*.

ipsumque duntaxat perficit : v. g., sentire, intelligere. Actio *transiens* producit aliquid ad extra, proindeque non in agente, sed in patiente exercetur, quod etiam perficit : v. g., calefacere, scribere, aliaque id genus.

192. *Existere* autem duplex istud actionis genus cum observatio externa, tum conscientia ipsa cuique testatur.

Attamen Leibnitzius actionem *transeuntem* impossibilem esse decrevit (*Monadol.*, p. 703, n. 7), tum quia in illâ, agens videtur agere *in distans*, nimirum ad extra, ubi non est; tum quia videtur a se accidens quoddam abjicere, quod evagetur extra ipsum, donec in patientem sese recipiat. Sed objectiones istæ haud ægrè solvi possunt.

Quod ad 1^{am} attinet, actionem *in distans* absolutè rejicimus, quia movens ad mobile sit oportet contactus aliquis. Nam actio agentis patienti communicari debet; alioquin ab ipso non reciperetur. Porro ei communicari nequit, nisi agens patienti aliquo modo conjungatur (Cf. S. Th., 1^a, q. 8, a. 1, ad 3).

At dupliciter illa conjunctio fieri potest, nimirum præsentia *suppositi*, et præsentia *virtutis*. In 1^o casu, agens substantiâ suâ *immediatè* patienti præsens est illudque tangit contactu quantitatis, aut saltem virtutis. — In 2^o casu, agens patienti non *immediatè* præsens est substantialiter, sed per aliquod *medium* virtutem suam diffundit, donec ea perveniat ad patientem eique applicetur. Hac ratione sol præsens est terræ, quam suo calore recreat. Itaque actio ad extra actionem *in distans* non involvit.

Porro 2^a objectio satis futilis est. Quippe actio *transiens* in eo non est posita, ut agens aliquod accidens a propria substantiâ abjiciat, ad illud patienti communicandum, sed in eo ut patientem ex potentiâ ad actum reducat. Patientem enim, si modo ab agente moveatur atque suscitetur, vim habet unde ex potentiâ transeat ad actum; e. g. discipulo vis inest quâ disciplinam acquirat, si incitetur a magistro, et ita de omni ente quod movetur.

193. Altera divisio actionis est in *instantaneam* et *successivam*. Prior fit subito ac sine motu, in eâque effectus simul

fit et factus est : v. g. intellectio, volitio. Posterior non statim, sed per motum absolvitur; ideoque effectus non existit nisi in termino motûs : talis est, v. g. actio quâ ex arbore flores in auras prodeunt.

§ II. — De notione causæ et principii.

194. I. *De causâ.* Causa generatim inspecta, definiri potest *id quod ad alicujus productionem confert quocumque modo.* Causæ respondet effectus, qui est illud ipsum quod a causâ quocumque modo producit. Effectus, juxta vim verbi, idem est ac factum; factum autem dicitur id quod ex non-esse ducitur ad esse. — Quare causa triplicem conditionem exigit : 1° ut ab effectu saltem numero differat; 2° ut effectus ab eâ pendeat; 3° ut prior sit effectu, vel tempore, vel saltem logicè.

195. At Oenesidemus 3^{am} conditionem impleri haud posse asseruit. Nam, ex unâ parte, causa non potest producere effectum, nisi ante illum existat; et, ex alterâ parte, causa non est, nisi effectu semel producto.

Porro contradictio evanescit, si distinctione utamur. Etenim causa sub duplici aspectu considerari potest, nempe *entitativè et absolutè*, seu quatenus est aliqua *res*, et *formaliter* ut causa. Jam sub priori quidem aspectu causa effectui aliquo modo præcedere debet; alioquin ad ejus productionem conferre non valeret. — Ac si per motum aut *successivè* agat, debet effectu prior esse *duratione*, quum effectus nonnisi in termino motûs existat. Si autem agat *instantaneè*, satis est ut logicè prior sit effectu; quo sensu sol splendori suo præcedit.

Causa autem sub 2° aspectu considerata, nimirum quatenus *formaliter* est causa, non existit nisi producto semel effectu. Ast autem necesse non est ut illi præcedat, quatenus actu est causa, sed sufficit ut ante illum existat veluti *res* quædam, ad illum producendum idonea.

196. II. *De principio.* Principium significat *illud a quo aliquid procedit quocumque modo*, sive processio ista ratione

influxûs, sive ratione meræ successionis habeatur : e. g. auroram diei principium dicimus, quanquam in diem non influat activè, sed ipsi duntaxat præcedat (1). — Principio respondet *principiatum*, quod definitur *illud quod ab aliquo procedit quocumque modo.*

197. *Corollarium.* *Omnis causa dici potest principium, non autem vicissim.* Equidem causæ et principio id commune est ut ab iis aliquid procedat. Attamen triplici ratione causa differt a principio. Nam 1° ad effectûs productionem confert; unde ille ab eâ pendet; 2° ab eo differt quoad entitatem suam; 3° eo prior est, tempore vel logicè. Nulla autem ex his relationibus viget inter principium et id quod ab eo procedit, ut patet in divinis, videlicet in eâ relatione quâ Filius a Patre generatur, et Spiritus S. a Patre et Filio procedit. Nam divinæ personæ unam eandemque naturam habent, et sunt relationes *subsistentes*. Sed relationes *sunt simul naturâ et cognitione.* Ergo in divinis personis, nihil est productum, diversum aut dependens, nihil prius aut posterius, licet vigeat *ordo originis*, ut profundè loquitur S. Thomas.

Nihilominus, si de *creatis* sermo habeatur, omne principium revera agens est etiam causa; in iis quippe omne agens actione suâ producit aliquid, quod ideo pendet a producente.

§ III. — De principio causalitatis.

Ad principium causalitatis enucleandum tria inquirenda sunt : 1° ejus notio et relatio ad principium rationis sufficientis; 2° modus quo ejus notitiam comparamus, et 3° ejus vis ac legitimitas.

(1) Distinguitur duplex principium, scilicet *rationis et rei*, prout procedit ab eo aliqua cognitio vel realitas; v. g. axiomata, definitiones, divisiones et argumenta sunt principia cognitionis, seu *logica*. E contra, in aliquo composito materia et forma sunt principium *reale*, sed essentialis, ut distinguantur a causâ, quæ est principium *existentiæ*.

I. De notione principii causalitatis et rationis sufficientis.

198. 1^o Principium causalitatis exprimit relationem inter causam et effectum, ejusque duplex est formula. Formula 1^a: *Omnis effectus subaudit causam, vel non datur effectus sine causâ.* Formula 2^a: *Quidquid fit seu incipit, habet causam.* — Porro positivistæ 1^{am} formulam rejiciunt, utpote meram, ut aiunt, *tautologiam*; 2^{am} autem rejicere non possunt; quæ quia in eundem sensum ac 1^a conspirat, cum ipsis adhibenda est.

199. 2^o Principium rationis sufficientis, ita potest exprimi: *Nihil est sine ratione sufficienti.*

Vis hujus principii est perspicua, et maximè universalis extensio. Sine illo nihil intelligi vel explicari potest. Omnis enim explicatio nihil est aliud nisi expositio rationis sufficientis rei.

Sic porro procedit humana cognitio: Aliquid est; quod autem est, est, en primum principium. Sed quod est habet rationem cur sit, et cur sit tale potiusquam tale, en secundum.

Jam aliquid est, vel quia sibi sufficit et habet in se rationem seu explicationem suam, vel quia habet eam in alio, a quo pendet vel fluit. V. g. principia sunt ratio sufficiens conclusionum, substantia est ratio sufficiens accidentium, finis mediorum, essentia proprietatum vel attributorum, partes totius quod ex ipsis conflatur, causa effectûs qui ab eâ producitur.

Principium igitur rationis sufficientis rebus omnibus tum necessariis, tum contingentibus æquè convenit, et continet sub se principium causalitatis, quod est proxima illius conclusio et ad res contingentes, quæ fiunt, propriè applicatur.

II. De modo quo principii causalitatis notitiam comparamus.

200. Assertio: *Notitia principii causalitatis inchoatur ab experientiâ, et perficitur ab intellectu.*

PROB. 1^a PARS, quia notionem causæ et effectûs in particulari ab experientiâ tum externâ, tum internâ maximè colligi-

mus; in sensatione, sentimus corpora in nos agere et esse nostræ causam sensationis; v. g. si manum ad ignem admoveamus, non calorem solum sentimus, verum etiam calorem ignis (Cf. S. Th., *Qq. dispp. de Pot.*, q. 3, a. 7, c). — Sentimus adhuc nos cogitare ac velle, et eas actiones ab animâ nostrâ elici, ut sensationes nostras a rebus externis in nobis excitari experimur. — Sentimus insuper nos causam esse conatûs cujusdam aut nisûs, cum v. g. talem vel talem cogitationem amovemus, vel animum ad aliquid attentionis vi applicamus, vel movemus corpus nostrum, vel pondus aliquod levamus, vel aggressorem repellimus.

Quamobrem erravit Humius, ubi asseruit ab experientiâ non connexionis aut causalitatis, at successionis duntaxat ordinem a nobis apprehendi. — Errant etiam positivistæ, cum dicunt causam non esse nisi antecedens ordinarium vel invariabile, effectum verò nonnisi consequens ordinarium vel invariabile. Nam in allatis phænomenis, consequens non tantum certâ lege sequitur antecedens, verum etiam ab eo efficitur, quia non tantum aliud alii succedere, sed aliud ab alio produci videmus vel sentimus. Unde quisque tutò distinguit inter ea quæ aliis succedunt, et ea quæ ab aliis efficiuntur; e. g. docti et indocti sciunt aliter nocti diem, aliter floribus fructus, aut vulnere dolorem succedere; atque in altero casu merè successionis, in altero verò causalitatis ordinem agnoscunt.

Cæterum, constans et necessaria connexio antecedentis et consequentis, quam solam admittunt positivistæ, contradictione laborare videtur. Si enim antecedens nihil agit in consequens, minimè concipitur cur, dato priore, necessariò detur posterius. Jam enim consequens non determinatur ab antecedenti, a quo revera nihil accipit, et tamen determinatur, quia, eo posito, semper et necessariò ponitur (1).

PROB. 2^a PARS. Enimvero principium causalitatis exhibet notionem abstractam, universalem et necessariam. Atqui

(1) « Ex applicatione ignis ad calefactibile semper sequitur calefactio, nisi per accidens esset aliquid impedimentum igni; quod ostendit ignem esse causam caloris per se. » (S. Th., *Qq. dispp. de Pot.*, q. 3, a. 7, c).

sola experientia nihil aliud offert nisi causas vel effectus singulares et contingentes. Oportet igitur animum intendere vim suam in effectus particulares, ab experientiâ oblatos, atque ab iis, abstractionis ope, notionem causæ et effectus universalem eruere. — Et comparatâ jam effectûs et causæ abstractâ notione, advertit intellectus eam inter causam et effectum relationem esse, ut *nullus effectus esse possit sine causâ*, juxta vim ipsam principii causalitatis.

III. *De vi seu legitimitate principii causalitatis.*

201. *Errores.* Tanta est præstantia causarum ut illis e medio sublatis, scientiarum ruina inducatur (1). Itaque *sceptici* omnes cum veteres, tum recentes causalitatis principio bellum devoverunt, volueruntque illius vel *nullam*, vel *subjectivam* tantum vim esse. Inter priores Kapila apud Orientales, Oenesidemus apud Romanos, apud Arabes Algazel, apud Anglos recentius Glanville, Lockins, Humius, numerantur; inter posteriores eminent Kantius.

202. *Assertio:* *Inest vis certa et objectiva principio causalitatis.*

Thesis constat tum ex modo quo notionem principii causalitatis comparamus, tum ex intimâ illius naturâ.

*Probat*ur 1^{um}, quia ex dictis (n. 200) principium causalitatis viâ omnino scientificâ dignoscimus, scilicet partim experientiâ, partim ratiocinio.

*Probat*ur 2^{um}, quia principium causalitatis inter judicia *analytica* recensetur, et vinculo arctissimo connectitur cum principio *contradictionis*.

*Probat*ur *major* ex definitione judicii analytici, quod tum obtinet, quum attributum ex subjecti analysi defluit. Atqui hæc est effectûs essentia, ut causæ necessitatem includat, et ablatâ causâ simul auferatur effectus, imò aliquid sit et non sit simul. Nam effectus est aliquid quod esse incipit, cum antea non existeret, quod proinde ex non-esse transit

(1) « Les causes sont l'alphabet de la science, sans lequel on ne peut lire dans le livre de la nature. » (Glanville, *Sceptis scientifica*).

ad esse. Sed transitus iste implicat contradictionem, nisi realitatem quamdam præsupponat vi cujus efficiatur. Enimverò quod incipit existere, est per se indifferens ad existendum et ad non existendum; existentiam quidem non repellit; alioquin eam recipere haud potuisset; eam autem per se non habet; alioquin semper fuisset. Porrò, ex hypothesi, indifferentia illa victa fuit; siquidem res de quâ nunc, ex non-esse transiit ad esse, sicque determinata fuit ad esse. Si autem non fuit determinata ab aliquo, jam non determinata et simul determinata fuit ad esse. Quo semel admissa, *idem*, *secundum idem*, est et non est simul, sive non-esse æquat ipsum esse, ac proinde ruit principium contradictionis. Ergo analysis ipsa rei quæ incipit, implicat effectum; effectus autem implicat causam.

§ IV. *De generali causarum divisione.*

203. Percelebris est aristotelica divisio causarum in efficientem, materialem, formalem et finalem. Causa *efficiens* ea est quæ actione suâ *producit* effectum; causa *materialis* est subjectum in quo actionem suam exercet causa efficiens et ex quo effectum educit; causa *formalis* est illud vi cujus effectus in tali vel tali *specie* constituitur; causa *finalis* est id *propter quod* causa efficiens effectum producit.

204. Porrò divisio ista admittenda est, utpote membris opposita et adæquata.

1^o *Est membris opposita.* Nihil enim effici potest nisi ab aliquo; inde causa efficiens; causa autem efficiens creata, cum nihil creare possit, indiget subjecto ex quo effectum educat; inde causa materialis; sed nihil fit nisi speciem determinatam sortiatur; inde causa formalis; demum omnis causa efficiens ob certum finem agit; inde causa finalis. — Quatuor hæc inveniuntur in exemplo artificis statuam Cæsaris concinnantis ex marmore, ob peritiam suam aliis prædicandam.

2^o *Est adæquata.* Nam si qua sint quæ in prædictis causis non *explicitè* contineri videantur, ad eas facile possunt *reduci*:

e. g. *motivum* ad causam finalem revocatur. Si enim, ut nobis videtur, partim a fine putetur discernendum, definiri poterit *quidquid habet rationem moventis*. Porro ratio moventis primò quidem fini competit, qui propter se appetitur, et secundariò mediis ipsis, quatenus ad finem perducunt. Motivum ergo est *id quod habet rationem finis in fine, et mediū in medio*. — Porro ad motivum reducitur causa quæ a recentibus dicitur *causa determinans*.

Causa autem *instrumentalis* ad causam efficientem refertur; quia, ex dicendis, instrumento competit actio propria in producendo effectu.

Denique causa *exemplaris* est quædam species causæ formalis, quippe cum secundum ipsam producatur effectus, qui similitudinem ejus accipit.

3° *Est rectè ordinata*. Quatuor prædictæ causæ sic inter se ordinari possunt: Finis allicit causam efficientem, quæ utens certâ materiâ certum opus, v. g. aliquam statuam, conficit, juxta *ideam* exemplarem præconceptam.

§ V. — De variis speciebus causæ efficientis.

Ex triplici parte accipere licet divisionem causæ efficientis, nimirum ex *influxu* ejus in effectum, ex *modo* quo producit effectum, et ex ejus *similitudine* cum effectu.

I. Divisio causæ efficientis ex gradu influxus ejus in effectum producendum.

205. Ex hac parte quintuplex est genus causæ efficientis, scilicet causa prima et secunda, positiva et merè occasionalis, principalis et instrumentalis, completa et partialis, universalis et particularis.

1° Causa *prima* dicitur quæ ab altiore causâ non pendet; talis est solus Deus; dum causa *secunda* pendet ab altiore causâ, nempe a Deo.

2° Causa *positiva* et *proprie agens*, ea est quæ actione suâ in effectum reipsa influit; causa autem merè *occasionalis* ea est cujus occasione *altera* causa producit effectum, licet ipsa

nihil agat in effectus productione; v. g. si quis, viso divitis auro, sese ad furtum determinet. — At reipsa occasionibus inest persæpe vis alliciens quâ sponte movemur; unde non minimi momenti sunt in vitâ nostrâ, præsertim in re morali.

3° Causa *principalis propria* virtute effectum gignit; causa verò *instrumentalis*, non tam propriâ, quàm superiore vi quæ ipsam regit et elevat. Talis est calamus qui, movente manu poetæ, versiculos scribit. — « Instrumentum igitur, « ut dicit S. Thomas, habet duas actiones, unam *instrumentalem*, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam autem habet « actionem *propriam*, quæ competit sibi secundum propriam « formam, sicut securi competit scindere, ratione suæ acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum « artis: non autem perficit instrumentalem actionem, nisi « in exercendo actionem propriam; scindendo enim facit « lectum. » (3^a, q. 62, a. 1, ad 2).

Causa instrumentalis dici debet *adjuvans*, dum causa principalis est *perficiens*.

4° Causa *completa* sive *totalis* vocatur quæ, *in ordine suo*, ad producendum suum effectum sufficit; secus, dicitur *partialis*, ut cum v. g. duo equi currum trahunt.

5° Causa *universalis* ea est quæ *plures effectus specierum distinctarum producere potest*; v. g. anima humana quæ præter operationes intellectuales sibi proprias, præstat adhuc operationes vitæ sensitivæ et vitæ vegetativæ. Deus verò dicitur causa *universalissima*, quia producere potest effectus omnium causarum secundarum, et multò amplius. — Causa econtra *particularis* illa est quæ ad *unam speciem effectuum limitatur*; v. g. planta, cujus activitas intra vegetationis limites tota continetur.

II. Ex modo quo effectum producit.

206. Quadrifariam causa dividitur, nempe in proximam et remotam, necessariam et liberam, physicam et moralem, per se et per accidens.

1^o Causa *proxima* ea est quæ immediatè influit in effectum, dum causa *remota* in eum non influit, nisi aliis intercedentibus. Unde fit ut effectus *natura* non ex remotâ, sed ex proximâ causâ determinetur. E. g. si intellectus a voluntate moveatur ad considerationem alicujus rei, ex intellectu, non ex voluntate judicanda erit consideratio, utpote immediatè ab intellectu eliciatur, et mediâtè solùm a voluntate pendeat. Causa remota est propriè causa *præparans*.

2^o Causa *necessaria*, dicitur quæ agit solo impulsu suæ naturæ, ut agunt omnia entia intellectu carentia, dum causa *libera* agit ex *electione*; v. g. homo.

3^o Causa *physica* est quæ per actionem *propriam* effectum producit; v. g. ignis est causa physica combustionis stipulæ. Causa *moralis* seu *consilians*, est quæ persuasione, promissionibus, minis vel aliis id genus mediis, in effectum influit; v. g. cum quis alium ad benè agendum persuasione inducit.

4^o Causa nuncupatur *per se*, aut *per accidens*, prout effectum gignit ad quem suâ naturâ comparatur, aut *præter intentionem*: v. g. ignis *per se* comburit lignum, gallus autem escam quærens, *per accidens* margaritam reperit.

Ad causam *per accidens* reducitur causa *removens prohibens*, et causa vulgò *sine quâ non*. Prior dicitur quæ, quam effectum aliquem *per se* non producat, tamen removet *obstaculum*, quo remoto, producit effectus ab *aliâ* causâ: v. g., ut cum D. Thomâ loquamur, « illuminare domum dicitur et immittens lumen, sicut sol, et aperiens fenestram, quæ lumini obstat. » (*Qq. dispp. de Verit.*, q. 9, a. 3).

Exemplum causæ aut *conditionis sine quâ non* habetur in admotione ignis ad stupam, sine quâ stupa non comburere, etsi admotio ista *per se* in combustionem non agat.

III. Ratione similitudinis inter causam et effectum.

207. Clarissima est divisio causæ in univocam, æquivocam et analogam. Causa *univoca* cum suo effectum convenit *specie*; v. g. homo cum homine quem generat. Causa *æquivoca* convenit cum suo effectum *genere*, sed differt *specie*; qualis est

similitudo solis cum diversis effectibus ad quos producendos actione suâ concurrat. Causa *analogæ* ne genere quidem cum effectum suo convenit, sed secundum *remotissimam* similitudinem, quæ vulgò analogia dicitur: talis est similitudo creaturarum cum Deo, qui nullo genere continetur, sed omnia genera transcendit.

208. Corollarium. Hinc duo sequuntur *axiomata*, scilicet: *Omnis effectus in suâ causâ continetur; Ex cognitione effectus ad cognitionem causæ assurgere licet.*

Ratio est quia effectus a causâ promanat, et ideo ad eam ducere potest.

Attamen diverso modo potest in eâ contineri, nempe *virtualiter*, sive in illius vi; *formaliter*, si habeat eandem speciem ac ipsa; *eminenter*, si cum eâ analogicè solùm conveniat. Deus enim rerum a se creaturarum perfectiones habet, sed eminentiori modo quàm res ipsæ quibus istæ perfectiones formaliter insunt.

Ex aliâ parte, cognitio causæ per effectum tantò major vel minor erit, quantò major vel minor fuerit convenientia effectus cum suâ causâ.

§ VI. — De subjecto causæ efficientis.

209. *Errores*. Si Malebranchio (1) et Gerdilio fides, tanta est dignitas causæ efficientis, ut soli Deo competere queat; res autem creatæ, vel omnes, vel saltem corporeæ, nihil agant, sed Deo solùm *occasionem* præbeant producendi varios effectus quos præ oculis habemus. Juxta eos, v. g. ignis nullo modo lignum comburit, sed Deus ipse ad occasionem seu præsentiam ignis. Hinc nomen *occasionalismi* quo istud systema nuncupatur. — Jam occasionalismus dicitur *rigidior*, si rebus creatis omnibus, *mitior* autem, si corporibus solis agendi vim denegat.

Impresentiarum probandum nobis est agendi vim cunctis rebus creatis convenire *posse*; in Cosmologiâ enim, ubi de

(1) *Entretiens sur la Métaph.*, 7^e entret., et *Recherche de la vérité*, t. I, l. 1, c. 1.

variis corporum proprietatibus, activitatem ipsis *reipsa* convenire demonstrabimus.

210. Assertio: *Rebus creatis omnibus vis agendi competere potest.*

Si enim ea vis repugnaret, vel ex parte creaturarum, vel ex parte Dei. Sed neutrum dici potest:

1° *Non ex parte creaturarum.* In tantum ex parte creaturarum vis agendi repugnaret, in quantum iis aut aliquid divinum, aut saltem independentiam a Deo largiretur. Porrò utrumque falsum est: simplex enim actio nihil divinum præ se fert, sed ea solum actio quæ *creatrix* vocatur, scilicet quæ aliquid facit ex *nihilo*; quam rebus creatis haud concedimus. — Nec simplex actio independentiam præ se fert, quum e contrario, nulla res creata possit agere, nisi Deus eam ad agendum juvet.

2° *Non ex parte Dei.* Deus enim creaturis largiri potest quidquid ipsarum naturæ convenit. Atqui talis est vis agendi, relativè ad naturam creaturarum. — Quinimo derogat potentia Dei qui asserit eum facere non posse quod *in se* possibile est, maximè quum Deus sit agens perfectissimum, cujus est perfectiorem effectum producere. « Detrahere perfectioni creaturarum, aut Angelicus, est detrahere perfectioni divinæ virtutis. Sed si nulla creatura habet aliquam actionem ad aliquem effectum producendum, multum detrahitur perfectioni creaturæ. Ex abundantia enim perfectionis est quòd perfectionem quam aliquid habet, possit alteri communicare. » (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 69).

§ VII. — De causâ finali (1).

Duo inquirenda sunt de causâ finali, scilicet 1° ejus notio et variæ species; 2° ejus existentia in universâ naturâ.

I. De notione ac variis speciebus causarum finalium.

211. 1° Finis (2), est id cujus gratiâ fit aliquid, sive id cu-

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 7, *La fin*.

(2) « Per nomen finis intelligitur quidquid rem aliquam *finit*, ac ultra

jus agens consecutionem exoptat, tanquam sui actûs terminum.

Uti vides, finis nomen causæ præcipuo jure meretur, siquidem allicit agentem ad agendum et per eum mediâtè alias causas movet. Unde axioma: *Finis est causa causarum.*

212. 2° Dividitur finis in finem *in intentione*, et finem *in executione*. Prior est objectum ipsum, quatenus apprehensum et concupitum. Posterior autem est objectum, quatenus adeptum. Sub diverso igitur respectu, finis est simul *principium ac terminus* actionis. Inde axioma: *Finis est prior in intentione, et posterior in executione.*

Manifestum est finem in ordine executionis causam nuncupari non posse, cum sit *terminus* actionis.

Porrò finis in ordine intentionis dividitur in primarium et accessorium, ultimum et intermedium, naturalem et supernaturalem, in finem operis et operantis.

Finis *primarius* aut *principalis* ille est quem præ aliis intendit agens, ita ut, eo posito, actum exerat, non posito, non exerat. Finis *accessorius* seu impulsivus movet agentem ut *facilius* agat, ita tamen ut, ipso non posito, agens ab actu non desisteret.

Finis *ultimus* est quem *propter* se agens intendit, et ad quem *cætera* refert; v. g. vir pius amat Deum propter se, et alia propter Deum. Finis autem *intermedius* ab agente refertur ad ultimum finem. — Attamen a simplici *medio* sedulo secerni debet; licèt enim ad finem ulteriorem referatur, tamen desideratur propter se; medium autem non propter se, sed tantum ob relationem suam ad finem desideratur. E. g. amarâ medicinâ ægrotus non utitur, nisi quia confert ad valetudinem recuperandam, sed exoptat valetudinem propter se, quanquam eam ad gloriam Dei ordinare intendat.

Finis *naturalis* est cujus exigentiam habent res creatæ, quemque propriis viribus, adjuvante Deo, assequi possunt.

« quod res se non porrigit. Quare punctus respectu lineæ, limites respectu regionis alicujus, ultima completio operis, consumptio vel corruptio rei, id denique quo obtento, operatio agentis disinit, dicitur « *finis*. » (LEPIDI, *Ontol.*, p. 273).

Finis *supernaturalis* est qui rerum creaturarum *exigentias ac vires proprias superat*; ad quem proinde nomisi gratuito Dei munere elewantur.

Finis *operis* vocatur ad quem opus quoddam *ex seipso* spectat, quæcumque sit operantis intentio; e. g. finis operis eleemosynæ est sublevatio pauperum. Finis *operantis* dicitur quem *operans sibi proponit* in actu suo, sive idem sit ac finis operis, sive diversus.

213. *Relatio* quæ viget inter media et finem, tribus maximè axiomatibus celebratur: *Media sunt propter finem.* — *Qui vult finem vult media ad finem.* — *Media fini debent esse proportionata.*

H. De existentia causarum finalium in natura.

214. *Assertio*: *Omnia entia propter aliquem finem agunt.*

Probatur *experientia*. Hæc enim, ut uberius in Theologiâ naturali ostendemus, in *singulis* entibus mundanis, manifestius autem in *viventibus*, exhibet agendi modum proprium ac certum, juxta ordinem ratum et constantem, et deinde *proportiones* aptissimè dispositas inter structuram vel organa et operationem propriam. Porro hæc duo a casu vel a viribus *mecanicis* explicari minimè queunt, sed præ se ferunt *artem* quamdam seu *consilium*, ac proinde arguunt *media* ad *finem* disposita. Casus enim dicit aliquid *fortuitum*, nullâ industriâ præfixum; quod autem est fortuitum et cæcum, nullum continet principium *harmonie* et *constantie*, imò ei adversatur. — At vires *mecanicæ*, ut ipse casus, omnino alienæ sunt ab *ordinis*, *proportionis* vel *harmonie* ideâ, et ideò explicationem seu rationem ejus præstare non valent.

215. *Occurritur objectioni*. Thesis nostra nullam *objectionem* movet, cum applicatur agentibus intellectu præditis, v. g. homini. Homo enim cognoscit proportionem inter media et finem, et potest ea eligere quæ idonea sint ad finem attingendum.

At agentia *naturalia* non videntur agere *propter* finem, sed magis *necessitate* suæ naturæ, cum aut intellectu, aut etiam

sensu careant. Attamen in promptu est responsio. Ut enim aliquid agens agat propter finem, necesse non est ut eum cognoscat, et ad eum spontè se *dirigat*, sed sufficit ut ad eum revera *ordinetur* ac *rectâ tendat*. « Necessitas autem naturalis inhærens rebus quâ determinantur ad unum, est impressio quædam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas quâ sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis et non sagittæ. » (S. Thomas, 1^a, q. 103, a. 1, ad 3).

216. *Corollarium*. Ex dictis colligitur eos vehementer errare, qui ut Epicurus aliique fautores casûs, causas finales existere negant; vel cum Cartesio nobis impervias esse dicunt; vel cum Bacone asserunt eas esse inutiles, imò nocivas, in studio scientiarum *naturalium*.

At 1^o quanquam non semper finem rerum exploratum habere nobis licet, tamen sæpius licet, si tum observationis, tum ratiocinii documentis utamur. — 2^o Quantum scientiis naturalibus nocet, qui finem rebus *a priori* imponit, ut earum proprietates ac naturam inde inferat, tantum qui earumdem finem ex industriâ negligit. Quippe finis alicujus rei est *ratio* et proinde *mensura* proprietatum ac virium ejus; cum enim illæ ad eum attingendum destinentur, ei adamussim proportionatæ esse debent. Itaque cognitio finis ad proprietatum, et ulterius ad naturæ entium cognitionem perducit, perinde ac notio mensuræ ad mensurati notionem. (Cf. S. Th., I *Poster Analyt.* lect., 15.) Sic, ut exemplum afferamus, ex fine valvularum circulationem sanguinis Harvey adinvenit.

Porro, quod attinet ad inquisitionem causarum finalium in scientiis naturalibus, accuratum tenebimus ordinem, si non facta ex fine, sed ex factis observatis finem colligemus.

§ VIII. — De casu, fortunâ et fato.

217. Quæ de causis efficientibus finalibusque declaravimus, lucem afferunt quæstioni quæ agitari solet circa fortunam, casum et fatum, quibus *effectus* nonnulli sæpe tribuntur.

1^o *Casus* porro definiri potest *effectus secutus præter ordinem*

vel intentionem causæ suæ. Si quid enim accidat præter ordinem solitum alicujus causæ, aut præter ipsius voluntatem seu prævisionem, *casuale* nuncupatur; e. g. si tegula ex tecto decidens prætereuntem hominem fortè occidat, mors ejus dicitur *casualis*.

2º A casu *fortuna* secernitur, quia is dicitur de causis sive rationalibus, sive ratione destitutis, illa autem non nisi de agentibus rationalibus; hominum quippe vel celebratur *fortuna*, vel deploratur *infortunium*.

Jam evidens est relative ad Deum nec ullum esse casum nec fortunam. Cum enim Deus scientiæ ac virtutis infinitæ sit, nihil accidere potest præter ejus præscientiam vel ordinationem, quæ in mundo cuncta disponit ac moderatur. At experientia patet, relative ad causas secundas fatum ac fortunam vigere, utpote quarum actio solita impediri possit, aut falli prævisio (1).

3º *Fatum* a quibusdam habetur ut « *necessitas rerum omnium actionumque quam nulla vis rumpat.* » (Seneca, *Natural. qq.*, l. 2, c. 36.). Cujus opinionis falsitas colligitur ex dictis in Anthropologiâ de libertate hominis, et ex dicendis in Theologiâ naturali, de libertate Dei.

A Boetio melius fatum definitur *ordo causarum secundarum divinam providentiam exequentium*. Ratio est quia res creatas divina ita regit sapientia, ut singulæ, seu liberè, seu necessitate naturæ agant, æquè tamen *ordinationi* divinæ *subjiciantur*.

Sed *strictius* acceptum fatum designat actiones rerum na-

(1) Clarè D. Thomas: « Aliter est de causâ universali et de causâ particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causæ universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impredientem; sicut lignum impeditur a combustionem per actionem aquæ; In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse *casuale* vel *fortuitum* respectu causæ particularis; sed respectu causæ universalis, a cujus ordine subtrahi non potest (omnes enim causæ particulares concluduntur sub universali causâ) dicitur esse *provisum*. Sicut et concursus duorum servorum, licet sit *casualis*, in quantum ad eos, est tamen *provisus* a domino qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat. » (1ª, q. 22, a. 2, ad 1).

turalium, quæ cum *intellectu* careant, nequeunt aliter agere atque agunt.

Porrò cum voces *fatum*, *casus*, *fortuna*, ambiguarum sint significationis, parcius iis utemur, si linguam, ut S. Augustinus hortatur, velimus corrigere.

COSMOLOGIA

PRÆVIÆ NOTIONES

1. *Cosmologiæ definitio.* Si *etymon* quæras, *Cosmologia* oritur ex græco fonte, *κοσμος, λογος*, et idem sibi vult ac sermo de mundo. Unde Plinius: « Quem Græci (post Pythagoram) « *κοσμον*, nomine *ornamenti*, appellavere, eum nos a perfectâ « *elegantia mundum* dicimus. » (*Hist. natur.*, l. 2, n. 3).

Quoad *rem*, *Cosmologia* definiri potest *scientia mundi universim inspecti, per supremas ejus causas vel rationes.*

Dicitur 1^o scientia mundi universim inspecti; quibus verbis indicatur ejus objectum *materiale*. *Cosmologia* quippe disserit de universitate rerum creatarum adspectabilium, homine tamen excepto. Homo enim, quanquam in universitate rerum visibilium contineatur, specialem tamen scientiam exigit, quam *Anthropologiam* vocamus. Enimvero dum cætera entia mundana, mineralia, inquam, vegetabilia et animalia, materialem substantiam, vario licet gradu habent, homo spirituali et immortalis animâ fruitur, quâ toto cælo ab illis differt et speciale, ut aiunt, *regnum* constituit.

Dicitur 2^o per supremas ejus causas vel rationes; unde *Cosmologia* essentialiter seu *formaliter* differt ab aliis scientiis naturalibus quæ versantur circa entia mundana. Nam illæ rerum physicarum diversa phænomena, speciales proprietates ac leges minutatim, per causas earum *proximas* explorant, præsertimque ope experientiæ. *Cosmologia* autem, utpote *Metaphysicæ* pars quædam, est *scientia generalior*, quæ suprema mundi principia supremasque causas declarat, idque præsertim ope rationis. Quamobrem scientiis naturalibus longè præcellit.

2. *Cosmologiæ magna et varia est utilitas.* Nam præter notiones magni momenti quas suppeditat de mundo, multum confert ad penitiorum *hominis* cognitionem, cum pars hominis corporea, vegetativa et sensitiva, cognosci distinctè non queat, nisi ex plenâ cognitione corporum, plantarum atque animalium. Multum quoque confert ad cognitionem Dei, siquidem multa et manifestiora præbet argumenta in gratiam illius existentiae et attributorum.

Accedit quòd maximum implet munus erga scientias *naturales*. Nam eas *complet*, cum declarat rerum materialium naturam, originem, finem ultimum, ac vim legum mundi; quæ omnia eæ minimè attingunt. Quin etiam earum cultores a periculo *materialismi* tutos facit; testis enim est experientia, nostri præsertim ævi, eos qui rerum materialium studio incumbunt ex solâ observatione factorum et ignorant principia rationis, in sensualismum facilè declinare; v. g. de origine rerum in genere et maxime de origine vitæ ac sensûs.

3. *Cosmologia dividitur* in duas partes, quarum altera de mundo in universum, altera de variis mundanis rebus sigillatim disserit. Priorem, *cosmologiam generalem*, posteriorem, *cosmologiam specialem* appellare liceat.

COSMOLOGIÆ PRIMA PARS

SIVE

COSMOLOGIA GENERALIS

Cosmologia generalis de mundo in universum disputat. Porrò de mundo in universum quatuor inquiri possunt, scilicet 1^o quæ sit ejus natura? 2^o quæ origo? 3^o quis finis? 4^o quæ leges?

CAPUT I

DE NATURA ET PERFECTIONE MUNDI

4. Mundus definiri potest ens undequaque *compositum*, *mutabile*, *contingens*, *finitum*, ac *relativè*, non autem *absolutè perfectum* sive *optimum*. Cujus definitionis partes singulæ probandæ sunt.

I. *Mundus est undequaque compositus.*

5. Quintuplicis enim generis compositio in eo invenitur, scilicet: 1° quoad *numerum*, quia constat ex substantiis pluribus, in unum ordinatis; 2° quoad *accidentia*, quia diversæ illius substantiæ mobilibus qualitatibus afficiuntur; 3° quoad *integritatem*; constat enim ex pluribus partibus revera distinctis, ex quibus emergit ejus integritas; 4° quoad *essentiam*, quippe coalescit ex substantiis naturâ diversis, nempe mineralibus, plantis, animalibus; 5° demum componitur ex *compositis*, cum singula entia mundana ipsa sint composita.

II. *Mundus est mutabilis.*

6. Nam experientiâ teste, corpora aspectabilia perpetuas patiuntur mutationes alterationesque, sive ex loco in locum moveantur, sive augeantur vel minuantur, vel etiam intereant.

III. *Mundus est contingens.*

7. 1° Ex dictis, mundus mutatione laborat. Sed quidquid mutatur, contingens quoque sit oportet; siquidem alium accipit essendi modum, dum ens necessarium non potest esse aliter atque est. — 2° Insuper, illud contingens dicitur cujus non existentia minimè repugnat. Atqui talis est mundus; ejus

enim cum *singula*, tum *omnia* entia optimè concipiuntur existentia spoliari posse, quin aliquid absurdi sequatur.

IV. *Mundus est finitus.*

8. Probatur quia nonnisi finitum esse potest ens compositum, corporeum, mutabile et contingens; nam istæ notæ naturæ infiniti omnino adversantur. — Cæterum, quod coalescit ex partibus finitis, est etiam finitum. Atqui talis est mundus.

V. *Mundus est relativè perfectus (1).*

9. Probatur contra Schopenhauer qui assertit mundum esse *pessimum*, et contra Hartmann qui putat eum *malum* esse ac nihilo pejorem.

Porro optimismus *relativus* sibi vult creari potuisse alia entia hujus mundi entibus perfectiora, et ipsa hujus mundi entia esse posse *accidentaliter* perfectiora; sed tamen ea entia, uti sunt reipsa, tam rectè *singula* componi, tamque decenter alia aliis aptari, ac tam consentientibus legibus regi, ut inde pulcherrimus ordo efflorescat. Porrò ita se rem habere sic declarat D. Thomas: « Universum, *suppositis istis rebus*, non potest esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit; quorum si unum aliquod esset melius, corrumpeteretur proportio *ordinis*, sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumpeteretur citharædæ melodia. » (1^a, q. 25, a. 6, ad 3).

Quam quidem sententiam amplius in Theologiâ naturali evolvemus, ubi ex ordine mundi probabimus existentiam Dei, ac Providentiam a variis objectionibus vindicabimus.

VI. *Mundus non est absolutè perfectus.*

10. Quidam philosophi profitentur optimismum *absolutum*, ita ut nullus mundus melior esse possit eo quem præ oculis habemus. Sed illi diverso innituntur principio; Malebranchius

(1) Cf. S. Th., 1^a, q. 25, a. 5, 6; *Qq. disp. de Pot.*, q. 1, a. 5, c.; *de Ver.*, q. 20, a. 4, c., et opus nostrum *L'Idée du Beau*, 2^e part., c. 2, § 4.

(*Entret.* 9^o sur la *Métaph.* n. 10, 14) et Leibnitzius (*Theodic.*, 1^o part. § 8, *Disc. de Met.*, n. 3-6) argumentantur ex *ideâ* Dei, qui cùm sit sapientissimus non nisi optimum mundum creare potest, alioquin malè ageret, quia minus bonum habet rationem mali. Alii verò argumentantur ex *ideâ progressûs continui*, *vi* cùjus mundus *sponte*, quanquam lente, ad optimum tendit; ita Renan et alii inter recentes.

11. At verò 1^o Malebranchii et Leibnitzii systema *falso innititur fundamento*; siquidem sapientia Dei integra remanet, si modò hic mundus sit *in se* bonus et optimus *relativè* ad finem Dei; jam enim ad attributa divina clarè manifestanda idoneus est. — Nec nisi abusu vocis, minus bonum dicitur malum, quippe id tantùm malum est quod caret perfectione nature suæ *debilè*. — 2^o *Adversatur attributis Dei; libertati* quidem; cùm enim Deus sit liber in actibus suis *externis*, minimè tenetur ad creandum mundum optimum. — *Potentia* quoque; nam virtus Dei, utpote infinita, ab effectu finito exhauriri nequit, sed quemcumque mundum creare velit, alium eo meliorem efficere potest. — 3^o *Præ se fert aliquid impossibile*; nam mundus absolutè optimus is esset qui infinitè manifestaret Dei attributa. Atqui divinam perfectionem, utpote infinitam, nulla res creata infinitè manifestare potest.

Quod attinet ad commentum *progressûs infiniti*, jam in Ontologia (n. 69) ostendimus ipsum carere fundamento et experientia adversari.

Attamen id hominibus proprium est quòd proficere possunt, sicque suo progressu ad progressum ipsum mundi conspirare.

CAPUT II

DE ORIGINE MUNDI

Circa mundi originem duæ quæstiones agitari solent, nimirum ejus natura et tempus seu antiquitas.

ARTICULUS I

De naturâ originis mundi.

Præstat 1^o exponere errores; 2^o declarare naturam creatio-
tis; 3^o probare ejus possibilitatem; 4^o existentiam; 5^o demonstrare eam solius Dei opus esse.

§ I. — Exponuntur errores de mundi origine.

12. Philosophi qui revelationem vel ignoravère, vel repudiavère, in quatuor præsertim errores circa mundi originem inciderunt.

1^o Alii mundum æternum esse putaverunt sive ratione materiæ, sive ratione formæ aut ordinis quo decoratur. Ita Philolaüs, et *forsan* Aristoteles, qui dicit Deum mundi quidem motorem esse, atque omnia ad se veluti summum bonum appetibile attrahere, quanquam ipse, in centro mundi constitutus, ignarus sit omnium, solaque meditatione sui felicissimus (1).

(1) De Aristotelis sententia pronuntiare non audemus, quia alibi aliter sentire videtur. Nam ut refert D. Thomas (1^o, q. 46, a. 1, c) expressè dicit Aristoteles (*Top.*, l. I, c. 11 : « Quòd quædam sunt problemata *dialectica*, de quibus rationes non habemus, ut utrùm mundus sit æternus. » (Cf. *Met.*, II, 1, xi, 2, 7; *Phys.*, II, 6; *De gener. et corruptione*, II, 10; *Eth. ad Nicom.*, VIII, 14). Item alibi hæc habet præclara : « Une antique « tradition répandue par nos pères dans toute l'humanité, nous apprend

(*Entret.* 9^o sur la *Métaph.* n. 10, 14) et Leibnitzius (*Theodic.*, 1^o part. § 8, *Disc. de Met.*, n. 3-6) argumentantur ex *ideâ* Dei, qui cùm sit sapientissimus non nisi optimum mundum creare potest, alioquin malè ageret, quia minus bonum habet rationem mali. Alii verò argumentantur ex *ideâ progressûs continui*, *vi* cùjus mundus *sponte*, quanquam lente, ad optimum tendit; ita Renan et alii inter recentes.

11. At verò 1^o Malebranchii et Leibnitzii systema *falso innititur fundamento*; siquidem sapientia Dei integra remanet, si modò hic mundus sit *in se* bonus et optimus *relativè* ad finem Dei; jam enim ad attributa divina clarè manifestanda idoneus est. — Nec nisi abusu vocis, minus bonum dicitur malum, quippe id tantùm malum est quod caret perfectione nature suæ *debilè*. — 2^o *Adversatur attributis Dei; libertati* quidem; cùm enim Deus sit liber in actibus suis *externis*, minimè tenetur ad creandum mundum optimum. — *Potentia* quoque; nam virtus Dei, utpote infinita, ab effectu finito exhauriri nequit, sed quemcumque mundum creare velit, alium eo meliorem efficere potest. — 3^o *Præ se fert aliquid impossibile*; nam mundus absolutè optimus is esset qui infinitè manifestaret Dei attributa. Atqui divinam perfectionem, utpote infinitam, nulla res creata infinitè manifestare potest.

Quod attinet ad commentum *progressûs infiniti*, jam in Ontologia (n. 69) ostendimus ipsum carere fundamento et experientia adversari.

Attamen id hominibus proprium est quòd proficere possunt, sicque suo progressu ad progressum ipsum mundi conspirare.

CAPUT II

DE ORIGINE MUNDI

Circa mundi originem duæ quæstiones agitari solent, nimirum ejus natura et tempus seu antiquitas.

ARTICULUS I

De naturâ originis mundi.

Præstat 1^o exponere errores; 2^o declarare naturam creatio-
tis; 3^o probare ejus possibilitatem; 4^o existentiam; 5^o demonstrare eam solius Dei opus esse.

§ I. — Exponuntur errores de mundi origine.

12. Philosophi qui revelationem vel ignoravère, vel repudiavère, in quatuor præsertim errores circa mundi originem inciderunt.

1^o Alii mundum æternum esse putaverunt sive ratione materiae, sive ratione formæ aut ordinis quo decoratur. Ita Philolaüs, et *forsan* Aristoteles, qui dicit Deum mundi quidem motorem esse, atque omnia ad se veluti summum bonum appetibile attrahere, quanquam ipse, in centro mundi constitutus, ignarus sit omnium, solaque meditatione sui felicissimus (1).

(1) De Aristotelis sententia pronuntiare non audemus, quia alibi aliter sentire videtur. Nam ut refert D. Thomas (1^a, q. 46, a. 1, c) expressè dicit Aristoteles (*Top.*, l. I, c. 11: « Quòd quædam sunt problemata *dialectica*, de quibus rationes non habemus, ut utrùm mundus sit æternus. » (Cf. *Met.*, II, 1, xi, 2, 7; *Phys.*, II, 6; *De gener. et corruptione*, II, 10; *Eth. ad Nicom.*, VIII, 14). Item alibi hæc habet præclara: « Une antique « tradition répandue par nos pères dans toute l'humanité, nous apprend

2° Alii post Democritum et Lucretium, senserunt mundum ex *atomis* æternis, ab æterno per inane vagantibus ac tandem fortuitò coalescentibus, *fortuitò* etiam, vel ut nonnullis placet, *sponte* esse coagmentatum.

3° Alii cum Porphyrio, Plotino, et cujusvis ævi pantheistis, docuerunt mundum esse quamdam substantiæ divinæ *emanationem*, vel cum Spinoza, Fichte, Schelling, *evolutionem* quamdam Dei sese multifariam explicantis.

4° Alii demum, a recto minus aberrantes, cum Platone censerunt mundum a Deo non quidem creatum, sed ex *æternâ* materiâ eductum et *ordinatum* fuisse.

§ II. — Declaratur creationis natura.

13. Si *latè* sumatur, creatio ad tria significanda usurpatur solet : 1° ad designandum quodlibet *productionis* genus; 2° ad designandam actionem quâ quis in statum *altiozem* evahitur; quo sensu dicitur aliquem in episcopum creatum fuisse; 3° ad designandas eas actiones quibus vis *inventionis* inest; sic poetarum opera creationem vocamus.

14. At propriè creatio definitur *productio alicujus substantiæ ex nihilo sui et subjecti*.

« que toute chose vient de Dieu, qu'aucune nature ne se suffit et ne subsiste que par son secours... Dieu est en effet conservateur et père de tout ce qui est dans le monde, et il opère dans tout ce qui s'opère. Invisible à toute nature mortelle, il est visible par ses œuvres. Tous les mouvements et tous les êtres qui sont dans l'air, sur la terre, dans les eaux, sont réellement les œuvres de Dieu qui contient l'univers. Dieu est notre loi immuable, la plus sainte et meilleure que les lois écrites sur nos tables : gouvernant tout par une activité incessante et une infaillible harmonie... Dieu donc, d'après l'antique tradition, est le *principe*, la *fin* et le *milieu* de tout ce qui est..., montrant à toute chose la droite voie, toujours suivi de la justice vengeresse des transgresseurs de cette ligne divine, justice que doit posséder quiconque veut arriver dans l'avenir à la béatitude, et quiconque veut être heureux dès maintenant. » (*De mundo*, vi, vii).

Recentes quidam negant authenticitatem libri *de mundo*; admittunt alii, inter quos P. Monsabré (*Conf. de Notre-Dame*, Carême 1873, 3^e conf.), et Pierron Alexis (*Hist. de la Littér. grecq.*, 3^e édit., c. 31).

(1) Creatio, ut monet D. Thomas, sumi potest *activè*, seu in Creatore, et *passivè*, seu in creaturâ. Active accepta, « significat actionem divinam

Dicitur 1° *productio alicujus substantiæ*; accidens enim, cum non sit in seipso, sed in alio, non habet *esse proprium*; et ideo nec habet *fieri proprium*, sed *educitur* ex subjecto in quo recipitur, ut ipsum afficiat. Unde S. Thomas : « Accidentia... et « (formæ) quæ non subsistunt, magis sunt *coexistentia* quàm « *entia*; ita magis debent dici *concreatu* quàm *creata*. Pro- « priè verò creata sunt subsistentia. » (1^a, q. 45, a. 4, c).

Dicitur 2° *ex nihilo sui et subjecti*; ut distinguatur a simplici *effectione*, in quâ substantia quædam produci potest, sed ex præexistenti materiâ; v. g. statua ex marmore confecta; et etiam a *generatione*, in quâ substantia quædam ex aliâ enascitur per modum emanationis, v. g. animal quod nascitur ex alio animali, ejusdem naturæ. — Creator contra nec ex materiâ, nec ex suâ substantiâ extrahit res creatas, sed eas vi suæ potentiæ producit secundum *totalitatem* earum substantiæ.

15. *Corollarium*. Erravit igitur V. Cousin cum asseruit creationem à nobis toties effici, quoties actum aliquem *liberum* elicimus. Sed enim ab actu intellectionis aut volitionis quem liberè producimus, toto cælo creatio distinguitur. Quippe quum aut intelligimus aut volumus, efficimus aliquid merè *accidentale*, ex nostrâ substantiâ *formaliter* eductum, in ipsâque receptum, dum creatæ substantiæ ita diversæ sunt a substantiâ Dei, ut ne genere quidem cum eo conveniant. Quare actio creatrix omnino *singularis* est; nec mirum ad ejus conceptum assurgere haud potuisse philosophos qui ratione solâ nisi sunt. Gratum igitur animum in *revelationem* habere præstat, quæ nisi præluxisset, origo mundi etiam nunc probabiliter lateret philosophiam. ®

§ III. — De possibilitate et convenientiâ creationis.

Rationalistæ plerique notionem strictam creationis habent pro absurdâ. Contra quos sit sequens

cum relatione ad creaturam... Sed passivè accepta « importat habitudinem creaturæ ad creatorem, cum quadam novitate seu inceptione. » (1^a, q. 45, a. 3, ad 1 et ad 3).

16. Assertio : *Creatio nihil præ se fert absurdi, imo causam primam omnino decet.*

PROB. 1^a PARS. Si absurda foret creatio, vel ob novitatem existentie quam recipit creatura, vel ob carentiam præjacentis materie. Sed nihil horum dici valet. — *Non 1^{um}*; quia, ipsa experientia teste, multa entia in dies oriuntur, quæ antea non erant. — *Non 2^{um}*; quia id non involvit contradictionem, quæ tum solum obtinet, cum idem de eodem et sub eodem respectu affirmatur simul et negatur. Hoc autem in creatione non accidit.

PROB. 2^a PARS, quia pertinet ad causam primam ut, inter operandum, a nullâ re alienâ pendeat. Porro actio illa summè independens, in creatione potissimum Deo attribuitur. — Ex aliâ parte, constat experientia artifices eò minus, in suis operibus, materie subjacere, quò magis sunt periti. Hinc potest conjici summum artificem ab eâ minimè pendere.

17. Obj. 1^o Ex nihilo nihil fit. Atqui creatio productionem ex nihilo importat. Ergo præ se fert aliquid impossibile.

R. dist. maj., ex nihilo absoluto nullâque præsuppositâ causâ efficiente, vel ex nihilo tanquam ex causâ materiali, *conc.*; i. e. nihil fit nisi ex præsuppositâ quadam materia, *subdist.*, per causas secundas, *conc.*; per causam primam, *neg.*

Itaque creationis notio non sibi vult fuisse tempus in quo nihil omnino erat; nam ante creationem erat Deus; nec sibi vult mundum a Deo eductum fuisse ex nihilo, tanquam ex causâ materiali. — At significat 1^o mundum conditum esse non ex aliquo, et sine ullâ præjacente materia; quippe « de nihilo est quod non est ex aliquo, » ut loquitur Tertullianus; — 2^o mundum conditum esse ex nihilo, i. e. post nihilum; quia antequam efficeretur, nihil erat; ut enim advertit S. Thomas « res creata naturaliter prius habet non esse quam « esse; » quo sensu dicimus ex mane meridiem fieri, vel aliquem ex paupere divitem evadere. Hæc porro significant post mane meridiem oriri, et aliquem prius pauperem, postea divitem vel sanum fieri.

18. Obj. 2^o Vel causa creatrix ante creationem continebat effectum, vel non. Si prius, non adest creatio, sed tantum

manifestatio alicujus realitatis in causâ absconditæ. Si posterius, repugnat causam producere quod nullatenus continet.

R. conc. maj. et 2^{am} partem *min.* Dist. 1^{am} partem *min.* et *neg. conseq.*

Responsio sumitur ex dictis in Ontologiâ (n. 206) de variis modis quibus causa continere potest suum effectum, scilicet virtualiter, eminenter et formaliter. Porro patet mundum creatum dici haud posse, si ante creationem suam in Deo formaliter esse asseratur; quia jam creatio nihil aliud foret nisi manifestatio cujusdam realitatis in Deo absconditæ. — At creatio remanet integra, si ante creationem mundus in Deo sit virtualiter et eminenter duntaxat; jam enim ante creationem mundus non erat realitas quædam in Deo abscondita, sed nullam aliam in eo existentiam habebat, nisi quod Deus, utpote infinitè perfectus et potens, eminenter continebat perfectiones omnes mundanas ac proinde virtute mundi creandi gaudebat.

§ IV. — Mundus a Deo creatus est (1).

19. Probatur, quia mundus a Deo effectus est secundum totalitatem substantiæ suæ, nempe tum quoad ordinem quo decoratur, tum quoad materiam ex quâ constat.

I. *Ordo mundi a Deo effectus est.* Mundus enim non habet rationem sufficientem sui ordinis in seipso, nec in casu, nec in materie viribus, sed in aliquo ente sapientissimo per se existenti, quod vocamus Deum.

Probatur 1^{um}, quidquid est contingens, non in se, sed in alio rationem habet sufficientem sui; nam ens contingens est indifferens ad esse et ad non-esse, ad esse alio potius quam alio modo; unde oportet ut ab alio determinetur sive ad esse, sive ad tale esse. Sed ordo mundi contingens est; non enim ex materia necessario sequitur, cum ea sit indeterminata, passiva et communis, nullumque certum individuorum numerum, nullam certam partium dispositionem aut collocationem seu in spatio, seu in tempore, nullamque præ aliâ directionem postulet, imò nullam ex se ipsâ vim

(1) Cf. S. Th. 1^a, q. 44, 45, 65, *Cont. Gent.* II, 15-21.

habeat. — Quin etiam ordo ille quem cernimus, non fuit semper *is qui nunc est*; nam et quasdam patitur derogationes, et certâ regi videtur *evolutione*.

Probatur 2^{um}, nempe mundi ordinem non oriri a casu, neque a viribus materiæ insitis. Ratio est quia ista exhibent aliquid cæcum, vel accidentale et inconstans, ac proinde neque complexam indolem, neque claritatem, neque constantiam ordinis mundi explicare queunt.

Oportet itaque ordinem hunc, qui pulcherrima omnium artificum (1) opera ipsamque vincit admirationem, oriri ab *intelligentiâ* necessariâ quadam et *præstanti*, quæ cuique rei suum assignet et conservet locum, præfinit horam, omniumque *dirigat motus*, et caveat ne varia entia in invicem unquam impingant, et curet ut id quod semel definitum est constantiâ fruatur. Quæ omnia nisi *infiniâ* intelligentiæ opus esse, fusius probabimus in Theologiâ naturali, ubi de existentiâ Dei.

II. *Materia ipsa a Deo creata est.*

Probatur quia ipsa etiam est contingens. Et 1^o quidem contingens est *relativè ad Deum*, quatenus Deus eâ minimè indiget ad mundum fabricandum; non enim Deus, aliorum opificum ritu, materiâ eget ex quâ operetur; sed ejus *omnipotentia* locum supplet materiæ. Si autem, ut ait S. Athanasius, Deus « non est materiæ effector, sed ex subjectâ materiâ facit, imbecillis sanè est, cum nihil sine materiâ fabricare queat, quemadmodum utique fabri imbecillitatem indicat, nihil eum sine ligno posse facere. » (*De Incarn. Verbi*, t. 1, pars 1^a, c. 2). — Imò verò, materiâ æterna, improducta, independens igitur, Deum *limitat* eique adversatur ne in eam molliatur quidquam, ut advertit S. Justinus: « Ei enim qui non creavit, nulla est in id quod est increatum potestas ». (*Exhort. ad Gentes*, c. 23) (2).

(1) « Si meliora sunt ea quæ natura, quam illa quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione; nec natura quidem rationis experta est habenda. » (Tullius, *De nat. Deor.*, l. II, c. 34).

(2) « Quomodo, ait Tertullianus, ita subicere Deo materiam, æternam

Præterea, si materiâ est æterna, improducta et necessaria, *immutabilis* quoque sit oportet; si autem immutabilis, Deus ex eâ mundum educere nequit, quia non potest non mutari id ex quo aliquid educitur.

2^o *Contingens est in seipsâ*; nam ens necessarium non potest non esse, nec esse aliter atque est; nullam proinde mutationem experiri potest. Porrò contra materiâ in dies, in horas mutatur; nec terrestria solum, ut olim credebatur, mutantur entia, verum et cœlestia, quæcumque sint corpora, et sol ipse suas patitur vices. Jam terrestrium quidem corporum *geologia* præsertim, cœlestium verò *astronomia* vicissitudines declarat.

20. Nec obijciatur materiâ esse quidem contingentem quoad varias *formas* quas successivè induit, sed necessariam *in seipsâ*. Enimverò ens necessarium non potest concipi non esse. Sed omnis materiâ optime concipitur non esse, quin aliquid sequatur absurdi. — Insuper, ens necessarium, non est solum necessarium quoad *existentiam*, sed et quoad *existendi modum*; nam modus existendi determinatur ab ejus essentiâ. — Cæterum, cum essentiâ cognoscatur ex suis proprietatibus, repugnat omnes materiæ proprietates contingentes esse, eam verò necessariam.

Repugnat insuper *conceptus* materiæ improductæ, necessariæ, per se existentis. Talis enim materiâ foret infinita, utpote necessariò et per se existens; quia sicut existere dicit aliquam perfectionem, ita per se et necessariò existere dicit perfectionem infinitam, cum nullus concipi possit melior existendi modus quam existere necessariò et a seipso. At, ex aliâ parte, materiâ est imperfectissima, quippe quæ est per se indeterminata, passiva, informis, potentialis, cognitione omni orbata, perpetuæque subjecta mutationi et evolutioni.

æterno, innatam innato, auctricem auctori, dicere audentem: Et ego prima, et ego ante omnia, et ego a quo omnia: par fuimus, simul fuimus, ambo sine initio, sine fine, ambo sine auctore, sine Deo? Quis me Deus subiecit contemporali et cœterno? Si quia dicitur Deus, habeo et ego nomen meum; quia ambo sumus quod alter est nostrum. » (*Adv. Hermogenem*, c. 7 et 8).

Ergo secum pugnat conceptus materiæ improductæ, a seipsâ existentis.

Si verò tum *ordinem*, tum *materiam* mundi effecit Deus, ergo nihil est in mundo quod a Deo non ducat originem, ac proinde mundus a Deo creatus est.

Ex probatis sequitur falsitas omnium opinionum creationi mundi oppositarum; quod tamen attinet ad eam quæ *pantheismi* nomine appellatur, specialibus argumentis in Theologia naturali refellemus.

21. § *Vis creatrix ita Deo propria est, ut nulla creatura nec propria, nec instrumentali virtute creare valeat.*

PROB. 1^a PARS contra Avicennam, Algazel et quosdam *hæreticos* (1) qui opinabantur a Deo, utpote maximè uno, promanare non posse *multitudinem*; unde *geniis* quibusdam tribuebant virtutem creandi entia imperfectiora.

1^o Causa principalis debet habere vim *proportionatam* effectui producendo. Porrò nulla creatura ex se habet vim proportionatam creationi efficiendæ; siquidem omnis creatura habet virtutem, ac proinde causalitatem determinatam ac particularem; creatio verò est effectus maximè universalis, quum non ad tale esse in particulari, sed ad ipsum esse in universum porrigatur. Creatio igitur *universalissimæ* causæ attribuat oportet.

2^o Et verò, productio mundi ex nihilo potentiam *infinitam* exigit. Si enim, ait D. Thomas, « tantò major virtus requiritur in agente, quantò potentia est magis remota ab actu, oportet quòd virtus agentis ex nullâ præsuppositâ materiâ, quale est creans, sit infinita. » (1^a, q. 45, a. 5, ad 3). Et ratio est, quia nulla est proportio inter nihilum, quod est terminus *a quo*, in creatione, et ens, quod est terminus *ad quem* ipsius. Sub eo respectu, nihilum magis distat ab ente vel minimo, quàm ens vel minimum a maximo ente, quia inter entia vel maximè dissita perfectione proportio quedam re-

(1) « Si quis non confiteatur mundum resque omnes quæ in eo continentur, et spirituales, et materiales, secundum totam suam substantiam, a Deo ex nihilo esse productas, anathema sit. » (Conc. Vatic., canon. de Deo rer. omn. creat., can. 5).

peritur, nulla autem proportio est inter nihilum et ens. Quare vis creatrix pertinere nequit ad potentiam finitam, quæ semper exigit determinatam proportionem et distantiam inter principium ac terminum operationis suæ sive effectum.

Nec valet adversariorum *objectio*; quanquam enim Deus est maximè unus, tamen, utpote infinite perfectus, *eminenter* continet variam illam perfectionum multitudinem quæ in creatis entibus cernitur. — Ad rem S. Thomas: « *Distinctio* rerum et *multitudo* est ex *intentione* primi agentis, quod est Deus. Produxit enim res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis et per eas representandam. Et quia per unam creaturam sufficienter representari non potest, produxit multas creaturas et diversas, ut quod deest uni ad representandam divinam bonitatem, suppleatur ex aliâ. Nam bonitas quæ in Deo *simpliciter* est et *uniformiter*, in creaturis est *multipliciter* et *divisim*. Unde perfectius participat divinam bonitatem et representat eam totum universum, quàm alia quæcumque creatura. » (1^a, q. 47, a. 1, c).

PROB. 2^a PARS, *nemque nullam creaturam a Deo assumi posse ut instrumentum creationis.*

Causa instrumentalis in tantum a principali agente adhibetur, in quantum per virtutem sibi propriam *dispositivè* operari potest ad effectum agentis principalis. Si enim instrumentum nihil ageret secundum *propriam* vim, frustra adhiberetur, nec oporteret esse determinata instrumenta determinatis actionibus. Ut ergo instrumentum adhibeatur, necesse est in effectu principalis agentis aliquid esse prædisponendum. Porrò, in creatione nihil est quod prædisponatur, siquidem creatio est ex nihilo, non autem ex aliqua materiâ quæ disponi possit per actionem instrumentalis agentis.

ARTICULUS II

De tempore creationis mundi.

22. *Opiniones.* Omnes catholici docent mundum a Deo in

tempore conditum fuisse, et quidem libere; sed inter eos viget controversia utrùm creatio ab æterno sit *possibilis* necne. Alii enim, cum D. Thomâ, Suarezio, Cajetano, Leibnitzio et Wolfio, asserunt impossibilem non probari. Alii autem cum Alberto M., S. Bonaventurâ, H. Gandavensi, eam habent ut impossibilem.

At *rationalistæ*, si qui mundi creationem ore tenent, eam nonnisi ab æterno fieri potuisse asserunt; ita Cousin, Saisset, Vacherot.

23. Assertio 1^a: *Deus liberè mundum creavit, nec fuit necesse ut ab æterno crearet* (1).

PROB. 1^a PARS, quia Deus minimè indiget mundo, cum sibi sit sufficientissimus ac sui contemplatione beatissimus (2).

PROB. 2^a PARS, quia quod indifferens est ad existendum, non exigit ut sit ab æterno. Atqui mundus, utpote contingens, est indifferens ad existendum.

24. Obj. 1^o Si mundus in tempore conditus est, ergo ante mundum erat Deus necnon tempus. Atqui hæc duo sunt absurda.

R. *dist. maj. et min., neg. conseq.* — Scilicet ante mundum erat æternitas vel tempus *imaginarium, conc.*; tempus *reale, neg.*; tempus enim reale cum ipso mundo incepit. Quocirca, ut S. Augustinus advertit, mundus *cum tempore* veriùs quàm *in tempore* creatus dicitur.

Hinc etiam sequitur ridiculam esse objectionem quâ dicitur fuisse tempus in quo Deus ab omni opere vacavit. Nam ante mundum non erat tempus, et proinde, ut verba S. Augustini usurpemus, « antequam faceret (Deus) tempora, non erant tempora ». Insuper, si tunc Deus non agebat *ad extra*, tamen agebat *ad intra*, seipsum cognoscendo et amando.

25. Obj. 2^o Causa ab æterno in actu, ab æterno suum effectum producit. Atqui Deus est causa ab æterno in actu.

R. *dist. min.* Deus est causa ab æterno in actu, scilicet ab

(1) Cf. S. Th. 1^a, q. 46, a. 1; *cont. Gent.* I, II, c. 31-38.

(2) « Si quis dixerit Deum non voluntate ab *omni* necessitate liberâ, sed tam necessariò creasse, quàm necessariò amat seipsum, anathema sit ». (*Conc. Vatic.* can. 5. de Deo creat.)

æterno decrevit producere mundum, *conc.*; decrevit mundum ab æterno produci, *neg.* Ad rem S. Bonaventura: « Ab æterno voluit (Deus) producere *tunc quando* produxit, sicut ego *nunc* volo *cras* audire missam. » (In 2 *Sent.*, dist. 1, p. 1, a. 1, q. 2).

26. Assertio 2^a: *Mundus in tempore revera creatus est.*

I. *Suadetur.* — 1^o Creatio mundi, si temporanea sit, clarius commonstrat mundo esse causam. Ut enim ait S. Thomas: « Omne quod non semper fuit, manifestum est habere causam; sed non ita manifestum est de eo quod semper fuit. » (1^a, q. 46, a. 1, c). — 2^o Clariùs etiam ostendit mundum a Deo liberè creatum fuisse; quod enim est ab æterno, necessarium esse videtur.

Philosophi plures temporaneam mundi creationem ex eo probare conantur, quòd creatio nonnisi in tempore fieri possit. Sed argumentum hoc saltem pro dubio habendum est, ut infra declarabitur.

3^o Accedit experientiæ probabile testimonium, præsertim quòd ad *hominem* attinet. Novitatem namque hominis testantur tum origines populorum et imperiorum, quorum præfinire est exordia, incrementa variasque vicissitudines; tum etiam recens scientiarum artiumque inventio, infantia et incrementa. — Ex *geologiâ* quoque, sin tempus apparitionis hominis super terram, at saltem recentior ejus creatio præ animalibus rebusque cæteris colligitur.

Imo etiam multi scientiarum naturalium cultores contendunt, ut in Theologiâ naturali (n. 40) ostendemus, ex astronomicis et geologicis inventis probari posse mundum *hunc* non semper fuisse, sed habuisse initium.

II. *Probatur.* Nam Moyses originem mundi hominumque *temporaneam* his verbis describit: « *In principio* creavit Deus cælum et terram; » et legitur in *Prov.* (viii, 22): « Dominus possedit me ab *initio* viarum suarum, *antequam* quidquam faceret a principio » (Cf. Ps. LXXXIX). Unde concilium generale Lateranense IV: « Firmiter credimus... quòd unus solus est verus Deus, qui suâ omnipotenti virtute, simul *ab initio temporis*, utramque de nihilo condidit crea-

turam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. »

In eundem sensum conspirat populorum traditio, cujus testes sunt scriptores diversi, inter quos Diodorus Siculus, Sanchoniaton, Homerus, Hesiodus aliique.

27. Assertio 3^a : *Creatio ab æterno, in suo generali conceptu inspecta, repugnare non videtur (1).*

Si enim repugnaret, vel ex parte Dei, vel ex parte rei creatæ, vel ex parte actionis creatricis. Porrò nullum ex his asseri potest.

Non 1^{um}; quia quum Deus sit causa æterna et libera, ab æterno etiam creare potest.

Non 2^{um}; quia quum res mundanæ sint indifferentes ad existendum et ad non existendum, abstrahunt a tempore determinato, ac tunc esse accipere possunt, cum Deo placuerit.

Non 3^{um}; eo quòd creatio sit actio *instantanea*. Et quidem omnis actio successiva temporanea est, non autem actio instantanea. In hac quippe necesse non est ut causa effectui suo præcedat *tempore*, sed sufficit ut præcedat *logicè* seu *naturá*; siquidem in operatione subitá aliquid fit et factum est simul, nimirum idem est principium ejus et finis. — Verum, ut sapienter notat S. Thomas, « quia homines consueti sunt considerare hujusmodi factiones quæ sunt per motum, ideo non facillè capiunt quòd causa agens *duratione* effectum suum non præcedat; et inde est quòd multorum inexperti, ad pauca respicientes, enunciant facillè. » (*Opusc. de æternit. mundi*).

Insuper, advertere præstat mundum, in hypothesi creationis ab æterno, gaudere *duratione contingenti, productá*, et successivá *momentorum additione perfectibili*; quæ omnia aliena sunt ab æternitate Dei necessariá, improductá, simultaneá, et propriè infinitá.

(1) Cf. S. Th., opusc. de æternit. mundi; S. th., 1^a, q. 46, a. 2; *Cont. Gent.*, I. II, c. 38.

Dixi : *creatio in suo generali conceptu inspecta*; quia si impossibilis non est creatio ab æterno pro creaturis permanentibus, scilicet spiritualibus, difficilior videtur pro creaturis generabilibus et successivis, ut sunt res hujus mundi.

28. Obj. 1^o *Mundus creatus est ex nihilo. Ergo post nihilum.*

R. neg. conseq. Ut enim salvetur notio creationis, necesse non est ut mundus habeat esse *post* non esse, sed sufficit ut habeat esse *ex nihilo*, sive non ex aliquo. — Insuper, si nihilum haud præcedit mundo *duratione*, præcedit *naturá*. Porrò, ut argumentatur S. Thomas, « sufficit si priùs naturá sit « nihil quàm ens. Priùs enim inest unicuique naturaliter « quod convenit sibi in se, quàm quod solum ex alio habet. « Esse autem non habet creatura nisi ex alio; sibi autem re- « licta, in se considerata, nihil est. Unde priùs naturaliter « inest sibi nihil quàm esse. » (*Opusc. cit.*).

29. Obj. 2^o *Repugnat numerus infinitus aut series infinita. Atqui creatio ab æterno numerum infinitum ac seriem infinitam inducit.*

R. dist. maj. repugnat numerus *actu* infinitus, aut series *simultanea* infinita, *conc.*; numerus infinitus *in potentiá*, aut series *successiva* infinita, *neg.* Porrò creatio mundi, si ab æterno fiat et sit de rebus non jam permanentibus, at successivis, inducit quidem numerum potentiá infinitum necnon seriem successivam infinitam, sed nihil inde sequitur absurdi. Nam, ex uná parte, hæc est numeri natura ut semper accrescere possit; quod infinitum *potentiale* vocant; et, ex alterá parte, series successiva quantacumque sit, finita utcumque est, utpote quæ ex punctis aut momentis finitis constat. (Cf. *Ontol.*, n. 128.)

CAPUT III

DE FINE CREATIONIS RERUM

Quatuor inquiri possunt : 1° quid sibi proposuerit Deus tanquam rationem creationis? 2° cui voluerit eam prodesse? 3° quem finem ultimum universis rebus assignaverit? 4° quem finem proximum assignaverit singulis? Quatuor hisce quæstionibus per partes respondet sequens

30. PROP. : *Finis ultimus creationis rerum fuit bonitas Dei non augenda quidem, sed creaturis communicanda et ab iis celebranda, licet singulis insit proprius finis proximus.*

PROB. 1^a PARS, *nempe finem creationis esse Deum ipsum.* Enimverò finis est primum movens, quo agens allicitur ac determinatur ad agendum, ad aliquid acquirendum vel obtinendum. Porrò Deus, quatenus ens primum, causa prima, et omnia in seipso bona continens, non potuit ullà re a se distinctà moveri seu allici ad creandum (1).

PROB. 2^a PARS, *scilicet finem creationis esse bonitatem Dei non augendam, sed creaturis communicandam.* Ut enim clarè argumentatur D. Thomas, sunt « quædam quæ simul agunt « et patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta. Et his convenit « quòd etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed « primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere « propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum « communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas... « Et ideo solus (Deus) est maximè liberalis, quia non agit « propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem. » (1^a, q. 44, a. 4, c. et ad 1).

(1) « Universa propter semetipsum operatus est Dominus. » (Prov., xvi, 4). — « Ego sum primus et novissimus, principium et finis. » (Apoc., xxii, 13).

PROB. 3^a PARS, *nempe finem creationis fuisse bonitatem Dei a creaturis celebrandam.*

Hoc sequitur ex probatis. Si enim, ex unâ parte, Deus non potuit creare nisi propter seipsum; si autem, ex aliâ parte, non potuit aliquid acquirere ex creaturis, nisi manifestationem suæ gloriæ vel perfectionis, necesse est ut ea habeatur ut finis ultimus quem universis rebus assignavit. Hoc sensu, non soli cæli, sed universæ creaturæ « enarrant gloriam Dei, » ut ait sacer Psaltes. — Ad rem D. Thomas : « Totum universum cum singulis suis partibus, ordinatur in Deum, sicut in finem, in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas representatur ad gloriam Dei, quamvis creaturæ rationales speciali modo habeant Deum finem, quem attingere possunt suâ operatione, cognoscendo et amando. » (1^a, q. 65, a. 2, c) (1).

PROB. 4^a PARS, *nempe singulis creaturis proprium inesse finem proximum pro variâ cujusque naturâ.* « Si, ut rectè dixerit D. Thomas, alicujus totius et partium ejus velimus finem assignare, inveniemus primò quidem quòd singulæ partes sunt propter suos actus, sicut oculus ad videndum. Secundò verò, quòd pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum et pulmo propter cor. Tertiò verò, omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam; partes enim sunt quasi materia totius. — Sic igitur, et in partibus universi, unaquæque creatura est propter suum actum et perfectionem. Secundò autem creaturæ ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturæ quæ sunt infra hominem sunt propter hominem. Singulæ autem creaturæ sunt propter perfectionem totius universi. » (1^a, q. 65, a. 2, c).

(1) Quomodo cum Dei gloriâ cohæreat hominis felicitas clarè evolvit Lessius : « Summa (Dei) gloria externa est ipsum a nobis perfectè cognosci, amari et gustari; summum bonum nostrum est Deum videre, amare et gustare. Itaque in summâ Dei gloriâ formaliter includitur bonum nostrum, et hoc ipso quòd Deus illam gloriam intendit et quærit, intendit et quærit summum bonum et commodum nostrum. Unde non minus gratias Deo agere debemus quòd quærat gloriam suam quàm quòd quærat

CAPUT IV

DE LEGIBUS MUNDI AUT NATURÆ

Ad hanc magni momenti quæstionem absolvendam præstat expendere, 1^o notionem, 2^o existentiam, 3^o contingentiam legum naturæ; 4^o possibilitatem derogationis istis legibus per miraculum inferendæ.

ARTICULUS I

Notio generalis ordinis, naturæ et ejus legum.

31. I. Notio generalis ordinis (1). Ordo, in universum, designat congruam et fixam dispositionem plurium, ad formandum quoddam totum fruens unitate. Porro, dispositio ista spectari potest vel in unaquaque re, vel in pluribus rebus inter se connexis.

Si prius, « tunc unaquæque res optimè disponitur, ut « perbellè ait S. Thomas, cùm ad suum finem convenienter « ordinatur. Finis enim uniuscujusque est bonum. » (*Cont. Gent.*, procem., c. 1). — Quocirca, res aliqua rectè ordinata dicetur, si tum potentiæ, tum operationes ejus ad finem attingendum debite aptentur. Hoc sensu ordo solet definiri *apta dispositio plurium ad finem*; ac totuplicem ordinem distinguere licet, quotuplicis generis distinguuntur res quibus proprius finis, propriæ potentiæ et operationes conveniunt.

Si posterius, tunc res plures *inter se* rectè disponuntur, quum diversi sunt generis ac diversæ diversum locum et

salutem nostram; quia gloria ejus est salus nostra. » (*De perfect. divin.*, l. 14, c. 3, n. 60).

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 1^{re} part., c. 4, § 1.

munus occupant, atque aliæ aliis pro variâ suâ nobilitate subordinantur, ut sese mutuò juvent et singulæ finem suum certius assequantur. Hoc sensu ab Augustino præclarè ordo definitur « *parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* »

Jam verò de ordine 2^o sensu accepto infrà dicemus, ubi de colligatione rerum mundanarum; in præsentia de ordine naturæ priori sensu accepto disputamus.

32. II. Notio naturæ. — 1^o Natura significatione multiplici usurpatur. Si sumatur *latius*, a rei *essentiâ* non secernitur. At *propriè* designat *essentiâ* rei, prout est *principium primum activitatis*. — Interdum amplectitur *complexionem* rerum creatarum, quatenus ad proprios fines ordinem habent, et præsertim *collectionem* rerum *corporalium*, quatenus agunt ex *necessitate* naturæ. — Demum quandoque naturæ nomine vocatur ipse rerum creatarum Auctor, qui dicitur *natura naturans*, ut distinguatur a *naturâ naturatâ*. Hic dicimus de naturâ, prout rebus creatis convenit.

Ex his intelligere licet quid sit *naturale*, *supernaturale* et *præternaturale*.

33. Naturale definiri potest *id quod afficit res creatas, prout in proprio genere continentur*. Itaque naturale dicitur quidquid vel ipsam rei *essentiâ* constituit, vel constitutam sequitur, vel *essentiæ*, potentiis propriisque operationibus proportionatur. Hinc naturale est homini ut rationalis sit, ut intelligat, vel sit philosophus. Quatuor igitur cuique rei naturalia sunt, nimirum ejus *essentiâ*, *potentiæ*, *operationes* his consentaneæ, et finis omnibus his proportionatus.

34. Supernaturale (1), ipsâ vi nominis, est aliquid quod ab *extrinseco principio naturæ additur*, ejusque *exigentias omnes ac vires transcendit*; v. g., elevatio hominis ad *visionem intuitivam* Dei. Quamobrem supernaturale propriè dictum non tantum *alicujus* creaturæ particularis, sed *universarum* creaturarum conditionem superat. — Unde vehementer erravit

(1) Cf. S. Th., *Cont. Gent.*, III, 147, n. 1, 3; 1^a 2^a, q. 109, a. 1, ad 1, a. 3, ad 2, q. 112, a. 1, c, q. 114, a. 2, c.

Gioberti, quo docente, quæque creatura perfectior supernaturalis est relativè ad inferiorem; v. g. angelus relativè ad hominem, et homo relativè ad animal ratione destitutum. At quanquam natura superior supernaturalis quit dici, quatenus ad inferiorem comparatur, tamen ipsa in se inspecta est quid naturale, cui insunt naturales vires et operationes.

35. Demum *præternaturale* medium tenet inter naturale et supernaturale, ac vocari potest supernaturale *latius* acceptum. Scilicet *præternaturale* est *quidquid fit in aliquo vel ab aliquo ente præter modum ejus agendi consuetum, nec servat proportionem consequentis ad antecedens, quin tamen vires totius naturæ creatæ prætergrediatur*; v. g., si quis ex indocto doctus evadat sine labore, vel si unda segniùs fluat ac fert alvei proclivitas, aut si directionem ejus homo immutat in aliasque partes convertat, obtinet *præternaturale*. — Generatim, quidquid agens liberum in rebus physicis immutat, ipsis præter naturam accidit.

III. *Notio legum naturæ.*

36. *Lex, universim spectata, est norma juxta quam ens aliquod actiones suas dirigit vel dirigere debet.*

Differt a *vì* seu *causâ*, quia 1^o causa est *particularis*, lex autem *generalis*; et 2^o causa *producit* effectum, dum lex non *producit* effectum, sed potius *regit*, quatenus efficit ut producat modo determinato et constanti.

37. *Lex autem naturæ, si sumatur latius, est norma juxta quam res creatæ actiones suas exercent vel debent exercere.* Si *definiatur strictè*, est *norma juxta quam res physicae suas actiones exercent.* — Quapropter, si *amplectaris omnium rerum physicarum leges, habebis ordinem naturæ generalem.*

38. De *cursu naturæ.* *Cursus naturæ nihil aliud est nisi consecutio ipsa effectuum aut phænomenorum secundum ordinem constantem legum physicarum.* Naturam enim merito *currentem* diceres, cujus varii effectus intra leges certas, veluti *metas* quasdam, mirâ constantiâ contingunt.

ARTICULUS II

De existentia legum naturæ.

39. *Assertio: Existunt leges in naturâ.*

Enimverò res *physicæ*, teste *experientiâ*, tum *singulæ*, tum *universæ* operationes suas certâ, constanti et uniformi ratione exercent. Atqui hoc sibi volunt leges naturæ (1). Hoc porro adeo verum est, ut scientiæ vulgò naturales totæ occupentur circa legum naturæ considerationem.

40. *Scholium.* Omnes res *physicæ* seu naturales reguntur legibus quibusdam *communiõibus* numero *paucis*, quæ *simplicitate* suâ sapientiam Dei publicam faciunt. — At supra eas leges communes quibus universa subest natura, distinctæ ac *propriæ* sunt leges cùm *vegetalibus*, tum *animalibus*, quippe quæ propriam naturam, propriasque operationes habeant, quibus omnino differunt a rebus inanimis.

ARTICULUS III

De contingentia legum naturæ.

41. *Assertio: Leges naturæ pleræque sunt contingentes.*

Probatur contra pantheistas, fatalistas, materialistas et rationalistas, qui alii aliis ex causis eas omnino necessarias et immutabiles esse asserunt.

1^o Ex definitione, leges naturæ designant normam *genera-*

(1) Clarè D. Augustinus: « Omnis iste naturæ usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas et spiritus vitæ qui creatura est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Et elementa mundi hujus corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum, omnia quæ gignuntur suo quoque tempore exortus processusque sumunt finesque et decessiones sui cujusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. » (*De Gen. ad litt.*, l. ix, c. xvii, n. 32).

lem-juxta quam res creatæ, et præsertim res physicæ, actiones suas exercent. Porrò, licet hæc norma digna sit quam vehementer admiremur, tamen haud præ se fert aliquid *absolutum*. Nam operationes rerum *contingenter exercentur*. Et sanè res naturales nec essentiâ suâ, nec potentiis propriis spoliari queunt; attamen *exercitium* earum activitatis, utpote contingens, immutari potest; v. g. si organa nostri corporis aliter fuissent constituta, aliæ esse potuissent nutritionis, augmenti vel generationis leges. Idem porrò diceres de multis ex legibus quæ regunt exercitium activitatis intellectus ac voluntatis.

Confirmatur, quia ordo rebus mundanis inditus procedit ex divinâ sapientiâ, ut supra (n. 16) probavimus. Porrò cum ordo ille sit finitus, « non adæquat divinam sapientiam, ut « sic divina sapientia limitetur ad hunc ordinem... et non « possit alius cursus rerum effluere. » (S. Th., 1^a, q. 23, a. 3, c).

2^o In rebus physicis, *motus impetus et directio*, ac proinde lex, præsertim pendet ex earum mole, numero, diversitate, situ vel distantia. Porrò earum moles, numerus et diversitas, situs et distantia, alia esse potuissent ac sunt; et ideo, alia esse potuisset directio earum activitatis, alius cursus.

Attamen res physicæ, utpote intellectu et libertate carentes, non possunt agere aliter atque agunt, ac proinde, *quoad eas*, leges naturæ *necessariæ* dici possunt.

Dixi leges pleræque; quia in quovis ente creato sunt *pauiores* quædam leges quæ ab ejus essentiâ *necessariò* defluunt; v. g. si producat plantam vel animal, oportet ut vegetare valeat aut sentire; si homo, necesse est ut insuper intelligere et velle queat. — Rursus, sunt quædam leges *absolutæ*, sine quibus facultas vegetativa, sensitiva, intellectiva, aut appetitiva, non esset id quod est, proinde non conciperetur. — Demum, aliæ sunt leges quas vocares *mixtas*, quia fluunt *necessariò* a *conditione* quæ ipsa *potuisset non poni*: v. g. suppositis tali distantia, tali mobili, talive motoris impulsu, talis motus sequi debet.

ARTICULUS III

De possibilitate derogationis ordini naturæ per miraculum (1).

Quatuor de miraculo investigari debent: 1^o illius notio; 2^o illius variæ species; 3^o illius possibilitas et convenientia; 4^o illius cognoscibilitas.

§ I. — De notione miraculi.

42. 1^o *Definitio nominalis*. « Nomen miraculum ab *admiratione* sumitur. Admiratio autem consurgit cum effectus sunt manifesti et causa occulta, sicut aliquis admiratur cum videt eclipsim solis et ignorat causam. Potest autem causa effectus alicujus apparentis alicui esse nota, quæ tamen est alii incognita. Unde aliquid est mirum uni quod non est mirum alii, sicut eclipsim solis miratur rusticus, non autem astrologus. — Miraculum autem dicitur quasi *admiratione plenum*; quod scilicet habet causam simpliciter et omnibus occultam. Hæc autem est Deus. Unde illa quæ a Deo fiunt præter causas nobis notas, miracula dicuntur. » (1^a, q. 103, a. 7, c).

43. 2^o *Definitio realis*. Miraculum definiri potest quod fit præter ordinem totius naturæ creatæ.

Dicitur 1^o quod fit præter ordinem naturæ; unde creatio mundi, vel animæ humanæ non est *propriè* miraculum, quia, ut dicit D. Thomas « hæc non sunt nata fieri per alias causas; et ita non contingunt præter ordinem naturæ, cum hæc ad ordinem naturæ non pertineant. » (1^a, q. 103, a. 7, ad 1).

Dicitur 2^o præter ordinem totius naturæ creatæ, ita ut non sit solum præternaturale, sed et *supernaturale*. Ratio est quia phænomenon quoad se naturale nequit propriè miraculum dici.

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. xi : *Le surnaturel*.

Porrò quodcumque phænomenon merè præternaturale fieri supponatur, solummodo naturale est *quoad se*; v. g. quod facit *homo* in rebus inferioribus præter earum naturam, extranaturale est relativè ad ipsas, sed merè naturale relativè ad hominem; item, quod *angeli* boni vel mali *propriâ* virtute præter naturam hominis faciunt, præternaturale est relativè ad hominem, sed in se merè naturale est, cum fiat virtute *propriâ* naturæ cujusdam creatæ.

Appositè S. Thomas: « Non sufficit ad rationem miraculi « si aliquid fiat præter ordinem naturæ alicujus *particularis*, quia sic, cum aliquis projicit lapidem sursum, miraculum faceret, cum hoc sit præter ordinem naturæ lapidis. Ex hoc ergo aliquid dicitur esse miraculum, quòd fit « præter ordinem *totius* naturæ creatæ. Hoc autem non potest facere nisi Deus, quia quidquid facit angelus, vel « *quæcumque* alia creatura *propriâ* virtute, hoc fit secundum « ordinem naturæ creatæ, et sic non est miraculum. Unde « relinquitur quòd solus Deus miracula facere possit. » (1^a, q. 110, a. 4, c).

44. Angelorum opera, si miracula sint, non ab ipsis exe-runtur *propriè*, sed a Deo, qui ad eorum desiderium miracula facit; si autem ab ipsis *propriâ* virtute fiant, miracula dici possunt *quoad nos* sive *mirabilia*, non autem *simpliciter* miracula. — Quia enim non omnis naturæ creatæ virtus nobis cognita est, cum agens quoddam aliquid facit præter ordinem naturæ creatæ nobis notæ, actio ista, *quoad nos*, miraculum rationem induit, etsi per se non sit miraculum.

45. Naturæ miraculi accedunt ejus *proprietates*, quæ quatuor numerari possunt; scilicet: 1. quòd sit *arduum*, non quidem respectu potentiæ divinæ, sed respectu naturæ quam excedit; — 2. quòd sit *supra spem naturæ*, quæ ad ipsum non habet ordinem naturalem, sed potentiam obedientialem tantum; — 3. quòd sit *insolitum*, quia fit præter eursum consuetum naturæ; — 4^o quod aliquo modo sit *sensibile*, vel *in se*, vel in suis *effectibus*, ut certò constare valeat.

§ II. — De variis miraculi speciebus.

Trifariam dividi potest miraculum, nimirum ex naturâ ordinis cui derogat, ex ratione quâ naturam transcendit, et ex modo quo fit.

46. 1^o *Ex naturâ ordinis cui derogat*, miraculum triplicis generis distinguitur, scilicet *physicum*, *intellectuale* et *morale*, prout derogat legi physicæ, ut mortui suscitatio; vel legi intellectuali, ut subita illuminatio mentis, quo modo prophetarum animus a Deo solet illuminari; vel legi morali; ut mirabilis Pauli conversio.

47. 2^o *Ex ratione quâ naturam transcendit, sive ex magnitudine suâ*, miraculi triplex species a D. Thomâ recensetur. « Nam secundum quòd magis excedit facultatem naturæ, secundum hoc majus miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter: uno modo, quantum ad « *substantiam facti*, sicut quòd duo corpora sint simul, vel « quòd sol retrocedat, aut quòd corpus humanum glorificetur: quod nullo modo natura facere potest; et ista tenent « *summum* gradum in miraculis. — Secundò, aliquid excedit facultatem naturæ non quantum ad id quod fit, sed « quantum ad *id in quo fit*, sicut resuscitatio mortuorum et « illuminatio cæcorum. Potest enim natura causare vitam, « sed non mortuo, et potest præstare visum, sed non cæco; « et ista tenent *secundum* locum in miraculis. — Tertio modo, excedit aliquid facultatem naturæ, quantum ad « *modum et ordinem faciendi*; sicut quum aliquis subito per « virtutem divinam a febre curatur, absque curatione et consueto processu naturæ... et hujusmodi tenent *infimum* locum in miraculis. » (1^a, q. 103, a. 7, c).

48. 3^o *Ex ratione modi quo fit*, triplex etiam miraculum distinguit S. Thomas, nempe miraculum supra naturam, contra naturam et præter naturam.

Miraculum *supra naturam* illud est quod natura vel nullo modo, vel saltem non in eo subjecto facere potest. *Contra naturam* esse dicitur « quando in naturâ remanet contraria

« dispositio ad effectum quem Deus facit, sicut quando con-
« servavit pueros illæsos in camino, remanente virtute com-
« burendi in igne, et simile est quòd virgo peperit. » (*Qq. disp.*, q. de *Mirac.*, a. 11, ad 3). Miraculum præter naturam illud est quo Deus effectum producit quem natura non eodem, sed alio modo producere potest.

49. Patet miracula supra et contra naturam *reduci* posse ad miracula quoad substantiam et quoad subjectum; miracula autem præter naturam ad miracula quoad modum.

§ III. — De possibilitate et convenientiâ miraculi.

50. Miraculi *possibilitatem* negant quicumque leges naturæ necessarias esse volunt, et nihil admittunt quod supernaturali dici possit. Quorum error vocatur *naturalismus*.

51. PROP. : *Possibilia, imò maxime convenientia sunt miracula.*

PROB. 1^a PARS. 1^o *Ex naturâ ordinis mundi.* Si ordo mundi est contingens, potest Deus ei derogare, quia quidquid est contingens, aliter esse potest atque est. Si autem potest Deus derogare ordini seu legibus mundi, potest facere miraculum, quippe quod nil nisi derogationem ad istas leges importat. Porrò, ex probatis (n. 19, 41) ordo mundi est contingens, « quia ordini causarum secundarum ipse (Deus) non « est subjectus, sed talis ordo ei subjicitur, quasi ab eo pro-
« cedens non per necessitatem naturæ, sed per arbitrium « voluntatis. » (1^a, q. 105, a. 6. c.).

2^o *Ex potentiâ Dei.* Triplici modo miraculum concipitur: vel si Deus producat effectus causarum secundarum sine ipsis; vel si producat effectus ad quos causæ secundæ se non extendunt; vel si impediatur effectum qui ab alicujus causæ creatæ actione naturaliter sequi deberet. Atqui Deus hac triplici ratione miraculum facere potest.

Potest producere effectus causarum secundarum sine ipsis, quia suam illis virtutem dedit, ac proinde habet virtutem quam ipsæ habent. — Potest etiam producere effectus ad quos ipsæ se non extendunt; majorem namque his virtu-

tem habet, quum sit infinitæ potentiæ, hæ autem finitæ. — Potest demum impedire effectum qui naturaliter ab actione causæ alicujus creatæ sequi deberet, propterea quòd, ex dictis, (n. 41), nullus effectus ad rerum essentiam pertineat. Unde, si homo, qui nullius naturæ est auctor, impedire potest effectum naturalem alicujus rei, v. g. manu suâ ob stare quin lapis cadat, Deus, qui est conditor omnium naturarum, potest a *fortiori* creaturæ cujusvis naturalem effectum prohibere.

3^o *Ex consensu omnium populorum* qui non solum possibilitatem, verum etiam *existentiam* miraculorum semper admiserunt.

PROB. 2^a PARS, quia miracula manifestam faciunt dependentiam rerum a Deo, celebrant Providentiam Dei, et publicam faciunt ejus potentiam et sæpenumero bonitatem, cum generatim fiant in gratiam ac salutem hominum. Quare fidem illorum amoremque suscitant vel roborant (1).

52. *Objicitur* miraculum repugnare tum Deo, tum legibus naturæ: *Deo quidem*, scilicet illius immutabilitati et sapientiæ; *legibus autem naturæ*, quæ si derogationem patiantur, jam desinunt esse leges, imò habentur ut ineptæ, quippe quæ corrigi debeant.

Porrò negandum est utrumque assertum.

1^o Deus enim, quum ab æterno leges naturæ tulit, ab æterno etiam decrevit se iis in temporum decursu nonnunquam esse derogaturum; ac propterea miracula efficiendo *implet* suam, nedum mutet voluntatem. Sapientiæ autem suæ non deest, utpote qui miracula exerat certis ex causis, videlicet ad assequendum bonum præstantius ad quod, ex dictis, sese non extendunt leges naturæ. ®

(1) « Quia Deus non est talis substantia quæ videri oculis possit, et miracula ejus quibus totum mundum regit, assiduitate viluerant, ita ut pene nemo dignetur opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. » (S. Aug. in Joann. tract. 24).

2º Quod autem attinet ad leges naturæ, non desinunt esse leges, tametsi aliquam exceptionem patiantur; siquidem ea non est generatim legum natura, ut *semper* effectum suum sortiantur, sed ut *plerumque*. Miraculum verò, ut inuimus ubi de inductione (*Leg.*, n. 78), est phænomenon satis insolens tum in spatio, tum in tempore. — Nec ab eo lex ulla *generalis* læditur, sed suspenditur solum *particularis* effectus legis cujusdam *particularis*.

3º Cæterum miraculum non probat leges naturæ esse ineptas *in genere suo*, ita ut corrigi debeant, sed probat duntaxat eas impares esse ad attingendum finem altioris ordinis, qui ex derogatione ipsis illatâ consequitur.

§ IV. — De cognoscibilitate miraculi.

53. *Status questionis*. In Logicâ (n. 68) ostendimus existentiam miraculi, quatenus est factum *sensibile*, tam certò constare posse quam existentiam facti naturalis. Quæritur autem utrum etiam constare possit, quatenus *supernaturale*, seu quatenus superat ordinem ac vires totius naturæ creatæ. Porrò libenter concedimus in certis casibus rem ambiguum esse posse, sed contendimus aliquando nullum esse dubio locum.

54. *Assertio*: *Miraculum aliquando certò constare potest.*

Probatur quia manifestum est quædam facta, aliunde indubia, præ se ferre derogationem alicui legi naturæ nobis satis note, sive, ut sumamus exempla D. Thomæ (supra n. 47) facultas naturæ superetur quoad *substantiam facti*, v. g. « quòd duo corpora sint simul », sive *quoad subjectum*, « sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio cæcorum », sive *quoad modum*, « sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur, absque curatione et consueto processu naturæ » (1).

(1) « Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proinde omnes de iis narrationes, etiam in Scripturâ sacrâ contentas, inter fabulas vel mythos allegandas esse; aut miracula certò cognosci nunquam posse, nec iis divi-

In sanatione quidem morborum qui ad *nervos* pertinent, sæpe dubio est locus, si medicorum auctoritati fides; in aliis autem morbis nulla justa ambigendi causa esse potest, si v. g. gravissimi sint ac diuturni, et subito, nullo sumpto remedio, ad jussum vel orationem planè fugentur.

Porrò ad discernenda facta quædam extraordinaria, licet humana vel forte diabolica, si casus anceps videatur, recurrendum erit, ut sapienter jubet *Bened. XIV*, ad eorum *efficaciam, utilitatem, modum, finem, occasionem*, necnon ad *personam* quæ fecit. (*De canon. sanct.*, l. 4, p. 1, c. 4, n. 7 et c. 6 n. 6). Ecclesia autem catholica summâ utitur prudentia, imò et severitate in agnoscendis miraculis, ut constat ex canonizatione sanctorum.

55. *Scholium*. A miraculo secerni debet *ordo supernaturalis* (2) qui præ se fert aliquid fixum ac stabile, legibus naturæ superadditum, nec tamen propriè ipsis derogans, quoniam ex naturâ suâ non habet ut per alias causas aut leges fiat.

Cæterum, ordo supernaturalis non minùs *possibilis* est quàm miraculum, easdemque ob causas.

Nec ipse ordinem naturalem destruit, sed *perficit*, nec perturbat, cum illi ne derogat quidem, sed tantum superaddatur, nec sese cum eo permiscet et confundit, sed uterque proprias sibi operationes exercet et propriis officiis fungitur. E. g. christianus vir in eo cum aliis hominibus convenit quòd iisdem atque illi potentiis fruatur, ad eosdem actus exerendos idoneis; sed in eo differt quòd novis aliisque fretus auxiliis, par efficiatur ad excellentiores operationes finemque nobiliorem.

nam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit. » (*Conc. Vatic.*, de fide cathol., c. 3).

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. xi, p. 388 et seq.

COSMOLOGIÆ ALTERA PARS

SIVĒ

COSMOLOGIA SPECIALIS

56. Cosmologia specialis de *variis* mundi entibus, præter hominem, disputat. Porro entia mundana, si hominem excipias, triplicis generis distinguuntur, scilicet corpora *inanimata*, quæ propriè corporum nomine vocantur, *plantæ* et *animalia*. — Præterea, dicere licet non tantum de mundanis rebus sigillatim acceptis, verum etiam inter se collatis, sive de ipsarum nexu et colligatione. Unde quadruplex caput in Cosmologiâ speciali habetur: 1^{um} de corporibus inanimis, 2^{um} de plantis, 3^{um} de animalibus, 4^{um} de rerum mundanarum colligatione.

CAPUT I

DE CORPORIBUS INANIMIS

57. Cosmologiæ proprium est *naturam* corporum investigare. Quum verò nullius rei naturam immediatè apprehendat intellectus noster, sed eam ratiocinio colligat ex phænomenis ac proprietatibus antea exploratis, jam nobis dicendum est de corporum potissimis proprietatibus, ut eorum naturam assequi liceat.

ARTICULUS I

De præcipuis corporum proprietatibus.

58. PRÆNOTANDA CIRCA DIVISIONEM PROPRIETATUM CORPOREARUM EARUMQUE VIM OBJECTIVAM. — Recentes philosophi corporeas proprietates in *primarias* et *secundarias* dividere solent. Primariæ a Leibnitzio et Lockio habentur extensio, soliditas, figura, numerus et motus. — Secundariæ autem sunt, juxta ipsos (Cf. Leibnitz, *N. E.*, l. 2, c. 8), ipsa vis quâ primariæ in nobis suscitant certas sensationes; v. g. odores, colores, sapores.

Porro juxta Berkeley, *omnes* istæ proprietates pro merè subjectivis et relativis habendæ sunt; juxta Lockium et plures alios, primariæ quidem habent vim objectivam, non autem secundariæ.

59. **Assertio**: *Proprietates corporum cum primariæ, tum secundariæ, objectivæ dicendæ sunt.*

PROB. 1^a PARS, quia proprietates primariæ nihil aliud sunt nisi certæ affectiones extensionis. Porro extensio, ut per se patet et infra declarabitur, præ se fert entitatem absolutam eamque notabilem.

PROB. 2^a PARS, quia proprietates secundariæ in rebus aliquâ ratione existunt, independenter a sensibus, et in eos certam actionem exercent. Ad rem D. Thomas: « Color, et odor, et sapor et qualitates tangibiles habent *esse permanens et fixum* in suo subjecto. Unde alia est consideratio ipsarum qualitatum secundum se, et secundum quod immutant sensum. » (In II de animâ, lect. 15).

60. **Explicatio naturæ intimæ qualitatum secundariorum.** Porro considerari possunt vel ex parte *sensationis* quam in sensibus excitant, vel ex parte *objecti* cui insunt. Sub *priori* respectu, nihil sunt aliud nisi sensatio ipsa, quatenus earumdem qualitatum repræsentativa. Sub *posteriori* autem respectu, sunt ipsæmet proprietates materiales rebus insitæ, et aptæ ad sensationes determinatas excitandas.

Quomodo verò in rebus ipsis istæ qualitates se habent? Cultores plures scientiarum naturalium sonum, colorem et alia ad genus referunt ad motus quosdam vibratorios, vel ad aptitudinem quamdam ad eos motus producendos idoneam. Econtra scholastici plures, inter quos Tilman Pesch, Schiffini et Farges, docent colorem et alias secundarias qualitates rebus inesse non solum *causaliter*, sed et *formaliter*.

Prior quidem opinio simplicior videtur et recentibus quibusdam theoriis magis consentanea. — Secunda verò sententia cum opinione hominum communi et sensuum testimonio magis convenit. Imago enim quam sensus de colore, vel sapore nobis exhibent, satis differt a simplici motu vibratorio. Insuper, plenius consulit objectivitatæ qualitatæ secundariarum. Cæterum non adversatur scientiis naturalibus quæ probant quidem inter sonum et colorem, consideratos objectivè, certam vigere *concordantiam*, non autem *identitatem*.

Difficultas verò concipiendi quid sit color, vel sonus objectivè, oritur potius ex eorum naturâ, quam ex modo quo existunt rebus.

Hæc porro sufficiant de qualitatibus secundariis, de quibus satis disputavimus in Anthropologia.

64. *Divisio qualitatæ primariarum.* Eas D. Thomas jure refert ad duplex *genus*, alias scilicet ad principium *materiale* corporum, ut extensio, divisibilitas, impenetrabilitas, alias verò ad principium *formale*, ut activitas et unitas. Figura autem medium inter utrasque tenet. — De quibus corporum proprietatibus, quoniam insigniores sunt specialesque difficultates movent, sigillatim agendum est.

§ I. — De corporum extensione.

62. Extensio *definiri* potest *ea proprietate corporum* vi *cujus habent partes extra partes, communi tamen vinculo in unum colligatas.* Quare tribus elementis constituitur; exhibet enim partes *plures*, et eas quidem *diffusas*, seu alias extra alias positas, at simul *continuas*.

63. De illius vi *objectivâ* triplex est opinio; alii volunt eam esse duntaxat *phænomenicam* aut *subjectivam*; alii contra, putant ex eâ *solâ* corporum *essentiam* constare; alii autem, mediam sententiam amplexi, docent eam esse quidem realem, sed tamen extra essentiam corporum positam. Sceptici objectivi et *monadistæ* 1^{am} opinionem tuentur, cartesiani 2^{am}, 3^{am} autem omnes scholastici, quibus demum adhæsit Leibnitzius.

Cartesianæ sententiæ falsitas infra probabitur, ubi de corporum essentiâ. — Quod attinet ad scepticos objectivos et monadistas, jam in Logicâ (n. 42) corporum realitatem vindicavimus, ubi de perceptione sensuum externorum. — Hic igitur sat erit eam uno vel altero argumento comprobare.

64. *Assertio: Extensio est proprietas objectiva, imo fundamentalis* (1).

PROB. 1^a PARS, quia ex dictis in Logicâ et in Anthropologiâ, sensationes sunt *objectivæ*. Atqui omnes sensationes extensionem supponunt, ut patet singulas attendenti.

Idem dixeris de scientiis vulgò *exactis*; v. g. geometria versatur circa lineas ac superficies seu figuras; ars mechanica supponit mobile, spatium, celeritatem et directionem motûs; quæ omnia sine realitate extensionis non concipiuntur.

PROB. 2^a PARS, quia licet non omnes corporeæ proprietates ab extensione deriventur, omnes tamen ad illam, velut ad *potissimam*, referuntur. E. g. divisibilitas, impenetrabilitas et figura nihil aliud sunt nisi specialis affectio extensionis; unitas autem et vires actuosæ, uti affinitas, cohesio, gravitas, aliæque id genus, corpus consequuntur prout extensum, ac pro ipsius mole mensurantur.

§ II. — De corporum divisibilitate.

65. *Opiniones.* Corporibus divisibilitatem competere ipsa testis est experientia. Utrum verò tot iis partes competant,

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 3, p. 44 et seq.

quot sufficere possint ad *indefinitam* divisionem, vehementer dissentiunt philosophi, maximè recentēs.

Porrò ab omnibus conceditur corpora non posse dividi sine fine ab arte humanà, deficientibus instrumentis; quæritur autem utrùm *in se* inspecta, dividi possint in infinitum. — Cartesius, Malebranchius, alii, cùm teneant essentiam corporum in extensione consistere, ea in infinitum dividi posse asserunt. — At Boscowich et *monadistæ* arbitrantur corpora ex elementis primis inextensis conflare, ad quæ quum demum deveniret divisio, ultra protrahi non potest. — Scholastici distinctione utuntur, ac putant corpus *mathematicum*, in quo sola ratio *abstracta* quantitatis consideratur, in infinitum dividi posse, non verò corpus *concretum* seu *physicum*, quod in naturâ existit sub specie determinatâ, v. g. lapidem quemdam, vel arborem.

66. Assertio: *Corpus mathematicum sine fine dividi potest, non autem corpus physicum, remanendo idem corpus.*

PROB. 1^a PARS. 1^o *Ex naturâ quantitatis.* Quidquid habet partes dividi potest. Porrò quantitas omnis, etiam minima, habet partes. Quantitas enim neque est, neque concipitur, nisi ut aliquid extensum, sive ex pluribus partibus conflatum. Ergo quantitas omnis dividi potest. Partes autem in quas dividitur, habent ipsæ quantitatem, et de ipsis redit argumentum. (Cf. S. Augustin., *De genesi ad litter.*, l. 2, c. 4, n. 8).

2^o *Ex consecrariis.* Negatâ divisibilitate infinitâ quantitatis, vel admitti debent puncta extensa simul et indivisibilia, quod repugnat; vel deveniendum est ad puncta simplicia inextensa. Sed puncta hujusmodi sunt extra genus quantitatis, et nullam possunt extensionem generare.

Nec *objicias*, hinc sequi ut partes numero infinitæ in omni corpore admittantur, eademque sit corporum omnium moles.

Prima quidem obiectio valet contra eos qui corpora ex pluribus partibus *actu* distinctis, in se subsistentibus, ac per accidens copulatis constare admittunt, non autem contra Scholasticos, qui docent partes in corpore, *potentiali* tan-

tum, non autem *actuali*, saltem *completâ* distinctione secerni ab invicem. Quapropter non admittimus numerum partium infinitum *in actu*, qui certè repugnaret, sed tantum infinitum *in potentia* sive *indefinitum*; quatenus partes extensæ sic se habent ut cuilibet divisioni, ac proin cuilibet numero successivè se præbeant. Hic autem numerus nihil absurdi præ se fert, ut in Ontologiâ (n. 131) diximus. — Res uberius infra declarabitur, ubi de unitate corporum.

Secunda autem obiectio in tantum valeret, in quantum admitteretur corpora tum parva, tum majora, in æquales partes dividi. Quanquam autem quævis corpora semper dividi possint, non tamen dividuntur in partes æquales, sed minora in minores, et majora in majores.

PROB. 2^a PARS. Omne corpus in naturâ existens habet activitatem determinatam, quæ exerceri nequit nisi mediante quantitate. Porrò majore vel minore quantitate illi opus est, pro numero vel præstantiâ operationum quas habet. Si ergo divisio illius quantitatis protrahatur ultra mensuram ei necessariam, jam non poterit operationes suæ naturæ consentaneas exercere; v. g. si nimio plus arborem divides, esse desinet. In eâ sanè semper remanebit materia, et hæc quidem semper divisibilis, sed hæc materia minuta desierit esse arbor. (Cf. S. Th. *De sensu et sensato*, lect. 15; in *I Phys.*, lect. 9).

67. Porrò, hæc materia *minuta*, ad quam, in corpore physico, divisio sistere debet, vocabitur *molecula*, vel *minimum elementare*. — Hæc igitur veterum sententia concordat planè cum theoriâ recentiorum qui volunt unicuique substantiæ chemicæ minimum quoddam elementare deberi, pondere, ut aiunt, atomico declaratum.

§ III. — De corporum impenetrabilitate.

68. Impenetrabilitas definiri potest *ea proprietas vi cujus quodlibet corpus ita proprium locum occupat, ut ab illo expellat cætera corpora.*

69. Assertio 1^a : *Impenetrabilitas omnibus corporibus naturaliter inest.*

Prob. 1^o experientiâ. Etenim nullum corpus videre est in alterius locum succedere, nisi prius illud a loco suo expellat; et nullum corpus patitur dimensiones suas cum alterius corporis dimensionibus commiseri.

2^o Ratione. Corpori spatium debetur ratione extensionis sive dimensionum. Ergo dimensiones cuius corpori propriæ spatium proprium exigunt. Sed omne corpus propriis dimensionibus fruatur; ergo et proprio spatio, ac proinde alia corpora naturaliter a suo loco expellit; quod sibi vult impenetrabilitas.

Quod autem dicitur de corpore aliquo relative ad alia corpora, dicendum est etiam de illo relative ad varias ejus dimensiones. Nam istæ, utpote in plures partes extensæ, sunt aliæ extra alias, et quæque propriam partem loci occupat.

70. Quod si *causam* impenetrabilitatis quæras, a corporibus exigitur ratione *quantitatis*, nec tamen actu habetur nisi vi *resistentiæ*. Non enim corpus aliquod alterum corpus a proprio loco repellere potest, nisi agat et pro viribus suis resistat.

71. Assertio 2^a : *Plura corpora per miraculum compenetrari non repugnat.*

Si enim repugnaret, vel quia Deus non posset impedire extensionem *externam*, seu resistantiam quâ omne corpus impedit ne suus locus ab alio invadatur; vel quia corpora compenetrata jam non forent distincta. Sed neutrum dici potest. — *Non 1^{um}*; quia Deus potest impedire resistantiam, haud secus atque aliam causæ creatæ actionem. — *Non 2^{um}*; quia licet duo corpora compenetrata non jam *sensibus* discernantur, semper discernuntur *intellectu*, cum utrumque retineat suam entitatem suasque proprias dimensiones, tametsi spatium idem occupet.

Insuper *factis* ipsis thesis constat; nam Christus ex sepulchro surrexit, non revoluto lapide, et ad discipulos congregatos, januis clausis, intravit. (Cf. S. Th. *Quodlibet* I, a. 22, c; S. Aug., *Tract.* 121 in *Joann.*, n. 4).

§ IV. — De corporum figurâ.

72. Figura potest definiri *terminatio sive forma quantitatis*; v. g. forma quadrata, conica...

Dicitur forma quantitatis, quia se habet ad quantitatem, ut forma ad materiam. Attamen non est nisi forma *accidentalis*, quia non constituit corpus in suâ specie, sed *externam* solum ei perfectionem confert. — Imò verò, non est immutabilis, sed vel in aliam, ut in plerisque mineralibus, converti potest, vel saltem, ut in vegetalibus et animalibus, aliquas mutationes potest suscipere.

73. Assertio : *Singulis corporibus propria inest figura, pro cujusque naturâ seu formâ.*

PROB. 1^a PARS, quia experientiâ patet singulis corporibus inesse figuram quamdam *naturalem*, præter figuram *artificialem* et generatim fluxam quæ iis imponi potest a causis externis. Et *ratio* est, quia sicut nullum est corpus quod propriam non habeat essentiam, ita nullum esse potest quod non habeat quantitatem determinatam.

PROB. 2^a PARS, quia cum materia sit indifferens sive ad talem essentiam, sive ad talem quantitatem, generare nequit determinatam figuram; ac proinde figura debet oriri a principio activo et formali, quod cujusque corporis essentiam determinat.

Confirmatur, quia quorum diversa est essentia, diversa est et figura, ut patet præcipue in viventibus, et in ipsis quoque mineralibus. Hæc enim, ubi sine perturbatione ullâ ex statu aeriformi vel liquido in solidum transeunt, ita suas partes disponunt, ut determinato generi determinata respondeat figura. Sed illud argumento est eam non a materiâ, ex se indeterminatâ et communi, verum a formâ, sive a principio corporum activo et speciei constitutivo, pullulare (1).

(1) De *crystallis* sic de Lapparent : « Il nous semble que la cristallographie tranche définitivement la question en faveur de la seconde hypothèse (celle de S. Thomas). En effet, du moment qu'un corps cristallise, c'est qu'il a un polyèdre moléculaire pourvu d'un certain degré de symé-

74. *Corollarium*. Hinc sequitur, ex figuræ diversitate, diversitatem essentiæ et ex tali figurâ talem essentialiam jure colligi. Ad rem D. Thomas : « Inter omnes qualitates, figuræ « maximè consequuntur et demonstrant *species rerum*. Quod « maximè in plantis et animalibus patet, in quibus nullo « certiori indicio diversitatis specierum dijudicari potest, « quàm diversitate figuræ. Et hoc ideo, quia sicut quantitas « propinquissimè se habet ad substantiam, inter alia accidentia, ita figurâ, quæ est qualitas circa quantitatem, propinquissimè se habet ad formam substantialem... Et ex hoc « contingit quòd *imago*, quæ est expressa rei representatio, « secundum figuram magis attendatur quàm secundum colorem « vel aliquid aliud. » (In 7^{um} *Physicor.*, lect. 3^a). « Videmus enim quòd diversorum animalium secundum speciem, sunt diversæ figuræ, non autem diversi colores. » (1^a, q. 33, a. 1, c.).

§ V. — De corporum unitate.

75. *Opiniones*. Si multis recentibus philosophis aut physicis fides, corpora unitate propriè dictâ destituuntur, nec sunt aliud nisi *aggregatum* quoddam, ex pluribus substantiis, veluti ex partibus, coagmentatum; variæ scilicet partes corporum non sunt continuæ, sed actu distinctæ, divisæ, et propriâ *individualitate* præditæ. — Scholastici autem corpora quidem *heterogenea* pro *aggregatis* habent, sed asserunt corporibus *homogeneis* unitatem substantialem inesse, propterea quòd vis una substantialis singulas partes pervadit et inter

trie... Par exemple, si un polyèdre quelconque possède plusieurs axes et plusieurs plans de symétrie, tous doivent passer par un même point, qui est le centre de gravité. Des lors, juxtaposons deux polyèdres moléculaires, l'ensemble aura un centre de gravité commun par lequel ne passeront ni les éléments de symétrie du premier, ni ceux du second polyèdre. Il n'en résultera donc pas une molécule susceptible de cristalliser... Le groupement des atomes d'un corps disparaît quand ce corps se combine avec un autre. Une nouvelle cause substantielle intervient qui détermine les relations mutuelles des atomes relativement au centre de gravité de la molécule composée. » (*Rev. des quest. scientif.*, 20 juillet 1883, *La cristallographie rationnelle*).

se cohærere sic efficit ut continuitate fruantur; in toto igitur unum est *individuum*, unum ens subsistens.

76. *Assertio* : *Corporibus homogeneis inest unitas substantialis*.

Prob. 1^o Ex analogiâ : Ab adversariis plerisque conceditur unitas tum animalis, cum plantæ. Ergo concedi etiam debet unitas mineralium, quum nulla sit sufficiens ratio cur aliis attribuatur, aliis autem negetur. Nam, ex unâ parte, plantæ necnon animalia ex pluribus partibus conflantur perinde ac mineralia ipsa; et ex alterâ parte, corporum inanimorum perinde ac viventium varias partes una vis substantialis in unum æque potest colligare. Si ergo negetur unitas corporum, negari poterit unitas plantarum et animalium, quæ non erunt jam unum vivens, sed plura ventia; quod quidem consecrarium, etsi perabsurdum, a quibusdam, logicæ vi, admittitur.

2^o *Ex consecrariis alterius opinionis*. 1. Si corporum partes actu sunt distinctæ, et propriâ individualitate præditæ, vel sunt numero infinito, vel finito. *Si prius*, habetur numerus actu infinitus, quem dari haud posse ostendimus in Ontologiâ (n. 132). *Si posterius*, vel materia non est sine fine divisibilis, vel admitti debent atomi extensæ simul et indivisibiles, quod ex dictis (n. 66), repugnat.

2. Nisi dicatur corpora ex *monadibus* constitui, oportet atomos *primitivas*, ex quibus corpora coalescere volunt adversarii, ipsas extensas esse, quantulæcumque supponantur. Atqui nulla ratio assignari potest cur istæ atomi, quæ et ipsæ sunt extensæ, gaudeant unitate, totum autem corpus eâ destituatur.

3. Si atomi non sint continuæ, inter eas *vacuum* quoddam admitti debet. Atqui vacuum non datur, imò nec dari potest, ut ostendit Lepidi cum D. Thomâ (1).

(1) « Quamvis ignaris oculis intra mundum multæ vacuitates disseminatæ esse videantur, et in poris uniuscujusque corporis, et per illam totam porrectionem in quâ et terram et reliqua corpora cælestia moveri ac verti videmus; nihilominus perfecta vacuitas, quæ sit absentia cujusvis corporis absoluta, inter corpora mundana non datur; omnia siquidem

77. *Explicatio unitatis corporum naturalium.* Tenendum est corporum eorum partes, plures quidem, non tamen divisas, nec actuali et completâ, sed incompletâ solùm distinctione esse distinctas. Et sanè *continui* partes quodammodo actu distinguuntur; sunt enim aliæ extra alias; v. g. pars inferior a superiori realiter secernitur, et sic de aliis. Attamen hæc distinctio incompleta merito dicitur. « Idque locum habet, » ait Liberatore, tum respectu *totius*, siquidem quæque pars « in toto est et cum toto confunditur; tum respectu ipsarum » *partium*, siquidem singulæ dimensionibus non *terminantibus*, sed *continuantibus* constant, et omnes communi circumferentiâ concluduntur. — Hinc evenit ut partes singulæ ita sint aliæ *extra* alias, ut etiam aliquo modo sint « *intra*. Finis enim unius est idem cum initio alterius, et omnes non subsistunt *in se*, sed *in toto*. — Totum autem, « licet extendatur in plura, tamen *unum* est, et suâ unitate, » omnia quæ in ipso sunt, comprehendit et colligit. Hinc « etiam fit ut illæ partes non sint divisæ, nisi in potentiâ (1), » et indeterminatione sic laborent ut nequeant numerari, « nisi unitate quadam mensuræ, quæ ad arbitrium definiatur. » (*Cosmol.*, c. 2, a. 5, prop. 2^a).

corpora plena sunt materiâ illâ tenuissimâ, subtili, imponderabili, indivisibili, quæ *æther* vocatur; interiora corporum penetrat ipsa ac implet; superfusa ac undique porrecta, omnia unit et connectit; in quâ, velut in vastissimo pelago, corpora cuncta pendent et natant (1). Nec potest vacuitas ista ullo modo dari; etenim si inter corpora vacuitas ulla dari posset, unum corpus ab alio separatim et distans tunc posset existere ratione vacuitatis tantum, nullo corpore interjecto. At quomodo separatio realis, distantia realis esse potest a vacuitate quæ in naturâ est nihil? « (*Cosmol.*, l. 2, sect. 1^a, c. 3, § 1). — Insuper, si daretur illa vacuitas absoluta, jam corpora in invicem agere non valerent, cum nihil jam esset inter ea quod actionem unius ad alterum communicaret. Unde S. Thomas: « Sapientes *demonstrativè* dicunt vacuum non esse, nec possibile esse. » (*De pluralitate formarum Opusc.*) — Cf. *Arist. Phys.*, l. iv, c. 8-14).

(1) Ad rem S. Thomas: « Partes alicujus *homogenei* continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentiâ tantum... Unde in actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentiâ tantum. » (*In IV Sent.*, dist. x, q. 1, a. 3, et q. 3, a. 1.) « Esse totius compositi pertinet ad omnes partes, quia partes non habent proprium esse, sed sunt per esse totius. » (*In III Sent.*, dist. vi, q. 11, a. 1, et 1^a, q. 11, a. 2, ad 2).

(1) Juxta Tilman Pesch, æther et ipse per corporis formam informatur.

§ VI. — De corporum activitate.

78. *Errores.* Cum Cartesio et Malebranchio physici quidam recentes contendunt corpora esse omnino passiva, nec moveri nisi *ab extrinseco*; Leibnitzius concedit ea quidem agere ad intra, non autem ad extra. Contra quos vera doctrina declaratur.

79. *Assertio 1^a: Inest corporibus activitas interna (1).*

Prob. 1^o a priori. Concipi nequit ens aliquod destitutum suo fine, nullis proprietatibus instructum; nec subjectum legibus. Sed hujusmodi esset ens destitutum vi omni internâ. Enimvero, si ens quoddam habet finem proprium, habere debet potentias ad eum obtinendum proportionatas. — Præterea, nulla lex est, nisi alicujus entis activitatem modo determinato regat. Merito igitur D. Thomas: « *Unaquæque res est propter suam operationem* » (1^a 2^a, q. III, a. 2, c).

2^o *A posteriori.* Ex probatis, omne corpus fruitur extensione continuâ, certâ figurâ necnon impenetrabilitate. Porrò ut etiam probavimus (n. 71, 73, 77) hæc tres proprietates explicari minime queunt sine vi quadam internâ vel *cohesionis*, vel *affinitatis*, ut aiunt, *electivæ*, vel *resistentiæ* (2).

80. Porrò hæc interna corporum inanimorum activitas *essentialiter* differt ab activitate viventium *spontaneâ*, ut infra ostendemus, sed tamen habet quamdam cum eâ remotam analogiam, ut docet D. Thomas: « Quicumque motus naturalis hoc modo se habet ad res naturales ut quedam similitudo vitalis operationis. » (1^a, q. 28, a. 1, ad 1).

81. Nec *objectioni* est materiæ *passivitas*, vel *inertia*. Non enim dicimus corpora agere per materiam, sed per formam (3).

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 1.

(2) Variæ corporum inanimorum vires revocari possunt ad vires *sistivas*, *conservativas* et *communicativas*; primæ tendunt ad procurandum corporibus statum ipsis debitum; cujusmodi sunt *cohesio*, *expansio*, *elasticitas*; secundæ ut *vis reactiva*, vel *resistentiæ*, efficiunt ut corpora se tueantur ac permaneant; tertiæ demum, ut *affinitas*, *vis attractiva* et *repulsiva*, præstant ut corpora agant ad extra.

(3) « Corpus componitur ex potentiâ et actu, et ideo est agens et patiens » (S. Th. 1^a, q. 115, a. 1, ad 2; qq. disp. de *Ver.* q. 5, a. 1, ad 4).

nec dicimus ea ex seipsis mutare posse statum in quo sunt posita, sed dicimus ea internam exercere activitatem, in quocumque statu posita sint.

82. Assertio 2^a : *Inest corporibus activitas externa.*

PROB. 1^o *A priori.* Nobis non licet agnoscere rerum essentiam, nisi ex potentiis, nec potentias, nisi ex operationibus ad extra erumpentibus. Si ergo res naturales ad extra non agunt, nec virtutes, nec essentiam earum possumus cognoscere: « et sic subtrahitur nobis cognitio scientiæ naturalis, « in quâ præcipuè demonstrationes per effectum sequuntur. » (*Cont. Gent.*, l. III, c. 69).

Cæterum, opinio leibnitziana pessumdat commercium omne et ordinem inter res corporeas, sicque, ut notat D. Thomas, « subtrahit eis id quod optimum habent; nam singula in seipsis sunt bona, simul autem omnia sunt optima, propter ordinem universi. Si autem a rebus subtrahantur actiones, « subtrahitur ordo rerum ad invicem; rerum enim quæ sunt diversæ secundum suas naturas non est colligatio in ordinis unitatem, nisi propter hoc quod quædam agunt, et quædam « patiuntur. » (*Loc. cit.*)

2^o *A posteriori.* Experientia enim constat corpora in sensu nostros agere, necnon in invicem, ac sese vel attrahere, vel repellere.

83. Assertio 3^a : *Corporum vis tum accidentia, tum substantias gignere potest.*

PROB. 1^a PARS, quia quotidie videmus a corporibus motum, figuram aliasque id genus alterationes sive accidentia produci.

PROB. 2^a PARS. Ut enim corpora substantias actione suâ producere queant, satis est ut nova efficiant composita, quæ a prioribus non accidentaliter, sed substantialiter differant. Porro ad id eorum actio sese porrigit, ut patet in copulationibus chemicis, in quibus dissolvuntur componentia et ex iis generatur novum corpus, proprietatibus diversis instructum (1), ut infra uberiùs ostendemus. Imo vulgari etiam exem-

(1) « Dans tous les exemples d'union et de composition chimique, les

plo uti licet; ignis v. g., actione suâ lignum dissolvit et ex eo progignit cinerem, a ligno substantialiter diversum, et corpora quædam acriforma, a ligno quoque diversa.

ARTICULUS II

De corporum essentiâ.

Tria præstare oportet ad famosam istam quæstionem absolvendam: 1^o referre varias philosophorum opiniones; 2^o falsas refellere; 3^o veram declarare et ab objectionibus vindicare.

§ I. — Recensentur variæ opiniones de corporum essentiâ.

84. Ad triplex potissimum *genus* revocari possunt systemata philosophorum ad explicandam corporum essentiam excogitata. Alii putant corporum naturam in extensione solâ sive in atomis consistere; alii contra in elementis inextensis sed actuosis; alii demum, medio itinere incedentes, corporum naturam repetunt ex duplici principio substantiali, alio passivo, unde extensio pullulat; alio activo, unde activitas emergit: 1^a sententia dicitur atomismus, 2^a dynamismus, 3^a verò, materiæ et formæ substantialis nomine appellatur.

I. Exponitur systema atomicum.

Atomismi duplex est forma: prior, atomismus *purus*, posterior, atomismus *chemicus* nuncupatur.

85. 1^o *Atomismus purus* tenet corpora omnia conflare ex atomis, exiguis nimirum corporibus quæ, quamvis partes habeant, tamen dividi non possunt. Sic, inter veteres Democritus, Epicurus et Lucretius, et inter recentes Gassendus, Cartesius, Malebranchius et Newton. — Qui omnes (excepto forsitan Newton) opinantur atomorum omnium unam eam-

premières qualités disparaissent entièrement, et des substances entièrement différentes, pourvues de qualités nouvelles, apparaissent à leur place. » (Cooke, *La nouvelle chimie*, New-York, p. 98).

nec dicimus ea ex seipsis mutare posse statum in quo sunt posita, sed dicimus ea internam exercere activitatem, in quocumque statu posita sint.

82. Assertio 2^a : *Inest corporibus activitas externa.*

PROB. 1^o *A priori.* Nobis non licet agnoscere rerum essentiam, nisi ex potentiis, nec potentias, nisi ex operationibus ad extra erumpentibus. Si ergo res naturales ad extra non agunt, nec virtutes, nec essentiam earum possumus cognoscere: « et sic subtrahitur nobis cognitio scientiæ naturalis, « in quâ præcipuè demonstrationes per effectum sequuntur. » (*Cont. Gent.*, l. III, c. 69).

Cæterum, opinio leibnitziana pessumdat commercium omne et ordinem inter res corporeas, sicque, ut notat D. Thomas, « subtrahit eis id quod optimum habent; nam singula in seipsis sunt bona, simul autem omnia sunt optima, propter ordinem universi. Si autem a rebus subtrahantur actiones, « subtrahitur ordo rerum ad invicem; rerum enim quæ sunt diversæ secundum suas naturas non est colligatio in ordinis unitatem, nisi propter hoc quod quædam agunt, et quædam « patiuntur. » (*Loc. cit.*)

2^o *A posteriori.* Experientia enim constat corpora in sensu nostros agere, necnon in invicem, ac sese vel attrahere, vel repellere.

83. Assertio 3^a : *Corporum vis tum accidentia, tum substantias gignere potest.*

PROB. 1^a PARS, quia quotidie videmus a corporibus motum, figuram aliasque id genus alterationes sive accidentia produci.

PROB. 2^a PARS. Ut enim corpora substantias actione suâ producere queant, satis est ut nova efficiant composita, quæ a prioribus non accidentaliter, sed substantialiter differant. Porro ad id eorum actio sese porrigit, ut patet in copulationibus chemicis, in quibus dissolvuntur componentia et ex iis generatur novum corpus, proprietatibus diversis instructum (1), ut infra uberiùs ostendemus. Imo vulgari etiam exem-

(1) « Dans tous les exemples d'union et de composition chimique, les

plo uti licet; ignis v. g., actione suâ lignum dissolvit et ex eo progignit cinerem, a ligno substantialiter diversum, et corpora quædam acriforma, a ligno quoque diversa.

ARTICULUS II

De corporum essentiâ.

Tria præstare oportet ad famosam istam quæstionem absolvendam: 1^o referre varias philosophorum opiniones; 2^o falsas refellere; 3^o veram declarare et ab objectionibus vindicare.

§ I. — Recensentur variæ opiniones de corporum essentiâ.

84. Ad triplex potissimum *genus* revocari possunt systemata philosophorum ad explicandam corporum essentiam excogitata. Alii putant corporum naturam in extensione solâ sive in atomis consistere; alii contra in elementis inextensis sed actuosis; alii demum, medio itinere incedentes, corporum naturam repetunt ex duplici principio substantiali, alio passivo, unde extensio pullulat; alio activo, unde activitas emergit: 1^a sententia dicitur atomismus, 2^a dynamismus, 3^a verò, materiæ et formæ substantialis nomine appellatur.

I. Exponitur systema atomicum.

Atomismi duplex est forma: prior, atomismus *purus*, posterior, atomismus *chemicus* nuncupatur.

85. 1^o *Atomismus purus* tenet corpora omnia conflare ex atomis, exiguis nimirum corporibus quæ, quamvis partes habeant, tamen dividi non possunt. Sic, inter veteres Democritus, Epicurus et Lucretius, et inter recentes Gassendus, Cartesius, Malebranchius et Newton. — Qui omnes (excepto forsitan Newton) opinantur atomorum omnium unam eam-

premières qualités disparaissent entièrement, et des substances entièrement différentes, pourvues de qualités nouvelles, apparaissent à leur place. » (Cooke, *La nouvelle chimie*, New-York, p. 98).

demque esse naturam, nec eas differre nisi *motu*, partium *dispositione* aut *figuræ* diversitate. — At Newton atomis largitur vim *attractionis*, unde aliæ in alias universali *gravitatione* ferantur, dum Cartesius et Malebranchius volunt eas esse omnino passivas, nec nisi a Deo moveri.

86. 2º *Atomismus chemicus* ab atomismo puro quoad *substantiam* non discrepat; cujus hæc est summa: corpora duplicis generis distinguuntur, *simplicia* scilicet et *mixta* seu *composita*. *Simplicia* sunt quæ, licet ex partibus coalescant, tamen in corpora *heterogenea* aut diversæ naturæ *nondum* resolvi potuerunt, uti ferrum, argentum, hydrogenium; *mixta* dicuntur quæ ex corporum simplicium unione constant, ad quæ analysi chimicâ resolvi possunt; v. g. aqua, lignum. — Utraque extensione et vi resistendi fruuntur. — Corporum simplicium *moleculæ homogeneæ* et *integrantes* dicuntur, mixtorum autem *constitutivæ* et *heterogeneæ*. Utrisque competit attractio vulgò *molecularis*, quæ *cohesio*, vel *affinitas* vocatur, prout conjungit *moleculas integrantes*, vel *constitutivas*.

Porrò partes illæ *minimæ* corporum simplicium ad quas divisio pertingit et sistere debet, atomi *primitivæ* nuncupantur suntque corporum elementa.

Sed advertere præstat in hoc systemate corporum essentiam in *solâ* materiâ aut extensione consistere; siquidem vis attractionis aut repulsionis aliæque id genus, eorum essentiam intrinsecus haud constituunt, at superadduntur constitutæ. — Quod systema propugnavit Tongiorgi, et cum eo non pauci physicarum scientiarum exultores.

II. Exponitur systema dynamismi aut monadum.

87. Atomismo e regione opponitur systema *dynamicum*, quippe quod docet corpora omnia nonnisi ex principiis *inextensis* et *activis* constare.

1º Habuit Leibnitzium inventorem, qui asserebat cujusvis corporis monades esse numero infinitas, obscurâ quadâm universi mundi perceptione necnon appetitu præditas, quin

tamen aliæ in alias agere possent. At sententiam suam postea reprobavit *lusumque* appellavit (*Epist. ad Pfaff, in Actis Erudit.* mense martio 1728), ut materiæ et formæ adhæretet (1).

2º Monadum systema recoxerunt multi recentes post Kantium, Wolfium et Boscovichium, mutatis quæ substantiæ ipsius aliena erant. Videlicet existimant totam corporum essentiam in monadibus esse, quæ, quum attractionis et repulsionis vi gaudeant, certisque consistant intervallis, ex multitudine, coherentiâ et distantia suâ, animo nostro phænomenon extensionis ingenerant. — Putant etiam omnes monades unius esse naturæ, ac varietatem corporum quam admirari solemus, oriri ex variis modis quibus inter se monades copulantur.

III. Exponitur sententia materiæ et formæ substantialis.

88. Hæc est summa systematis materiæ et formæ: Essentia corporum ex duplici principio constituitur, altero passivo et indeterminato, altero activo et determinante: prius, *materia*, posterius, *forma substantialis* dicitur. Jam fusiùs dicendum est quid sit materia, quid forma, et quænam inter utramque relationes.

89. 1º Materia, universim sumpta, denotat *subjectum* quoddam, vel *ex quo* efficitur aliquid, ut ex farinâ et aquâ fit panis; vel *in quo* fit aliquid, ut in cerâ fit figura; vel *circa* quod aliquid fit, ut arithmetica circa numeros occupatur. Non agitur hic nisi de materiâ *ex* quâ, et *in* quâ.

At materia *prima* (2), de quâ duntaxat hic quæstio est, du-

(1) Vult enim « essentiam corporis consistere in materiâ et formâ substantiali, hoc est in principio passionis et actionis; substantiæ enim est agere et pati posse. Itaque materia est prima potentia passiva, forma autem substantialis est actus primus, sive prima potentia activa. » (*System. theol.*, c. xiv). — Ibidem materiam, formam et accidentia *absoluta*, ad mentem scholasticorum, explicitè tuetur et applicat Eucharistiæ; cf. etiam *Epist. 29 ad Patrem des Bosses*.

(2) Materiæ primæ opponitur materia *secunda*; quæ jam est corpus ali-quod, utpote quæ conjunctionem materiæ primæ cum formâ præ se fert,

pliciter definiri potest, *negativè* scilicet et *positivè*. — *Negativè* ab Aristotele definitur *id quod neque est quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum quibus ens determinatur.* (Lib. 7 *Metaph.*, c. 3). Materia enim prima, si sola spectetur, non est substantia, neque qualitas, neque quantitas, neque aliud accidens, quia non est ens completum quod in aliqua specie contineatur. Quo sensu dixit S. Augustinus materiam primam esse *prope nihil*.

At si *positivè* sumatur, definiri potest *subjectum in quo forma recipitur, quod remanet idem in omnibus corporibus, et ex quo promanat eorum extensio.* Igitur materia prima est principium quoddam passivum, indifferens ad formas quaslibet recipiendas et in quo formæ ipsæ recipiuntur. Propterea, quamvis non habeat essentiam completam, pars est tamen essentiæ totius.

90. 2^o *Forma* (1) hoc nomine appellatur ex præstantiâ sui muneris in corpore. Homines enim, in vulgari sermone, sicut nomine materiæ vilius et informe quiddam, ita nomine formæ nobilius aliquid et peractum intelligunt. Jam definiri potest *actus primus materiæ, vel actus ex quo materia contrahitur ad speciem propriam; seu fusiùs: principium vi cuius*

dum materia prima non est corpus, sed tantum pars quædam essentiæ corporis.

(1) Forma, in genere spectata, definiri potest *id quod rem ad certum essendi modum determinat.* Porro vel forma determinat rem in suâ essentiâ et specie, vel accedit ei jam in suâ specie constitutæ. Si prius, *substantialis*; si posterius, *accidentalis* vocatur.

Sed forma substantialis distingui solet in informantem et non informantem, informans in subsistentem, et non subsistentem.

Forma *informans* ea est cui naturâ ipsâ convenit ut corpori conjungatur *intrinsecè* et cum eo speciem suam completam habeat; talis est anima humana et inferiores formæ; forma *non informans*, quæ *separata* etiam vocari potest, ea est cui non convenit ut corpori uniatur *intrinsecè*, quia per se ipsam operari completum et completam speciem habet; v. g. angeli. Quare, si angelus corpus assumat ad aliquod munus obeundum, dicitur illi *assistere*, non autem illud informare. — Demum forma *subsistens* illa est quæ esse et agere potest independentem a materiâ vel alio subjecto; v. g. anima humana; dum forma non *subsistens* nec esse nec agere quit ex se solâ, sed materiæ oportet uniatur; v. g. anima belluina aliæque formæ inferiores.

compositum habet suam speciem, unitatem et vim operandi. Unde ενεργεια, sive ενελεχεια vocatur a Leibnitzio.

91. 3^o Ex his vides *relationes* varias inter materiam et formam in composito. Hæ porro spectari possunt vel quantum ad *essentiam*, vel quantum ad *existentiam* utriusque.

Si *prius*, alteri altera confert aliquid substantiale sicque altera ab alterâ completur; unde *compositum* ex utraque exurgit. Materia quippe accipit ex formâ suam speciem, forma autem suam individuationem ex materiâ. Materia ex se communis est et indifferens ad quamlibet speciem, nec nisi a propriâ formâ determinari potest ut sit corpus humanum potiusquam belluinum, ligneum, aut lapideum. Contrâ, forma ex essentiâ suâ in tali vel tali specie continetur, sed indifferens est ut sit *hoc* potius quam *illud* individuum, ut ostendimus in Ontologiâ (n. 133).

Si *posterius*, i. e. si *relationes* inter materiam et formam spectentur quantum ad utriusque *existentiam*, neutra sine alterâ esse potest. — Si enim nihil esse potest quin habeat aliquam speciem, unitatem vimque operandi, ergo materia sine formâ consistere nequit; quippe quæ hæc omnia non ex se, sed ex formâ tantum habeat. — Si autem, ex unâ parte, nihil esse potest quin individuum sit, et, ex alterâ parte, forma suam haurit individuationem a materiâ, in quâ velut in subjecto recipitur, et quâ mediante operatur, ergo forma esse nequit sine materiâ.

Id porro valet de omnibus formis *materialibus*, quæ non sunt *subsistentes*, quum sine materiâ operari nequeant; non autem de animâ hominis, quæ, utpote spiritualis, agere et esse potest sine corpore, et ideo est forma *subsistens*.

92. Propterea, quia tum materia, tum forma, ex se *incompletam* essentiam habet, ac nulla res potest existere si aliquo ex principiis essentiæ suæ debitis destituatur, dici solet *materiam et formam sibi invicem causam esse*, quamvis sub diverso respectu. Id enim sibi mutuò largiuntur, sine quo neutra existere potest (1).

(1) « Materia dicitur causa formæ, in quantum forma non est nisi in materiâ; et similiter forma est causa materiæ, in quantum materia non ha-

93. *Origo materiæ et formæ.* Porrò vel agitur de *creatione*, vel de *generatione* compositi. In initio temporis, Deus corporum a se conditorum materiam *simul* et formam creavit sive *concreavit*, ut dicit S. Augustinus. Si autem agatur de generatione, forma *dicitur educi ex potentiâ materiæ*, nimirum ex subjecto aliquo quod eam *potentiâ* continet, quodque ab agente creato præsupponitur ut principium materiale coadjuvans. E. g. ex ligno in quo *potentiâ* continetur, educitur cinis, et ex marmore statua.

94. *Successio formarum.* Cùm nullum corpus *simul* habere possit duplicem formam substantialem, statim ac alteram acquirit, amittit alteram; unde illud scholasticum: *Generatio unius, corruptio alterius.* — Rursus, cùm nullum corpus privari possit omni forma substantiali, statim ac alteram amittit, alteram acquirit; unde illud axioma: *Corruptio unius, generatio alterius.*

95. *Generatio et corruptio compositi.* Cùm esse acquirunt, non *creantur*, sed generantur corpora; cùm autem dissolvuntur, non *annihilari* dicuntur, sed *corrumpi*. Enimvero nihil creatur, nisi efficiatur secundum totalitatem suæ substantiæ; ac nihil annihilatur nisi secundum totalitatem substantiæ suæ esse amittat. Porrò, ex dictis, corpora quæ esse acquirunt, non producuntur secundum totalitatem suæ substantiæ, quoniam educuntur ex materiâ. — Et vicissim, quæ dissolvuntur non amittunt esse secundum totalitatem suæ substantiæ, sed secundum partem formalem duntaxat; v. g., ut exemplo jam allato iterum utamur, statua non dicitur ab artifice creari, sed educi ex marmore; et si frangatur, non dicitur annihilari, sed dissolvi; item, cinis ex ligno ab igne non creatur, sed educitur; lignum autem non annihilatur, sed solum dissolvitur.

96. Ad sententiam scholasticam sic expositam satis accedit ea quam recentes nonnulli proponunt sub nomine *Atomismi dynamici*. Arbitrantur scilicet duplici principio constare corpora, alio materiali et passivo, alio simplici et actuoso, ut *bet esse in actu, nisi per formam.* » (S. Thomas, *opusc.* 31, *de principiis naturæ*).

aliud extensionem, aliud verò activitatem corporum explicare valeat. Porrò si admittant, ut admittere videntur, principium dynamicum ad ipsam corporum essentiam pertinere, jam cum Scholasticis sentiunt, nec pugna est nisi de nomine; ita V. Cousin (*Hist. génér. de la Philos.*, 9^e leçon), Th. Henri Martin (*Philos. spiritualiste de la nature*, t. 1, c. 8-14); et Le Dieu, ex *Instituto* (1).

§ II. — Rejiciuntur falsæ opiniones de corporum essentiâ.

97. *Assertio 1^a: Rejiciendus est atomismus purus.*

1. *Falso innititur fundamento*, in eo nempe quòd extensio actualis sit ipsa corporum essentia. Porrò, etsi extensio a corpore naturaliter profluat, nihilominus versatur extra ipsius essentiam, nec est nisi quoddam accidens. Nam 1^o extensio non in seipsâ subsistit, ac proinde *subjectum* sui ex postulat cui insit et accidat (2). — 2^o Notas habet diversas ab essentiâ. Etenim essentia nullâ fruitur dimensione, sed *per se* est indivisibilis et una, totaque in toto corpore et in singulis ejus partibus reperitur, dum extensio triplici pollet dimensione, *per se* divisibilis est, nec tota est in singulis partibus, sed alia pars ejus est in aliâ parte corporis, nec tota invenitur nisi in singularum partium collectione (3). — 3^o Præterea augeri vel imminui potest alicujus corporis moles aut extensio, eadem remanente ipsius essentiâ.

II. *Non explicat proprietates corporum exploratissimas.*

(1) « J'aboutis avec une inflexible dialectique à reconnaître comme base fondamentale de la nature *inanimée* des atomes vibrants doublés de forces, et par suite deux éléments distincts et indissolublement liés entre eux, de telle manière que l'un ne puisse exister sans l'autre. De la sorte, ce qui affecte nos sens, c'est de la substance et non de la matière. » (*Acad. des sciences*, lundi 27 nov. 1882).

(2) « Longitudo, latitudo et profunditas, ait Aristoteles, quantitates quædam sunt, sed non substantia; quantitas enim non est substantia, sed magis cui hæc primò insunt. » (*Metaph.*, 7 et l. 12, c. 3). — « Outre l'étendue, dit Leibnitz, il faut voir un sujet qui soit étendu; et, par conséquent, l'étendue ne suffit point pour expliquer la nature même de la substance répandue ou répétée, étendue dont la notion est antérieure à celle de sa répétition. » (*Lettre à M. Foucher*.)

(3) Cf. S. Augustin., *De Civit. Dei*, l. XI, c. 10, n. 2.

Enimvero essentia est *principium et radix* omnium proprietatum entis. Atqui atomi nequeunt esse radix omnium proprietatum corporum.

1° Ex solis atomis non explicatur extensionis *continuitas* sive *unitas*; nam atomi, per se solas inspectæ nihil exhibent nisi extensionem; extensio verò nihil exhibet nisi multiplicatam ac diffusionem partium, quæ inter se cohærere haud valent, nisi vis quædam communis eas pervadat atque in unum colliget.

Nec recurratur ad vim *cohesionis*. Nam ea vis, in hoc systemate, habetur ut proprietates accidentales corporum, et ideo explicare nequit essentialem eorum unitatem. — Cæterum ne accidentaliter quidem ex solis atomis sequi potest vis cohesionis. Quippe conceptus atomorum nihil involvit nisi extensum quiddam et multiplex, dum vis cohesionis aliquid unum et simplex præ se fert.

2° Ex solis atomis neque *impenetrabilitas*, neque *figura* corporum explicari potest. — *Non prior*; ex dictis enim, atomi ex se vim resistendi non habent, quæ tamen, ut jam probavimus, ratio et causa est impenetrabilitatis. — *Non posterior*; quia, ut jam ostensum fuit (n. 73), materia ex se indifferens est ad quamlibet figuram, et figura non nisi ex principio substantiali activo dimanat.

3° Ex solis atomis non explicatur *substantialis* corporum *diversitas*. Etenim datur substantialis et specifica diversitas corporum. Sensus quippe hominum communis tenet non tantum mineralia secerni a viventibus, verum etiam ipsa mineralia substantialiter inter se discrepare; v. g. duas aquæ guttulas accidentaliter solum, sed aquam a ferro, vel aurum ab igne substantialiter distingui.

Sed res *philosophicè* demonstrari potest. Ibi enim diversa est natura, ubi diversæ, imò contrariæ sunt proprietates; si quidem rerum naturam cognoscimus ex earum proprietatibus, quæ cæterum a naturâ tanquam a principio promanant. Atqui diversorum mineralium diversæ, imò et oppositæ sunt proprietates; v. g. aquæ, ferri, argenti et auri proprietates diversæ sunt et oppositæ.

Accedit ipsius chimie hodiernæ testimonium; quippe quæ admittit sexaginta et tria corpora simplicia specificè diversa.

Porrò atomismus explicare nequit substantialem eam corporum diversitatem, quam cæterum non admittit. Nam corporum diversitatem explicat ex diversitate ordinis, dispositionis vel motûs atomorum primitivarum. Sed hæc, ut patet, non sunt nisi accidentales differentie.

98. Assertio 2^a: *Rejiciendus est atomismus chemicus.*

1° *Falso innititur fundamento*; in eo scilicet quòd aggreditur explorare corporum *naturam* ope physicæ vel chimie, ac putat quæstionem hanc physicam esse, non metaphysicam. Porrò hæc aliena sunt a veritate. Physica enim docere potest corporum *proprietates* ac *leges*, non verò *naturam* corporum, quatenus sunt corpora. Quippe scientiæ naturales non attingunt nisi quod sub apperceptionem *experientiæ* cadit. Sed nullius rei intima natura cadit sub apperceptionem *experientiæ* (1).

Confirmatur, quia scientiarum naturalium professores, etiam hodie, ipsarum *proprietatum* physicarum naturam intimam nesciunt, v. g. caloris, coloris, luminis, electricitatis, magnetismi. — Ad solam igitur metaphysicam pertinet, exploratis ante rerum phænomenis, earum naturam animi calculo computare et colligere.

2° *Isdem vitiis laborat ac atomismus purus.*

Enimvero confitentur ejus fautores ipsum ab atomismo puro quoad substantiam non discrepare. Admittunt quidem corpora præter extensionem, frui etiam quibusdam *viribus*, scilicet attractione, cohesionem et affinitate; sed eas non negabant veteres atomici. At utrique putant *essentiam* corporum in extensione totam esse, et vires supradictas *essentiæ* tantum *superaddi*. Porrò jam probavimus extensionem *actualem*

(1) Id fatentur viri in scientiis naturalibus *versatissimi*, inter quos Cl. Bernard. « La recherche des causes premières n'est point du domaine scientifique. Quand l'expérimentateur est parvenu au déterminisme des phénomènes, il ne lui est pas donné d'aller au delà, et sous ce rapport, la limite de sa connaissance est la même dans les sciences des corps vivants et dans les sciences des corps bruts. » (*La Science expérimentale*, du progrès dans les sciences physiol., p. 55 et ss.).

non pertinere ad corporum essentiam, sed ab eâ ceu accidens promanare; probavimus etiam principium activitatis non accidentale esse corporibus, sed necessarium et constitutum; ab atomis verò, utpote per se inertibus, ne minimam quidem vim fluere posse (n. 97).

3^o *Non explicat naturam corporum simplicium.*

Patentibus ipsius patronis, corpora simplicia ipsa sunt corpora. Ergo concurrere possunt, si variè commisceantur, ad constituenda corpora hujus vel alterius generis, non autem ad constituenda corpora, quatenus corpora. Itaque jam variorum corporum varia elementa, non verò prima principia explicantur.

4^o *Nec feliciùs explicare videtur naturam corporum mixtorum.*

Docet enim corpora mixta ita ex simplicibus conflari, ut in ipsis ea remaneant actu, quin mutationem substantialem patiantur. Et ratio est quòd, destructo mixto, iterum habeantur corpora simplicia. Sed hæc ratio non probat intentum; quia nempe mixtum ex simplicium corporum alteratione ac mixtione resultat, habet materiam, pondus proinde et vires quæ ex materiâ, pondere et viribus eorum permixtis et alteratis resultant. Si ergo mixtum ipsum dissolvatur, necesse est iterum haberi simplicia, quorum virtutes in ipso manebant. — Jam chimia nullo modo definire potest utrùm simplicia actu an virtute solùm in mixto supersint, sed hæc altior quæstio supergreditur experientiam, et ad Metaphysicam spectat.

Re autem metaphysicè spectatâ, veriùs dicitur simplicia corpora in mixto virtute et æquivalenter, non autem actu remanere, eaque in mixtum fuisse conversa. Nam ubi sunt proprietates aliæ, ibi alia quoque substantia est. Atqui proprietates ac vires corporis mixti aliæ sunt a viribus simplicium ex quibus conflatur; v. g. aliæ sunt aquæ, aliæ autem oxygenii et hydrogenii proprietates (1).

(1) Cf. S. Thom., 1^a, q. LXXVI, a. 4, ad 4, necnon opuscula: *De mixtione elementorum et de principiis naturæ*; Cf. P. Zigliara, *De mente Conc. Vienn.*, pars 1^a, a. 6 et 7.

Cæterùm, hanc sententiam probant multi hodierni chimie professores:

99. Assertio 3^a: *Rejiciendum est monadum systema.*

1^o *Tollit substantialem corporum unitatem;* siquidem ea reponit in aggregatione monadum, quæ propriâ fruuntur individualitate. — 2^o *Inducit inter monades, quatenus simplices, et proinde inter ipsa corpora, differentiam merè accidentalem;* quod jam supra (n. 97, II) confutavimus. — 3^o *Sufficientem rationem non afferre potest cur ipsa corpora non cogitent.* Nam non tantùm simplicitate fruuntur monades, verùm etiam a materiâ minimè pendent, cùm extensionis realitas deficiat. — 4^o *Vult materiæ divisibilitatem non indefinitam esse, sed ad certos fines et ad elementa simplicia terminari.* Porrò id quoque suprâ rejectum fuit, (n. 66). — 5^o *Omnem aufert realitatem extensionis, imò ne phænomenicam quidem ejus apparentiam explicare valet (1).* Etenim ex industriâ negat realitatem objectivam extensionis, at dicit apparentiam ejus enasci ex monadibus certo intervallo et spatio collocatis. Porrò, ut probavimus in Ontologiâ (n. 172), spatium extensionem præsupponit, nec intervallum est aliud nisi quædam extensio jacens inter plura corpora. Ergo falsò monades certis spatiis inesse aut a se invicem distare asseruntur, quum sint inextensæ, ac proinde nullum inter eas spatium, nulla sit distantia.

« Dans les combinaisons chimiques, dit Hoffman, les propriétés des éléments sont détruites et l'individualité des composants a disparu dans l'acte de la formation d'un nouveau corps avec de nouvelles propriétés. » (*Introduzione alla chimia moderna*, p. 76.). — Sic etiam sentiunt Wright (*Le Chimiste américain*, p. 211), et Roscoe (*Chimie élémentaire*, p. 236, Londres), Bertholet (*Statique chimique*), Jamin (*Cours de physique*), Berthelot (*Synthèse chimique*). — Audiatur demum Sainte-Claire Deville, notissimus chimie professor in scholâ Normali superiore: « L'acte de la combinaison s'accompagne d'un dégagement de chaleur lente, perdue par les éléments eux-mêmes, ou d'une absorption de chaleur acquise par les mêmes éléments, de sorte que la nature de ceux-ci change nécessairement par suite de la combinaison, de même que l'oxygène, le soufre et le phosphore changent de nature lorsqu'ils gagnent ou perdent de la chaleur de composition. Aussi peut-on dire qu'il n'y a ni oxygène, ni soufre, ni phosphore, au moins comme nous les connaissons, dans l'acide sulfureux, l'hydrogène phosphoré et l'hydrogène arsénieux. » (*Comptes rendus de l'Académie des sciences*, année 1877, séance du 21 mai).

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 43-46.

At etiamsi daretur eas ab invicem distare, tamen extensionem generare non possent. Nam ipsis illarum fatentibus patronis, ex monadibus oritur extensio, in quantum aliæ in alias agunt. Atqui monades, eo ipso quòd ab invicem distant, non valent agere in invicem, nisi admittatur actio *in distans*, quam in Ontologiâ (n. 192) reprobavimus. Et sanè, si vacuum sive nihil sit inter varias monades, jam actio alterius alteri communicari nequit, proindeque non agunt aliæ in alias, et invocandus est *occasionalismus*. — Rursus, etiamsi daretur monades in invicem agere, nihilominus exinde non haberetur extensio. Quippe inter eas non foret nisi *relatio* sive *ordo*. Atqui ordo sive relatio est quid simplex, quod inter ipsos spiritus viget, qui profectò in invicem agunt, quin exhinc sequatur extensio, aut ipsi spatium efficiant vel occupent.

400. *Ocluduntur Monadistarum effugia*. Dicunt monadistæ : 1° extensionem non quidem ex singulis monadibus, sed ex earum collectione produci; 2° sensationem extensionis enasci ex simplici virium externarum resistantiâ.

At contra si quæque monas nullum ordinem ad extensionem habet, nullum habebit monadum collectio. Porrò quæque monas ad *multitudinem* quidem, non autem ad *extensionem* ordinem habet. Ergo ex monadum collectione generari potest multitudo, non magnitudo (1). Nec veriùs asseritur sensationem extensionis ex simplici virium externarum resistantiâ enasci. Sensatio namque, si conscientiæ fides, non ad *meram* resistantiam, sed ad resistantiam *extensam*, *continuum*, in talis vel talis spatii punctis positam terminatur. — Item, in membris nostris extensam continuumque sensationem experimur, v. g. dolorem in capite, vel in aliâ parte. Oritur itaque sensatio a punctis quibusdam objectivis, distinctis simul et continuis, seu in variis spatii partibus collocatis. Sed jam ostendimus continuum et spatium sine corporibus minimè dari vel intelligi posse.

Quamobrem, si vis quædam spiritualis nobis resisteret,

(1) « Magnitudinem ex non magnitudinibus constare incongruum et abhorrens est. » (Aristot. *De Generat.*, l. 1, c. 2, § 4).

vim quidem *resistentiæ*, non verò *extensionem* ullam continuam perciperemus.

§ III. — Declaratur vera sententia de naturâ corporum.

Assertio : *Tenenda est materiæ et formæ sententia* (1).

Suadetur auctoritate, et probatur ratione.

404. I. *Suadetur auctoritate*, sive philosophicâ, sive theologicâ.

1° *Auctoritate philosophicâ*. Plurimi facienda est sententia quam philosophi numero plures, auctoritate majores, ingenio, cæteris suis opinionibus, tempore et regionibus diversi propugnant. Porrò talis est materiæ et formæ sententia. Hanc quippe inchoavit Plato (2), ex industriâ pertractavit Aristoteles, recepit Plotinus (*Ennead.*, II, l. 17, c. 2, 6), admisit Tullius (*Acad.*, I, 2, 6; *De Finib.*, 6), tenuit Origenes (*De Principiis*, l. II, c. 1, n. 4), maximo animi gaudio probavit S. Augustinus, qui Deo gratias effuso corde agit, quòd eam, ipso benigniùs inspirante, plenius intellectam hausisset; recepit S. Gregor. Nanzianz. (*Orat.* 23, 58). Hanc Albertus M., D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus ipse aliique scholastici omnes indubiam esse senserunt; hanc Suarezius dixit « esse *dogma philosophicum*, » ac demum clarissimus recentium omnium Leibnitzius, cæteris opinionibus abdicatis, docendam excepit (3).

(1) Cf. S. August., l. XII, c. 3-6 et 29; l. XIII, c. 33, de *Genesi ad litt.* l. I, c. 15; S. Thom., 1^a, q. 3, a. 2; q. 4, a. 1; q. 66, a. 3; *Qq. de spiritual. creat.*, a. 1-3; *de Verit.*, q. 3, a. 5; *Quodlib.*, 3, a. 1, c; *Cont. Gent.*, l. 1, c. 54 et l. 4, c. 68; *In II Sent.* dist. 12, q. 1, a. 1; *in Metaph.*, l. 7, c. 3, l. 8, c. 1, l. 12, c. 2. Cf. P. Nillion : *Étude sur la composition substantielle des corps*.

(2) In *Timæo*, trad. Cousin, p. 152, 155 et 156. Plato non aliter materiam primam describit quàm Aristoteles; nimirum dicit « eam esse id ex quo cuncta corpora educuntur, in quo etiam velut in subjecto recipiuntur; aliquid ejusdem semper naturæ, idoneum ad recipiendas quaslibet formas, ac proinde expers formæ omnium; ens quiddam invisibile, in forme, sinu suo continens omnia, difficile intellectu, participans tamen ex alio esse intelligibile. » — Ibidem, in omni ente materiali tria notat Plato, id quod fit, id ex quo fit, et id secundum quod fit; 1^{um} comparat proli, 2^{um} matri, 3^{um} autem patri.

(3) Bossuetius quoque illam probare videtur : « Ne voyez-vous pas que

2^o *Auctoritate theologicâ*. Nam theologia sicut et philosophia docet hominem constare ex materiâ et formâ substantiali, ut ostendimus in Anthropologiâ (n. 213). Ergo idem de omni composito probabiliter colligitur. Vult enim analogia in variis rebus compositis eandem esse compositionis rationem, quanquam aliâ materiâ et formâ gaudeant. Unde Suarezius: « Homo constat formâ substantiali, ut intrinsicâ causâ; ergo et res omnes naturales. Hominis (enim) compositio ex materiâ et formâ substantiali ostendit esse in rebus naturalibus quoddam subjectum substantiale, naturâ suâ aptum ut informetur actu aliquo substantiali. » (*Disp. Met.*, t. I, disp. 15, sect. 1).

Præterea, sive atomica, sive dynamica opinio admodum difficilem reddit explicationem unionis substantialis animæ et corporis in homine. Si enim hæc opinio, ut suadet logica, ad corpus humanum applicetur, corpus nostrum jam erit *aggregatum* quoddam ex pluribus substantiis, nec habebit esse suum corporis ab animâ rationali, quæ illi tantum *adjicietur*.

Insuper, Theologia docet in venerabili Eucharistiæ sacramento remanere *accidentia* panis et vini, a suâ connaturali substantiâ separata. Porro huic dogmati adamussim respondet sententia scholastica quæ docet quantitatem esse quidem objectivam, sed extra essentiam corporum repositam et ab eâ per miraculum separabilem. Sed hinc reprobat systema atomicum, quod vult corporum essentiam in extensione consistere; siquidem extensio ab essentiâ panis et vini separatur. — Reprobat quoque systema dynamicum, quod contendit extensionem objectivâ realitate destitui, et cohærenter, contra consentientem auctoritatem Patrum Doctorumque Ecclesiæ tenet, in Eucharistiæ sacramento, species panis et vini non esse reales et objectivas, sed merè subjectivas apparentias.

Confirmatur, quia omnia sacramenta, diversâ licet ratione, materiâ et formâ constant. Atqui hæc doctrina non benè ex-

dans toutes les choses corporelles, outre la partie agissante, il y en a une autre qui ne fait que souffrir, que nous appelons la matière? » (1^{er} *Sermon* pour le 1^{er} dim. de carême).

plicatur, nisi admissâ generali sententiâ materiæ et formæ. Jure ergo Suarezius dicit hanc sententiam « ita esse consentaneam veritati fidei christianæ, ut ejus certitudo non parum inde augeatur. » (*Metaph.* in 4 *Sent.* dist. 12, q. 1, a 2).

402. II. *Probatur ratione*. 4^o Naturam corporum dignoscimus ex eorum proprietatibus, prout cadunt sub apperceptionem experientiæ. Porro materia et forma requiruntur et sufficiunt ad explicandas corporum proprietates quas manifestat experientia.

Requiruntur. Nam variæ scientiæ naturales (præter argumenta modò allata) æquè ostendunt ab omnibus corporum proprietatibus extensionem ac vim quamdam præsupponi. Porro hæc duo elementa notas oppositas præ se ferunt, proinde ab uno eodemque principio promanare haud possunt. Enimverò extensio est multiplex, passiva, communis, sub imaginationem cadit, triplici pollet dimensione, et est in infinitum divisibilis; vis contra est una, activa, determinata, *concipitur*, non *imaginatur*, nullâ dimensione, at simplicitate gaudet, et demum est per se indivisibilis. Ergo ad explicandas corporum proprietates duplex requiritur principium constitutivum, aliud scilicet quod sit fons extensionis, passivum et omnibus commune, aliud verò quod sit fons unitatis, activitatis et diversitatis. — Utrumque pertinet ad corporum essentiam, quia, uno sublato, deficit notio corporis ac multæ illius proprietates principio carent unde oriuntur. — Sed utrumque est incompletum in lineâ essentiæ et substantiæ, quia neutrum est ratio sufficiens omnium proprietatum corporis, sed alterum ab altero completur ut munus suum obire queat. Alterum igitur alteri suum esse communicare debet; alioquin utrumque completum foret, et corpus, duplici jam completo principio instructum, non esset unum ens, sed multiplex. — At prius, nempe principium materiale, cum passivum sit et commune omnibus corporibus, idemque sub formarum varietate persistat, indifferens est ad quamlibet formam recipiendam; ac proinde per se indeterminatum et potentiale. Posterius autem, scilicet principium formale, cum sit quædam *ενεργεια* sive *εντελεχεια*, necnon radix et fons

diversitatis quæ in corporibus cernitur, speciem suam suumque esse materiali principio communicat, sine quo tamen operari nequit, eo quod omnes corporum actiones per motum absolvuntur. — Ergo demum ad explicandas corporum proprietates, *requiruntur* materia et forma, juxta definitionem Scholasticorum.

Sufficiunt. Siquidem a materiali principio explicari possunt quæcumque ad potentiam corporum passivam, et ex principio formali quæcumque ad potentiam activam referuntur.

2° *Confirmatur ex modo quo producuntur et dissolvuntur corpora.* Is enim modus (præter jam probata, n. 102), ostendit admitti debere mutationes corporum *substantiales*. Porro mutationes illæ exigunt materiam et formam.

Probatur major, quia corpora neque creantur, cum acquirunt, neque annihilantur, cum amittunt esse, sed in primo casu generantur, dissolvuntur in secundo. E. g. cinis a ligno per actionem ignis non creatur, sed generatur, habetque essentiam ab essentiâ ligni diversam, quum habeat proprietates diversas.

Probatur minor per partes.

1. *Exigitur materia.* Nam ex corpore soluto corpus generatum *educitur*; alioquin crearetur, quod repugnat. Ergo antea in *virtute*, non tamen *actu* erat; non actu quidem, quia essentia corporis novi, ex dictis, alia est ac veteris corporis essentia, alique proprietates. « Si non præexisteret potentia, ait S. Thomas, fieret ex nihilo; si verò præexistet actu, non fieret, quia quod est, non fit. » (*Qq. dispp.*, q. 3^a de *Potentia*, a. 8, c.).

Rursus, ex corpore soluto, in generato corpore *aliquid remanet*; alioquin primum annihilatum, secundum verò creatum dicendum foret. Quod autem ex vetere in novum corpus transit, debet esse quiddam potentiale, nullam per se formam habens, sed indifferens ad existendum sub qualibet formâ, utpote quod formas diversas successivè inducat; eadem enim materia per omnes transit specificos gradus corporeitatis: v. g., aer, calor, aqua, fit planta, imò animalis caro; item, cum, intereunt animalia vel plantæ, rursus in

materiam inorganicam resolvuntur. Porro id quod ex vetere in novo corpore remanet, ex quo novum educitur, quodque indifferens est ad recipiendam quamlibet formam, aliud non est nisi materia prima, juxta definitionem Scholasticorum. (Cf. Liberatore, *Composé humain*, c. VIII, § 4).

2. *Exigitur et forma ad explicandam generationem producti corporis.* Nam illud corpus habet vires diversas a soluto corpore, dum principium materiale, de quo supra, est commune omnibus corporibus, passivum, indeterminatum et indifferens ad existendum sub variis formis. Ergo ex postulat aliud principium quo determinetur ad certam speciem, sitque fons unitatis et activitatis. Porro illud formale principium ex quo materia speciem suam, et compositum suam unitatem et activitatem accipit, nihil est aliud nisi forma substantialis, juxta definitionem scholasticam.

Scholastici veteres *privationem* etiam exigebant, quia nullo corpore in aliud substantialiter mutari aliamque formam induere potest, nisi prius eâ careat. At nemo non videt privationem non esse *partem realem* constituti corporis, sed tantum *conditionem* sine qua non posset produci. « Privatio, ait D. Thomas, dicitur principium esse *fendi*, sed non *essendi* » (*Qq. dispp. de Pot.*, q. III, a. 1, ad 16).

3° Constat *observatione* cum vulgari, tum scientifica corporibus inesse aliquid *genericum*, in quo omnia conveniunt, et aliquid essentialiter diversum, quo ad propriam speciem pertinent (Supra n. 74). Porro sententia scholastica sinceram duplicis hujus facti explicationem præbet, cum ex materiâ elementum corporibus commune, et ex formâ elementum diversum declarat. Hanc autem explicationem *atomismus* et *dynamismus* præbere minimè queunt, cum ad unum principium corpora reducant. Et ideo ne servent quidem principium *rationis sufficientis*, quod absolute jubet proprietatibus diversis proportionatam ac diversam assignare causam, cujus ope valeant explicari (Supra, n. 102).

4° Demum, *analogiæ lex*, quam alia systemata abrumpunt, in sententiâ nostrâ servatur accuratissimè. Enimvero plantas et animalia duplici principio, altero materiali et formali al-

tero, constare inficiare non licet. Ergo idem de corporibus cunctis sentiendum est, quum omnia convenient in ratione corporeitatis, ac proinde in ratione compositionis.

103. Obj. 1° Omne ens vel est substantia, vel accidens. Sed materia et forma nec substantia sunt, nec accidens, sed pars quædam substantiæ.

R. dist. maj. et min. Omne ens vel est accidens, vel substantia completa aut incompleta, *conc.*, vel accidens, vel substantia completa, *neg.* Responsio patet ex dictis in Ontologiâ (n. 115). Et quidem nec materia nec forma substantia dicitur, quia neutra, exceptâ hominis formâ, completa est nec in lineâ essentiæ, nec in lineâ substantialitatis; neutra enim per se solam operari aut esse valet. Atamen utraque sub genere substantiæ continetur, siquidem ad substantiam corpoream constituendam concurrunt; utraque igitur est principium substantiale incompletum, vel pars *compositi*, quod solum propriè subsistit.

104. Obj. 2° Materia prima exhibetur ut quid medium inter ens et nihilum, scilicet ut aliquid potentiale. Porrò nihil medi est inter ens et nihilum, et aliquid potentiale est aliquid merè possibile.

Resp. neg. maj. Materia enim prima est vera et *physica* entitas, quamvis incompleta sit sive in ratione essentiæ, sive in ratione existentiae, ac, prout ex se passiva, communis et indeterminata, recipiat a formâ determinationem ac speciem suam. — Forma igitur entitatem materiæ informandæ *logicè* præsupponit, et propterea dicitur actus ejus *specificationis*, non autem ejus *realitatis*. Itaque materia prima, hand secus ac forma, non est quidem essentia completa, nec ens completum, sed vera *pars* essentiæ et entis; ex quâ oritur principium extensionis et individuationis. — « Si ergo, ait Angelicus, materiæ primæ essentia definiretur, haberet pro *differentiâ* ipsum suum ordinem ad formam, et pro *genere* ipsam suam substantiam. » (*Quodlib.* 9, a. 6, ad 3). Cf. Zigliara, *De mente concilii Vienn.*, p. 1^a, c. 16.

105. Inst. Materia prima saltem reponi debet inter res quæ scientificè cognosci non queunt.

R. neg. assertum. Nam S. Thomas cum S. Augustino rectè declarat *modum* quo a nobis apprehenditur. « Natura quæ primò subjicitur mutationi, id est materia prima, non potest sciri *per seipsam*, cum omne quod cognoscitur, cognoscatur per suam formam, materia autem prima consideratur subjecta omni formæ; sed scitur secundum *analogram*, id est secundum *proportionem*. Sic enim cognoscimus quod lignum est aliquid præter formam scamni et lecti, quia quandoque est sub unâ formâ, quandoque sub aliâ. » (S. Th. in I. *Physicor.*, lect. 13) (1).

106. Obj. 3° Scholastici dicunt formas educi ex potentiâ materiæ. Sed eductio ista non intelligitur.

R. neg. min. Hæc enim vox *eductio*, licet metaphorica, optimè ostendit modum quo formæ rerum corporearum producuntur. Cum enim ipsæ non existant nisi *in materiâ*, ex materiâ etiam *oriuntur*; non quòd oriantur ex eâ, tanquam ex causâ *efficienti*, sed tanquam ex subjecto *passivo* et *materiali*, eo fermè modo quo statua ex ære vel marmore educitur. In hoc sensu D. Thomas: « Forma præexistit in materiâ *imperfectè*; non quòd aliqua pars ejus sit ibi in actu et alia desit, sed quia tota præexistit in potentiâ, et postmodum tota producitur in actu. » (*Qq. dispp. de Pot.*, q. 3, a. 8, ad 10; 1^a, q. 45, a. 8, et q. 90, a. 2, ad 2).

Porrò Augustinus comparat istam formæ ex materiâ educationem ei quæ fit ex *semine*, quod potentiâ continet rem ex ipso nascituram, ac dicit « rationes *seminales* formarum in materiâ esse » (2).

Cum verò, ex dictis, materiâ sit potentiâ *passiva*, forma non potest ab ea educi, nisi actione alicujus agentis *extrin-*

(1) « Mutabilitas rerum mutabilium, ipsa capax est formarum omnium in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid animus? Numquid corpus? Numquid species animi vel corporis? Si dici posset: nihil aliquid, quod est et non est, hoc eam dicerem;... et tamen jam utcumque erat, ut species caperet istas visibiles et compositas. » (S. August., *Confess.*, l. XII, c. 5).

(2) Ad rem D. Thomas: « Qualitates naturales educuntur de potentiâ materiæ, quarum *inchoationes* quasdam materiæ Deus opere creationis indidit. » (*In I Sent.*, dist. 17, q. 2).

secl, sicut statua educitur ex marmore, actione artificis, vel sicut cinis educitur ex ligno, actione ignis, vel sicut arte chimici, *compositum* educitur ex componentibus.

CAPUT II

DE VEGETABILIBUS

Dicendum est 1° de naturâ vitæ seu spontaneitatis in genere; 2° de spontaneitate plantarum; 3° de illarum operationibus; 4° de naturâ principii earum vitalis; 5° de unitate illius principii.

ARTICULUS I

De naturâ vitæ seu spontaneitate in genere

107. Viventia dicuntur, ut innuimus in Anthropologiâ (n.30), *quæ seipsa movent ad agendum motu interiore et spontanea vi*. — Porro spontaneitas, in universum, non sibi vult ens eâ præditum sine causâ agere, ut supponere videntur quidam physiologi, aut movere seipsum cum cognitione et libertate, aut ab agentibus externis minimè moveri et excitari ad agendum; sed præ se fert intimam quamdam activitatem, sese juxta rationem certam ac determinatam dirigentem.

Unde potest definiri: *Vis quâ vivum quodammodo seipsum regit, et impressionem vel actionem agentium externorum, si forte recipiat, immutat ac facit suam.*

108. Assertio: *Spontaneitas propria est viventibus.*

Probatur 1° quia entibus inanimis inest minimè; ea enim quanquam agunt, in tantum agunt, in quantum aguntur; nec inter agendum, rectionem ullam ex se habent, nec impressionem acceptam ullo modo mutant, sed eorum omnis *reactio* semper et absolutè actioni receptæ est æqualis.

Probatur 2° quia *omni* viventi competit vis spontanea, tametsi varia pro variâ cujusque vitalitate. Nec opus est ut eam in animali et in homine declaremus, cum ipsa sese manifestam prodatur, sed operæ pretium est eam ostendere in plantâ, in quâ minus patet, eò quod est in infimo gradu viventium. (Cf. *Arist., De Animâ*, l. I, c. 4, § 8).

ARTICULUS II

De spontaneitate plantarum.

109. Assertio: *Plantis inest vis quædam spontanea* (1).

Probatur 1° quia planta materiam elementarem attrahit, congruam eligit sibi, et ita immutat, ut in propriam vertat substantiam. Porro hujusmodi *assimilatio* certam præ se fert spontaneitatem.

Probatur 2° quia planta seipsam regit, format et evolvit vi quadam rectrice, quam D. Thomas ideæ artificis comparat, et Cl. Bernard vocat *instinctum ideæ creatricis*. Et initio quidem, *germen* vel *semen materiam*, omni adhuc organismo certo destitutam, sensim disponit et effingit; postea evolvit juxta typum cuique viventi proprium, donec debitam quantitatem assequatur. Porro hæc vis merito dicitur *architectonica*; siquidem architecti more, ad communem finem, formam scilicet viventis evolvendam et servandam, omnia disponit, singulis providet organis, singulas struit cellulas et instaurat quod deficit, et curat ne quid deflectat ab instituto.

Et quidem ut ostendit D. Thomas, hæc vis non est merè *idealis*, vel *viventi externa*, verum ei *propria* et *intima*. « Est in semine virtus *formativa*, quæ hoc modo comparatur ad materiam concepti, sicut comparatur forma domûs in mente artificis ad lapides et ligna, nisi quòd forma domûs est omnino *extrinseca* a lapidibus et lignis, virtus autem spermatis est *intrinseca*. » (in VII *Metaph.*, lect. 8).

3° *Confirmatur*, quia nonnullæ plantæ varios exhibent

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2, a. 1 et 2.

secl, sicut statua educitur ex marmore, actione artificis, vel sicut cinis educitur ex ligno, actione ignis, vel sicut arte chimici, *compositum* educitur ex componentibus.

CAPUT II

DE VEGETABILIBUS

Dicendum est 1° de naturâ vitæ seu spontaneitatis in genere; 2° de spontaneitate plantarum; 3° de illarum operationibus; 4° de naturâ principii earum vitalis; 5° de unitate illius principii.

ARTICULUS I

De naturâ vitæ seu spontaneitate in genere

107. Viventia dicuntur, ut innuimus in Anthropologiâ (n.30), *quæ seipsa movent ad agendum motu interiore et spontanea vi*. — Porro spontaneitas, in universum, non sibi vult ens eâ præditum sine causâ agere, ut supponere videntur quidam physiologi, aut movere seipsum cum cognitione et libertate, aut ab agentibus externis minimè moveri et excitari ad agendum; sed præ se fert intimam quamdam activitatem, sese juxta rationem certam ac determinatam dirigentem.

Unde potest definiri: *Vis quâ vivum quodammodo seipsum regit, et impressionem vel actionem agentium externorum, si forte recipiat, immutat ac facit suam.*

108. Assertio: *Spontaneitas propria est viventibus.*

Probatur 1° quia entibus inanimis inest minimè; ea enim quanquam agunt, in tantum agunt, in quantum aguntur; nec inter agendum, rectionem ullam ex se habent, nec impressionem acceptam ullo modo mutant, sed eorum omnis *reactio* semper et absolutè actioni receptæ est æqualis.

Probatur 2° quia *omni* viventi competit vis spontanea, tametsi varia pro variâ cujusque vitalitate. Nec opus est ut eam in animali et in homine declaremus, cum ipsa sese manifestam prodat, sed operæ pretium est eam ostendere in plantâ, in quâ minus patet, eò quod est in infimo gradu viventium. (Cf. *Arist., De Animâ*, l. I, c. 4, § 8).

ARTICULUS II

De spontaneitate plantarum.

109. Assertio: *Plantis inest vis quædam spontanea* (1).

Probatur 1° quia planta materiam elementarem attrahit, congruam eligit sibi, et ita immutat, ut in propriam vertat substantiam. Porro hujusmodi *assimilatio* certam præ se fert spontaneitatem.

Probatur 2° quia planta seipsam regit, format et evolvit vi quadam rectrice, quam D. Thomas ideæ artificis comparat, et Cl. Bernard vocat *instinctum ideæ creatricis*. Et initio quidem, *germen* vel *semen materiam*, omni adhuc organismo certo destitutam, sensim disponit et effingit; postea evolvit juxta typum cuique viventi proprium, donec debitam quantitatem assequatur. Porro hæc vis merito dicitur *architectonica*; siquidem architecti more, ad communem finem, formam scilicet viventis evolvendam et servandam, omnia disponit, singulis providet organis, singulas struit cellulas et instaurat quod deficit, et curat ne quid deflectat ab instituto.

Et quidem ut ostendit D. Thomas, hæc vis non est merè *idealis*, vel *viventi externa*, verum ei *propria* et *intima*. « Est in semine virtus *formativa*, quæ hoc modo comparatur ad materiam concepti, sicut comparatur forma domûs in mente artificis ad lapides et ligna, nisi quòd forma domûs est omnino *extrinseca* a lapidibus et lignis, virtus autem spermatis est *intrinseca*. » (in VII *Metaph.*, lect. 8).

3° *Confirmatur*, quia nonnullæ plantæ varios exhibent

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2, a. 1 et 2.

irritabilitatis motus quibus petere convenientia sibi et fugere ingrata videntur; v. g. *heliotropium* videtur movere se ad solem; *mimosa* autem pudica, si forte tangatur, videtur crispare se et retrahere. Porrò isti motus tam manifestam præ se ferunt spontaneitatem, ut ei, licet immerito, sensibilitatem quamdam attribuerint non pauci physiologi.

ARTICULUS III

De operationibus plantarum.

410. *Propositio* : Plantis vegetativæ, non verò sensitivæ insunt operationes (1).

PROB. 1^a PARS. Triplex est, ut in Anthropologiâ ostendimus (n. 31), vitæ vegetativæ actus, nimirum *generatio*, *nutritio* (2) et *augmentum*. Porrò, experientiâ teste, triplici hoc munere plantæ fruuntur.

PROB. 2^a PARS contra Platonem apud veteres, et apud recentes, Bichat, Cl. Bernard et alios physiologos, qui infimum quoddam sensibilitatis genus plantis attribuunt.

I. *Suadetur a priori*. 1^o Decet viventia diversa *gradatim ordinari*. Atqui, ut servetur melius gradatio ista, oportet aliis vitam vegetativam duntaxat, aliis vegetativam et sensitivam, aliis autem vegetativam, sensitivam et intellectivam simul competere. — 2^o Sensus in plantis sine carerent. Nam ii conceduntur animalibus ut motu progressivo petere vel fugere valeant quæ convenientia sibi vel nociva esse percipiunt. Porrò motu locali plantæ destituuntur.

II. *Prob. a posteriori*. 1^o Sensatio non fit, experientiâ teste, nisi mediantibus certis propriisque organis. Atqui organa ista in plantis desiderantur, quanquam iis pollent quæ

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 3, a. 1.

(2) Cl. Bernard ostendit nutritionem, idemque de augmento dices, esse veluti *generationem continuatam*. Vita enim cuidam combustioni similis est; unde quivis motus vitalis aliquam vim consumit, quam statim restituit nutritio, dum alimenta vertit in substantiam viventis, cujus organa perpetuo reficit et propè creat. (Cf. *La science expérimentale* — *Définit. de la vie*, p. 131 et ss.).

ad nutritionem, augmentum et generationem sunt deputata. — 2^o Et verò, si plantæ sensu fruerentur, motibus suis sentire se demonstrarent, ut demonstrant animalia. Porrò nullis indiciis sentire se demonstrant. — Equidem in nonnullis plantis videre est certos *irritabilitatis* motus qui sensationem simulant; attamen *spontanea* ista irritabilitas, quæ *reactionem* quamdam et *naturalem* importat appetitum, a sensu et cognitione aliena est.

ARTICULUS IV

De naturâ principii vitalis plantarum.

411. *Errores*. De naturâ principii vitalis multiplex est opinio. Nam Cartesius, Malebranchius et recens P. Tongiorgi voluere illud ab inanimis corporibus haud aliter secerni, quam nobiliori partium dispositione vel structurâ; varias autem vitæ vegetativæ functiones explicari posse ex viribus physicis vel mechanicis materiæ insitis, aut saltem ex virium physicarum et mechanicarum certâ combinatione. Quæ sententia *mechanicismus* vocatur, et fautores habet quosdam physiologos, quibus in fine adhærere visus est Cl. Bernard.

Alii verò concedunt vegetabilium operationes a viribus physicis vel chemicis non explicari posse, sed existimant eas repeti posse ex vi quadam *organis* insitâ, et a materiâ corporis organici non diversâ. Quæ sententia dicitur *organicismus*, ac propugnatur a quibusdam medicis vel physicis.

412. *Prob. 1^o* : Vegetabilia specificè differunt a corporibus inanimis (1).

Ea specificè differunt quæ discrepant origine, structurâ, evolutione, conservatione sui et duratione, nempe operationibus et legibus suis omnibus. Quippe proprietates ac leges diversæ naturam diversam exigunt, ex quâ defluunt. Porrò hisce differentiis inanima corpora discriminantur a vegetabilibus.

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2, a. 3, § 1.

1° *Differunt origine.* Corpora inanima ex diversi generis causarum concursu efficiuntur, viventia autem nascuntur ex viventibus ejusdem speciei, ope generationis.

2° *Structurâ.* Corpora viventia organis instruuntur, partibus nimirum *dissimilibus*, arte mirâ concinnatis et ad *varia* munera idoneis; unde formantur ex *cellulis et textilibus* diversâ ratione dispositis, prout fert organismi necessitas. — Inanima autem in singulis suis partibus unam texturam habent, et eorum particulae vel disponuntur per meram alterius ad alteram appositionem, vel crystallinis formis copulantur.

3° *Evolutione.* Viventium *sensim* augetur moles ope nutritionis, quatenus alimenta suscipiunt vertuntque vi propria in suam substantiam; sicque *jacturas* suas resarciunt. — Sed inanima corpora non nisi per *additionem*, ut ita dicam, *externam*, augmentum capiunt, quin spontaneo ullo motu alias res ad substantiam suam attrahant, nedum in propriam formam immutent. Nec, exceptis solis crystallis, jacturas suas restaurant; crystalli verò eas restaurant *mechanicè*, sine ullâ evolutione.

4° *Duratione.* Viventia determinatâ et brevi duratione polent seque vivendo *consumunt*, donec ipsâ naturâ eorum vis deficiat; inanimis verò non ita ex naturâ præfinitur duratio; ac potius *abruptuntur extrinsecâ* vi, quàm *intus* dissolvuntur.

Quare plantis competunt phænomena *propria* quæ mineralibus omnino deficiunt; et inter ea quæ *communis* habent, pleraque exerunt *diversâ* ratione.

5° Ipsâ teste experientiâ (et hoc quidem *summi* est momenti) physicae et chimicae vires in plantâ *subduntur* superiori causæ, quæ iis nonnunquam *resistit*, et eas semper *regit*, et eis velut *instrumentis* utitur.

6° *Confirmatur* quia, eadem oppositâ viventium et non viventium naturâ, possent chimici opportunâ physicarum et chimicarum virium combinatione, vivens corpus aliquod efficere; quod sibi haud licere ipsi libenter confitentur (1).

(1) Arte chimicâ produci quidem possunt ex carbonio, hydrogenio et

113. PROP. 2° : *Principium vitale a materiâ etiam organicâ pullulare nequit* (1).

PROB. 1° *Ex naturâ materiæ.* Consentientibus *organicistis*, materia non vivit quatenus materia, sed quatenus *talis* materia. Atqui materia non est talis per seipsam, sed per aliud principium a quo determinatur, cum ex se communis sit, passiva, indifferens ad quodlibet genus essentia, et quaslibet formas successivè capiat. Ergo materia fit organica vi *alieni* principii, et organismus est *effectus* virtutis vitalis, nedum sit *ejus causa*.

Confirmatur, quia *functio* præcedit organum ipsumque format, ut ait Milne Edwards; sic, v. g. globuli sanguinei apparent ac fluere incipiunt in fœtu longè ante cordis et vasculorum ortum.

2° *Ex identitate principii vitalis.* Quippe *scientificè* constat cujuslibet organici corporis partes in dies mutari, aliasque aliarum loco succedere, eadem remanente interim corporis formâ aut specie. Ergo materiæ organicae inest principium quoddam actuosum et *superius*, quod ab ipsâ non tantum non *emergit*, sed ei suam formam imprimit, servat identitatem corporis, licet agitati perpetuo motu, et partes denuo accedentes vi suâ pervadit convertitque in suam speciem.

3° *Ex positione organicismi.* Vel enim organorum compositio efficitur a *communibus* materiæ viribus, certis positis circumstantiis, et recurrit *mechanicismus* ac favetur *materialismo*; vel oritur a vi quadam *speciali*, a viribus physico-chimicis distinctâ, et obtinet *animismus*.

ARTICULUS V

De unitate principii vitalis plantarum.

114. Physiologi quidam recentes asserunt multiplex esse

oxygenio *composita* quæ vocantur carbura hydrogenii, acidum formicum et alia; sed ista composita improprie vocantur substantiæ organicae, cum nec nutriri, nec crescere, nec a fortiori generare queant.

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1° part., c. 2, a. 3, § 2.

principium vitale, imò cuique organo propriam vitam inesse.

115. Assertio : *In plantâ unicum est vitale principium (1).*
Si obscurior, quanquam certa, in corporibus inanimis unitas invenitur, at in cunctis viventibus *perspicua* et aperta.

Nam 1^o unitas principii vitalis, ex *unitate organismi et ordinatione diversarum ejus functionum ad unum finem directè colligitur*. Enimverò eajuslibet corporis organici partes, etsi plures ac variæ, ita inter se cohærent et colligantur, ut aliæ aliis *continuari* aut *explicari* videantur, sitque organismus unus ex organis diversis. — Item, licet diversis organis proprium munus propriaque insit operatio, tamen ad unum eundemque finem, nempe ad conservationem et evolutionem viventis, consensu miro conspirant. Res in *nutritione* præsertim declaratur. Quippe functio ista varia est et complexa; unde plures ad eam operationes *inter se ordinatæ* concurrant oportet, quibus alimenta sensim immutentur, digerantur, atque aliis rejectis, convertantur alia in ipsam viventis substantiam. Ista porro explicari non possunt, nisi sit vis quædam *una* et *superior*, quæ cæteras vires in diversis organismi partibus pro modo suo agentes, imperio suo regat atque ad unum finem inflectat.

2^o Unitas principii vitalis ex plantæ *origine, evolutione et exitu* colligitur. Organismus enim *totus* oritur ex *unâ cellulâ primitivâ*, quæ seipsam sensim *dividendo*, cunctas general cellulas secundarias. Organismus sub germinis influxu evolvitur ac totus simul interit cum variis suis elementis. Porro variæ cellulæ vel elementa non simul interirent, si unicuique foret vitale principium proprium ac distinctum.

116. Corollarium. Immeritò physiologi quidam contendunt naturam principii vitalis nobis *ignotam* esse. Sanè non cadit sub experientiæ apperceptionem, sed ope phænomenorum vitalium colligitur ratiocinio. Quare *describi potest principium quoddam simplex, unum, spontaneâ vi præditum, substantiale, sed incompletum in lineâ substantiæ, et alligatum organis, ex quo vivens speciem, unitatem viresque suas*

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2, a. 3, § 3.

omnes recipit et exercet. Non igitur solius vitæ, verùm etiam physicarum et chemicarum virium principium est; ut enim in Anthropologiâ (n. 213) explicuimus, forma *superior* inferiorum formarum vires ac proprietates *eminenter* continet, et facit *per unum* quod inferiores formæ faciunt *per diversa*.

CAPUT III

DE ANIMANTIBUS

Quatuor de animantibus inquirere præstat, nimirum : 1^o quanam sint eorum operationes? 2^o quæ animæ illorum natura? 3^o quæ origo? et 4^o quis exitus?

ARTICULUS I

De operationibus et potentiis animantium.

117. Errores. In duplicem oppositum errorem impegerunt philosophi, quantum ad operationes ac facultates animantium attinet. Alii enim, ne animam spiritualement eis attribuerent, ea ne sensibus quidem frui, nec nisi *automata* esse, decreverunt; ita Cartesius, Malebranchius et patet eorum sectatores. — Alii autem, quia brutis inesse animadvertent operationes nonnullas rationis umbram referentes, opinati sunt ea *ratione ipsâ* instrui, nec nisi *gradu* ab homine differre; ita Montaigne, sensualistæ omnes et multi excultores scientiarum vulgò naturalium.

118. Assertio : *Animantibus insunt potentiæ omnes cum vegetativæ, tum sensitivæ, non autem spirituales.*

PARS 1^a probatione non eget, quia patet animantia nutritionis, augmenti, ac generationis vi pollere.

principium vitale, imò cuique organo propriam vitam inesse.

115. Assertio : *In plantâ unicum est vitale principium* (1).
Si *obscurior*, quanquam certa, in corporibus inanimis *unitas* invenitur, at in cunctis viventibus *perspicua* et *aperta*.

Nam 1^o *unitas principii vitalis, ex unitate organismi et ordinatione diversarum ejus functionum ad unum finem directè colligitur*. Enimverò eajuslibet corporis organici partes, etsi plures ac variæ, ita inter se *cohærent* et *colligantur*, ut aliæ aliis *continuari* aut *explicari* videantur, sitque *organismus unus ex organis diversis*. — Item, licet diversis organis *proprium munus propriaque insit operatio*, tamen ad unum eundemque finem, nempe ad *conservationem et evolutionem viventis*, consensu *miro conspirant*. Res in *nutritione præsertim declaratur*. Quippe *functio ista varia est et complexa*; unde plures ad eam operationes *inter se ordinatæ* concurrant oportet, quibus *alimenta sensim immutentur, digerantur, atque aliis rejectis, convertantur alia in ipsam viventis substantiam*. Ista porro *explicari non possunt, nisi sit vis quædam una et superior, quæ cæteras vires in diversis organismi partibus pro modo suo agentes, imperio suo regat atque ad unum finem inflectat*.

2^o *Unitas principii vitalis ex plantæ origine, evolutione et exitu colligitur*. Organismus enim *totus oritur ex unâ cellulâ primitivâ*, quæ seipsam *sensim dividendo*, cunctas general *cellulas secundarias*. Organismus sub *germinis influxu* *evoluitur ac totus simul interit cum variis suis elementis*. Porro *variæ cellulæ vel elementa non simul interirent, si unicuique foret vitale principium proprium ac distinctum*.

116. Corollarium. Immeritò *physiologi quidam contendunt naturam principii vitalis nobis ignotam esse*. Sanè non *cadit sub experientiæ apperceptionem, sed ope phænomenorum vitalium colligitur ratiocinio*. Quare *desiniri potest principium quoddam simplex, unum, spontaneâ vi præditum, substantiale, sed incompletum in lineâ substantiæ, et alligatum organis, ex quo vivens speciem, unitatem viresque suas*

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2, a. 3, § 3.

omnes recipit et exercet. Non igitur solius vitæ, verùm etiam *physicarum et chemicarum virium principium est*; ut enim in *Anthropologiâ* (n. 213) *explicuimus, forma superior inferiorum formarum vires ac proprietates eminenter continet, et facit per unum quod inferiores formæ faciunt per diversa*.

CAPUT III

DE ANIMANTIBUS

Quatuor de animantibus inquirere præstat, nimirum : 1^o *quænam sint eorum operationes?* 2^o *quæ animæ illorum natura?* 3^o *quæ origo?* et 4^o *quis exitus?*

ARTICULUS I

De operationibus et potentiis animantium.

117. Errores. In duplicem oppositum errorem *impegerunt philosophi, quantum ad operationes ac facultates animantium attinet*. Alii enim, ne animam spiritualement eis *attribuerent, ea ne sensibus quidem frui, nec nisi automata esse, decreverunt*; ita *Cartesius, Malebranchius et patet eorum sectatores*. — Alii autem, quia *brutis inesse animadvertent operationes nonnullas rationis umbram referentes, opinati sunt ea ratione ipsâ instrui, nec nisi gradu ab homine differre*; ita *Montaigne, sensualistæ omnes et multi excultores scientiarum vulgò naturalium*.

118. Assertio : *Animantibus insunt potentiæ omnes cum vegetativæ, tum sensitivæ, non autem spirituales.*

PARS 1^a probatione non eget, quia patet animantia nutritionis, augmenti, ac generationis vi pollere.

PROB. 2^a PARS. 1^o Animalia habent organa ad varias sensationes idonea. Vel igitur organa ista sine vacant, vel sunt ad sensationes exercendas deputata. — 2^o Animalia, demonstrant se sentire: quippe saltem perfectiora, ea faciunt quæ non tantum ad sensus externos pertinent, sed etiam quæcumque ad sensus internos, ad appetitum sensitivum et motum localem referuntur. Nam præteritorum recordantur, imagines rerum perceptarum servant (1), utilia secernunt a noxiis, variis afficiuntur passionibus, sese non automati ritu sed spontaneè movent, huc illuc pro libitu currunt, ac variis ex causis nunc properant, nunc gressum retinent, nunc inflectunt in alia itinera. Quapropter, vel ipsis hominibus neganda est sentiendi vis, vel animalibus quoque attribuenda (Cf. S. Th., 1^a, q. 78, a. 4, c).

PROB. 3^a PARS, nempe animantibus neque intellectum, neque voluntatem, ne in infimo quidem gradu, inesse. Etenim intellectus, ut apud homines etiam rudes se prodit, ideis quibusdam generalibus, immaterialibus, et ope loquelæ exterius erumpit; voluntas autem se declarat libertate; quæ ubi adsunt, adest etiam eximia varietas inter actiones et modos agendi, adest vel progressus ad meliora, vel ad pejora regressus. Porro nil horum, ne in minimo quidem gradu, apud animalia reperias, quæ nihil apprehendunt nisi singulare et sensile, semper in eodem statu permanent, uno eodemque modo operantur. Ut monet Angelicus « omnis aranea facit similiter telam; quod non esset si ex seipsis per artem operantes sua opera disponerent; et propter hoc non

(1) Quinimo sunt in animalibus quædam associationes imaginum, quæ certos motus determinare solent, quatenus unâ imagine suscitata, motus ei respondens statim sequitur, vel contra impeditur; v. g. ex imagine leporis quam ejus odor suscitare potest, canis venatorius sponte iter arripit ad persequendum leporem; e contra si verberaveris canem gulosum, ac postea illi ad capiendum cibum vetitum paratò baculum minitans exhiberis, abstinebit a cibo, imagine pristinæ verberationis deterritus. Porro in his casibus, ut clarè notat D. Thomas « animalia moventur ad finem, non quasi considerantia quod per suum motum possint consequi finem, sed quasi concupiscentia finem naturali instinctu moventur ad finem, quasi ab alio motu, sicut et cætera quæ moventur naturaliter. » (1^a 2^a, q. XII, a. 5, ad 3, q. VI, a. 2, c; a. XV, a. 2, c et ad 2).

est in eis liberum arbitrium. » (II Sent. Dist. 25, q. 1, a. 2, ad 7).

119. *Discrimen essentielle viget inter instinctum aut sensum æstimatorium et rationem, ut hæc apud homines vel maximè rudes invenitur.*

Nam 1^o instinctus spectat semper ad objectum sensile, apprehensum ut delectabile vel utile, ratio verò spectat ad immateriale, et res apprehendit sub notione pulchri, vel honesti, quæ nihil commodi afferunt, imo utilitati adversæ possunt esse. — 2^o Instinctus est particularis, imò, ut dicunt, unilinearis, nec valet nisi pro usu quodam speciali; ratio verò suæque naturâ fertur ad universale, et valet in quolibet ordine cognitionum, et in quibuslibet circumstantiis, et ad omnes artes æquè se potest applicare. — 3^o Instinctus est uniformis pro totâ specie, nec differt pro variis individuis ejusdem speciei; at ratio, etsi apud homines eadem specificè, prope infinitos suscipit gradus pro variis hominibus; — 4^o Instinctus datur completus a naturâ; unde statim a nativitate totum se prodit, nec postea evoluitur aut proficit, quanquam aliquando nonnihil immutari potest ut se aptet novis circumstantiis in quibus animal collocatur; sed etiam tunc non consulit nisi necessitati physicæ; ratio verò in initio est omnibus ideis vacua, et maximè rudis, sed sensim evoluitur ac proficit pro educatione, tempore, experientia. Itaque nullam adhuc artem adinvenerunt animalia, ne ad suam quidem defensionem. Et causa est quòd nullâ gaudent ideâ generali rectricè quæ illis rationes ac relationes rerum aperiat et doceat artem experientiâ utendi. At verò homines etiam rudes ac sylvestres animalibus callidè insidiantur, eaque vincunt, suscitant ignem, faciunt sibi vestimenta, alimenta præparant, fabricant instrumenta diversa, et sagittas quæ non solum tendant ad utilitatem, sed si per tempus liceat, artem præ se ferunt. Quod si verò homines excultiores interrogas, artium scientiarumque progressus numerari non possunt et quotidie augentur.

120. *Corollarium.* Si qua igitur animalia, ut apes, industriam eximiam in operibus quibusdam exhibent, non anima-

lem artem miremur, quippe quæ artem humanam longè superet, sed divinam miremur artem, quæ etiam in creaturis ratione destitutis se præbet sapientissimam (1).

ARTICULUS II

De naturâ animæ belluinae.

Assertio: *Anima belluina, est una, simplex, per se indivisibilis, non autem spiritualis aut subsistens.*

121. *Anima belluina est una, eademque sensitiva simul et vegetativa.*

1° Si corpori omni et plantæ, ut jam probavimus (n. 76, 113), competit unitas, a fortiori animali competere debet, cum ea eò major esse soleat, quò major entis perfectio. Porro animal non esset ens unum, sed multiplex, si animâ duplici, vegetativâ nimirum et sensitivâ, frueretur; nam unitatem suam haurit ex animâ, quæ, utpote ejus forma *substantialis*, ipsum in *specie* suâ collocat.

2° Potentiæ vegetativæ in animali valent ad generandam et augendam substantiam non merè vegetativam, sed sensitivam. Porro hoc non possunt quatenus vegetativæ, sed quatenus vi sensitivâ instructæ. Anima autem sensitiva, quatenus forma superior, continet vires inferiores vitæ vegetativæ.

3° Argumentum *directum* sumitur ex mirâ *connectione* organorum vitæ vegetativæ, et sensitivæ, ex *mutuo influxu* functionum utriusque vitæ, necnon ex certâ earum *dependentiâ*. — Quanquam enim diversa sunt organa ad vegetativas et sensitivas functiones deputata, ita inter se coherent

(1) Ad rem S. Thomas: « Sicut comparantur artificialia ad artem humanam, ita comparantur omnia naturalia ad artem divinam. Ex hoc contingit quòd in operibus brutorum animalium apparent quædam *sagacitates*, in quantum habent inclinationem ad quosdam processus *ordinatissimos*, utpote a *summâ* arte ordinatos. Et propter hoc etiam quædam animalia dicuntur *sagacia* et *prudencia*, non quòd in eis sit aliqua ratio vel electio; quod ex hoc apparet quia omnia quæ sunt unius nature, similiter operantur. » (1^a 2^m, q. 13, a. 2, ad 3; *Qq. dispp. de Verit.*, q. 18, a. 7, ad 7, et q. 24, a. 1, c).

ut organismum unum efficiant. — Præterea, ut vegetativæ in sensitivas, ita etiam sensitivæ in vegetativas operationes plurimum influunt, atque adeo aliæ ab aliis pendent, ut, soluto per mortem sensationis principio, ipsæ vegetativæ operationes deficient. Sed hæc aliaque id genus explicari minimè possent, si altera esset anima quâ animal vivit, altera autem quâ sentit.

122. II. *Anima belluina est simplex seu partium expers.*

1° Si enim, ut constat ex probatis (n. 113), principium vitæ, imò quælibet forma substantialis est simplex, a fortiori principium vitæ sensitivæ, quod longè nobilius est. — 2° In Anthropologiâ (n. 41), demonstravimus subjectum sensationis non esse corpus solum, sed corpus informatum animâ, quæ est principium vitæ sensitivæ.

123. III. *Anima belluina per se indivisibilis est, licet corporis divisione multiplicari queat.*

Probatur quia per se dividi nequit quod non habet partes; divisio enim accidit quantitati. Porro, ex dictis, anima belluina non habet partes, sed simplicitate fruitur.

124. At non pauci philosophi putant animam brutorum *imperfectorum per accidens* dividi posse, propterea quòd divisibili ratione informat corpus. Cùm enim bruta infima paucissimas operationes habeant, et paucioribus organis instruuntur, parvam organorum diversitatem ad suas operationes exercendas exigunt. Ergo dividi possunt quædam eorum partes, uti fit in plantis, simulque actionem suam, ac proinde animam servare. Hinc est cur divisæ vermiculi partes æquè vivant ac sentiant.

Porro quamvis ista explicatio nihil absurdi præ se ferat, non facilè tamen concipitur quomodo, etiam per accidens, principium simplex dividi possit. Unde verius diceretur, *divisione corporis non dividi, sed multiplicari* animam belluinam; scilicet, peractâ divisione partium, priorem animam in aliquâ parte remanere, in aliis autem, utpote ad animam suscipiendam idoneis, novas animas subitò *generari*.

125. Nec dicatur, ut recentibus nonnullis placuit, ante partium divisionem, *plures* animas animali *actu* inesse; alio-

quin non unum, sed multiplex foret animal. Non igitur *actu* multiplex est anima, sed *potentiâ* tantum, et partium divisione fit actu multiplex (1).

126. *Explicatur quædam translatio.* Quosdam hoc movet quòd pars aliqua *imperfecti* animalis *decidi* ab eo potest, ac vel in aliâ ejusdem animalis parte, vel in alterius animalis corpore *inseri* ac vivere. Id autem non ægrè explicatur: pars enim *decisa*, vel adhuc vitam manifestam exhibet, vel non. *Si prius*, statim atque in alius animalis corpore inseritur, ab eo jam vitæ influentiam recipit. *Si posterius*, quum brevi tempore a suo corpore *decisa* sit, vitam non *extinctam*, sed *sopitam* servavit, quæ rursus confoveri potest, animati corporis haustâ iterum adspiratione.

127. *Explicatur vita latens.* Simili fere modo explicare licet phænomenon illud recens observatum in *infirmis* quibusdam animalibus, quæ posita extra conditiones vitæ idoneas nullum vitæ signum præ se ferebant ac mortua habebantur; sed posita iterum in conditionibus debitis, vitam rursus exhibuere. Itaque horum vita non *extincta* erat, sed *latens* veluti *somno* tenebatur; et effloruit iterum, mutatis conditionibus in quibus *posita* erat, quin asserere oporteat vitam ex ipsâ materiæ vi ortam esse (2).

128. *Animantium perfectiorum anima nullo pacto dividi aut multiplicari valet.* Quippe cum plures operationes habeant, diversa organa exigunt, quæ alia sine aliis operari non valent. Quocirca, si organa quædam a suo corpore separentur, ne suas quidem proprias functiones exercere queunt, ac proinde vitam amittant necesse est. — Quin etiam, si ab animalis corpore majores quædam partes subtrahantur, ipsum interit, vitæque omnes *decisas* partes æque deficit.

129. IV. *Anima belluina non est spiritualis aut subsistens.* Quorum operationes non sunt spirituales, nec spiritualis

(1) « In animalibus quæ *decisa* vivunt, ait D. Thomas, est una anima in actu, et multæ in potentiâ; per decisionem autem reducuntur in actum multitudinis, sicut contingit in omnibus formis quæ habent extensionem in materiâ. » (*Qq. disp. de spiritual. creat.*, a. 4, c.).

(2) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, p. 45 et ss.

est natura; siquidem operatio ex naturâ rei promanat, nec proinde alia esse potest ac natura ipsa. Porrò ex probatis (n. 118), animæ belluinæ nullæ sunt operationes spirituales, cum nihil agat nisi mediantibus organis.

130. *Corollaria.* Hinc 1° sequitur errare Balmès et Tongiorgi, ubi asserunt animam belluinam esse *substantiam*; si enim nullas proprias operationes habet, est tantum principium substantiale, sive substantia *incompleta* tum in ordine speciei, tum in ordine substantialitatis. Non ergo subsistit anima belluina, sed animal, ex animâ et corpore compositum.

Hinc 2° anima brutorum *materialis* (1) forma jure nuncupatur, non quòd ex partibus constet, sed quòd a materiâ pendeat inter agendum et essendum, sitque materiæ omnino alligata.

Attamen minus ad materiam deprimitur quam vel mineralium, vel plantarum forma, sed ad immaterialitatem proximè accedit; quippe forma mineralium aut plantarum *clausa est in seipsâ*, et nihil habet nisi propriam formam; at anima belluina communicat cum rebus *externis* appetitu ac motu; quin etiam ope sensationis quâ pollet, sic apprehendit res externas materiales, ut earum in se formas recipiat, quanquam singulares et cum materialibus conditionibus. Quare animantia specificè differunt a plantis (2).

ARTICULUS III

De animæ belluinæ origine.

Exponendæ sunt 1° variæ opiniones et 2° vera sententia declarabitur.

§ I. — Exponuntur variæ opiniones de origine animæ belluinæ.

131. Opiniones istæ ad quadruplex genus referuntur. Quidam philosophi, inter quos Wolf et Balmès, asserunt animas omnium animantium a Deo creari. Alii, ut scholastici

(1) Materiale dicitur a materiâ, sive ab eâ oriatur, sive ad eam pertineat, sive ab eâ pendeat inter agendum.

(2) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1° part., c. 3, a. 1.

veteres, putaverunt *minora* quædam animalia, quæ non videbantur a parentibus procreari, ex corruptione materiæ inorganicæ oriri sub influxu virtutis astrorum, maximè solis, cui *generalem* vim, in producendis rebus physicis terrestribus, attribuebant (S. Th., 1^a q. 71, a. 1, ad 1, et in VII *Metaph.*, lect. 8). At juxta eos, ea vis a Deo ipso in materiâ inseminata fuerat, loco seminis. — Quod systema nomen accepit *generationis spontaneæ*, cum recentiores ejus professores docuerunt animalia *minora* ex ipsis materiæ inorganicæ viribus *sponte* oriri, et *commune* fuit usque ad nostra tempora.

At materialistæ recentiores evolutionem extenderunt usque ad atheisticum et universalem *transformismum*. Ipsis docentibus, *evolutio est necessaria quædam, cæca et successiva explicatio materiæ, vi cujus transit ex statu inorganico ad statum organicum, imò verò ad vitam sensitivam, et rationalem in homine*. Ita sentiunt Lamarck, Darwin, Hæckel, Buchner, Littré, Spencer, aliique.

Quomodo materia varias rerum species procreare possit, explicat Lamarck ex variis *circumstantiis* et *conditionibus cæternis*, necnon ex *necessitate* et *habitudine*. Nam pro variis circumstantiis variæ necessitates entium enascuntur, quæ varia desideria suscitant; hinc facultates ipsis satiandis generantur et organismus exercitio et habitudine sensim explicatur. Deficiente autem habitudine, organismus ipse paulatim extenuaretur atrophîâ.

Darwin autem, quanquam circumstantiarum influxum non negavit, rem commodius explicari putavit opè quadruplicis principii: 1^o Unumquodque individuum *variabile* est; 2^o Inter varias organismi partes ea existit *correlatio* seu dependentia, ut unius mutationem alius mutatio sequatur; 3^o Qualitates parentibus propriæ natis communicari possunt opè *hereditatis*; 4^o In universâ naturâ alia cum aliis entia *pro vitâ certant*, vincuntur ac pereunt imperfectiora; sicque non supersunt nisi meliora, ex quibus novæ sensim oriuntur animantium species, donec ad ipsum hominem procreandum natura demum veniat.

Demum recentes quidam catholici *moderatæ* cujusdam evolutionis, sub rectione Dei supremâ, vel *possibilitatem*, vel etiam *existentiam* admittunt. Juxta P. Monsabrè, *potuisset* Deus vim vegetativam et sensitivam universalem inseminare in primo quodam organismo *unico*, ex cujus variis evolutionibus varia viventia corporea ortum duxissent; attamen hunc ordinem reipsa Deus non elegit. Quidam verò volunt varias plantarum et animalium species a *paucioribus* plantarum et animalium *generibus primitivis* revera originem ducere; sed hominem, aut saltem animam ejus rationalem, ab istâ evolutione penitus eximunt.

§ II. — Declaratur vera sententia et falsæ refelluntur.

132. Assertio 1^a: *Anima belluina non a Deo creatur, sed generatur a parentibus.*

1^o Qualis est natura cujusque, talis et origo. Nam origo alicujus entis ejus naturæ porportionari debet; et ipsâ experientiâ patet diversam esse rerum originem, pro diversâ singularum naturâ. Unde sic arguimus: Quod a materiâ pendet intrinsecus tum in actionibus suis, tum in naturâ, a materiâ etiam intrinsecus pendere debet in suâ origine. Porrò, ex probatis, anima belluina intrinsecus a materiâ pendet sive in actionibus suis, sive in naturâ. Jam si crearetur, intrinsecus haud penderet a materiâ in suâ origine; nam quæ creantur, a Deo immediatè ortum habent, non adjuvante intrinsecus materiâ (Cf. S. Th., 1^a, q. 118, a. 1).

2^o Terminus creationis, ut supra diximus (n. 14), est substantia per se subsistens, completa saltem in ordine substantialitatis. Atqui anima belluina non est per se subsistens. Ergo sicut non habet esse proprium, ita nec proprium fieri; haberet autem si a Deo crearetur.

PROB. 2^o PARS, quia parentes, cum corpore et animâ gaudeant, haberi debent ut causa *proxima* et *proportionata* relativè ad animam et corpus animalium.

133. Assertio 2^a: *Rejicienda est evolutio universalis.*

I. *Adversatur rationi*. Nam 1^o docet materiam æternam atque improductam esse, et ordinem hunc præclarum quo mun-

us decoratur, ex fato vel cæcâ materiæ necessitate explicat, quia nullam in initio rerum intelligentiam admittit, quæ illarum evolutionem dirigat. Sed hæc duo suprâ jam satis refutavimus (n. 19). — 2° Contendit vel diversa entia hujus mundi nonnisi accidentaliter differre, vel diversas rerum essentias in invicem mutari. Atqui duo hæc in Ontologiâ (n. 39, 74), jam repudiavimus, ubi ostendimus eas ab invicem specificè discrepare, indivisibilibus ac necessariis elementis constitui, ideoque immutabiles esse.

Res in apertò est, quantum attinet ad transformationem *sensus in intellectum*; siquidem potentiæ organicæ, quia pendent intrinsecus a materiâ, converti minimè queunt in spirituales, a materiâ non pendent, quatenus inter agendum nullo utuntur organo (Cf. *Anthrop.*, n. 107).

Idem quoque dicendum est de conversione *materiæ inorganicæ in viventem*, et *viventis in sensitivam*. Enimvero, quanquam istæ omnes per corpus exercent operationes suas, tamen physica operatio non minùs discrepat ab operatione vegetativâ, et operatio vegetativa non minùs aliena est a sensatione, quàm sensatio a cogitatione. Sunt quippe non *gradûs*, sed *ordinis* diversi, et notas habent omnino diversas ac diversam naturam. Ut ergo sensatio nihil continet cogitationis, ita operatio vegetativa nihil sensationis, et operatio physico-chimica nihil operationis vegetativæ. Ergo tam repugnat alias ab aliis oriri, quàm ens oriri a nihilo.

3° *Inani fundamento* nititur ingens illa vis transformationis quæ tribuitur *circumstantiis* et *externis conditionibus*. Quippe conditiones externæ in quibus ens aliquod versatur, non possunt in eo suscitare necessitates aut desideria ad quæ non proportionatur, quæque ideo illius exigentias transcendunt. E. g. in quibuslibet circumstantiis vel adjunctis lapis versetur, vita ei minùs necessaria est, ac proinde nequit illam desiderare; idemque dicendum est de plantâ relativè ad vitam sensitivam, de animali relativè ad vitam intellectualem. Præterea desideria non satis sunt ad *generandas* facultates.

Sanè, ex variis adjunctis vel circumstantiis augeri vel mi-

nui possunt *quædam* necessitates, et enasci *nova* desideria; sed hæc semper præsupponunt in ente *internam* aliquam ad eas necessitates vel ad ea desideria *dispositionem*; alioqui forent omnino extra illius conditionem, et proin extra illius appetitum (1). Imò ipsa testis est *experientia* multa viventia specie dissimilia in iisdem conditionibus externis versari, et vicissim, multa quæ similia sunt, in conditionibus externis diversis permanere.

4° Usus organum supponit, nedum procreet; defectus autem exercitationis organum quidem reddit languidum, sed minimè extinguit.

134. II. *Generatio spontanea et transformismus adversantur experientiæ*. Nam 1° Redi, Van Beneden, Flourens et præsertim Pasteur, certioribus institutis observationibus, probaverunt animalia vel *minima*, quorum tandem originem introspicere licuit, a certis parentibus, perinde ac alia, nativitatem ducere, et *nullum* prorsus exemplum generationis spontaneæ occurrere. Quocirca merito diceretur spontaneæ generationis opinionem non alio innixam fuisse fundamento, præter ignorantiam originis quorundam animalium. Unde quorum generatio latebat, spontanea credita est.

2° Item specierum *transformationi* adversatur experientia. Nam quæ apud Job et Virgilium de naturâ vel moribus equi speciatim describuntur, alia non sunt his quæ nobis hodie dum explorare licet. Item, quæ diebus nostris de animalium naturâ et speciebus videmus, in universum quadrant cum descriptione quam tangit Aristoteles in tractatu *de Animalium historiâ*. Ut merito notat de Quatrefarges, *ubique* in naturâ occurrit *variatio*, *nusquam transmutatio*; quare in pa-

(1) « Inest unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse; quod non conservaretur si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res quæ est in inferiori gradu naturæ, potest appetere superioris naturæ gradum; sicut asinus non appetit esse equus; quia si transferretur in gradum superioris naturæ, jam ipsa non esset. Sed in hoc imaginatio decipitur; quia enim homo appetit esse in altiori gradu, quantum ad aliqua *accidentalitæ*, quæ possunt crescere absque corruptione subjecti, aestimatur quod possit appetere altiore gradum naturæ, in quem pervenire non posset, nisi esse desineret. » (1^a, q. 63, a. 3, c.)

ralogismum incidunt adversarii, cùm ex priore posteriorem inferunt.

3^o *Confirmatur*, quia quæ *recens* arte multâ tentata fuerunt de variis speciebus *commiscendis*, contra specierum variabilitatem faciunt. Vel enim novæ generationes haberi non possunt, vel habitæ non perseverant, sed post unam vel alteram generationem extinguuntur. — Itaque *artificialis* illa, ut aiunt, *selectio*, facit aliquas *varietates*, seu leves admodum modificationes, non autem *species*, imò nulla generat nova organa. Porrò si homo, licet multo *potentior naturâ* ad varietates novas inducendas in rebus, nullam tamen ex varietatibus a se procreatis novam speciem generare potuit, idem a fortiori a naturâ effici non posse tenendum est.

135. Assertio 3^a: *Rejicienda videtur opinio evolutionis temperatæ.*

Nam 1^o sive universalis vita vegetativa et sensitiva educi velit ab organismo quodam unico, sive variæ plantarum et animalium species a paucioribus generibus primitivis educantur, majus a minori, determinatum ab indeterminato, speciale a generico extrahi videbitur. Species enim vere distinctæ ab invicem non *accidentaliter*, ut *varietates*, sed *essentialiter* differunt, constant attributis diversis, et aliæ in aliis non continentur.

2^o Ad *factum* quod spectat, evolutioni, etiam temperatæ adversatur experientia; siquidem, ex dictis, in naturâ quidem *variatio*, at nulla speciei *transmutatio* occurrit.

3^o Accedit quòd opinio ista Scripturæ sacræ minus consentanea videtur. Hæc enim, ubi originem plantarum et animalium refert, pluries declarat varias species plantarum animaliumque a Deo ipso creatas fuisse « juxta genus suum » — « unumquodque sementem secundum speciem suam » — « jumenta et omne reptile in genere suo » (*Genes. v. 11-25*). Quæ verba, si obvio sensu accipiantur, varias species alias ab aliis independentes et omnes immotas esse declarare videntur (1).

(1) Transformismo vel variabilitati specierum, adversa est D. Thomæ

Attamen libenter concederemus classificationes specierum plantarum et animalium a physiologis quibusdam recentibus nimis forte multiplicatas fuisse, nec omnes quas admittunt ut distinctas esse *irreductibiles*.

ARTICULUS IV

De animæ belluinæ exitu.

136. Opiniones. Recentes quidam philosophi opinantur animam belluinam, soluto corpore annihilari; alii, inter quos Balmès (*Philos. fundament.*, t. 1, l. 2, c. 2), dubitant annihilaturne, an e suo corpore migrans, alteri materiæ uniatur in usus diversos.

137. Assertio: *Anima belluina, soluto corpore, non remanet, nec in aliud corpus migrat, nec propriè annihilatur, sed interit, quatenus deficit per accidens.*

PROB. 1^a PARS. Quod non habet nec *operari*, nec *esse proprium*, sed ab altero pendet inter agendum et essendum, eo corrupto superesse nequit. Porrò anima belluina, ex probatis (n. 118, 130) nec operari nec esse proprium habet, sed tum in substantiâ, tum in operationibus suis omnibus pendet a materiâ. (Cf. S. Th., 1^a, q. 75, a. 3) (1). Dissolutio igitur corporis cui copulatur trahit necessario ipsius necem.

philosophia. « Illud secundum quòd aliquid sortitur speciem, oportet esse *fixum et stans*, et quasi *indivisibile*. Quæcumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur; quæcumque autem recedunt ab illo vel in plus, vel in minus, pertinent ad *aliam* speciem, vel perfectiorem, vel imperfectiorem. Unde Philosophus dicit (*Metaph.*, viii) quòd species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem. » (1^a 2^æ, q. 52, a. 1, c.) — « Secundum hanc positionem sequeretur quòd aliqua virtus, eadem numero, nunc esset anima vegetabilis tantum, et postmodum anima sensitiva, et sic ipsa forma substantialis continuè magis ac magis perliceretur, et ulterius, quòd non simul, sed successivè educeretur forma substantialis de potentiâ in actum; et ulterius, quòd generatio esset motus *continuus*, sicut et alteratio; *quæ omnia sunt impossibilia in naturâ.* » (S. Cont. Gent., l. II, c. 89).

(1) « Tres vitales spiritus creavit Deus: unum, qui carne non tegitur; alium, qui carne tegitur, sed non cum carne moritur; tertium, qui carne tegitur et cum carne moritur, jumentorum omniumque brutorum animalium. » (S. Gregorius, *Dialog.*, l. 4, c. 3).

ralogismum incidunt adversarii, cum ex priore posteriorem inferunt.

3^o Confirmatur, quia quæ recens arte multâ tentata fuerunt de variis speciebus commiscendis, contra specierum variabilitatem faciunt. Vel enim novæ generationes haberi non possunt, vel habitæ non perseverant, sed post unam vel alteram generationem extinguuntur. — Itaque artificialis illa, ut aiunt, selectio, facit aliquas varietates, seu leves admodum modificationes, non autem species, imò nulla generat nova organa. Porro si homo, licet multo potentior naturâ ad varietates novas inducendas in rebus, nullam tamen ex varietatibus a se procreatis novam speciem generare potuit, idem a fortiori a naturâ effici non posse tenendum est.

135. Assertio 3^a : *Rejicienda videtur opinio evolutionis temperatæ.*

Nam 1^o siye universalis vita vegetativa et sensitiva educi velit ab organismo quodam unico, siye variæ plantarum et animalium species a paucioribus generibus primitivis educantur, majus a minori, determinatum ab indeterminato, speciale a generico extrahi videbitur. Species enim vere distinctæ ab invicem non accidentaliter, ut varietates, sed essentialiter differunt, constant attributis diversis, et aliæ in aliis non continentur.

2^o Ad factum quod spectat, evolutioni, etiam temperatæ adversatur experientia; siquidem, ex dictis, in naturâ quidem variatio, at nulla speciei transmutatio occurrit.

3^o Accedit quod opinio ista Scripturæ sacræ minus consentanea videtur. Hæc enim, ubi originem plantarum et animalium refert, pluries declarat varias species plantarum animaliumque a Deo ipso creatas fuisse « juxta genus suum » — « unumquodque sementem secundum speciem suam » — « jumenta et omne reptile in genere suo » (*Genes. v. 11-25*). Quæ verba, si obvio sensu accipiantur, varias species alias ab aliis independentes et omnes immotas esse declarare videntur (1).

(1) Transformismo vel variabilitati specierum, adversa est D. Thomæ

Attamen libenter concederemus classificationes specierum plantarum et animalium a physiologis quibusdam recentibus nimis forte multiplicatas fuisse, nec omnes quas admittunt ut distinctas esse irreductibiles.

ARTICULUS IV

De animæ belluinæ exitu.

136. Opiniones. Recentes quidam philosophi opinantur animam belluinam, soluto corpore annihilari; alii, inter quos Balmès (*Philos. fundament.*, t. 1, l. 2, c. 2), dubitant annihilaturne, an e suo corpore migrans, alteri materiæ uniatur in usus diversos.

137. Assertio : *Anima belluina, soluto corpore, non remanet, nec in aliud corpus migrat, nec propriè annihilatur, sed interit, quatenus deficit per accidens.*

PROB. 1^a PARS. Quod non habet nec operari, nec esse proprium, sed ab altero pendet inter agendum et essendum, eo corrupto superesse nequit. Porro anima belluina, ex probatis (n. 118, 130) nec operari nec esse proprium habet, sed tum in substantiâ, tum in operationibus suis omnibus pendet a materiâ. (Cf. S. Th., 1^a, q. 75, a. 3) (1). Dissolutio igitur corporis cui copulatur trahit necessario ipsius necem.

philosophia. « Illud secundum quod aliquid sortitur speciem, oportet esse fixum et stans, et quasi indivisibile. Quæcumque enim ad illud attingunt, sub specie continentur; quæcumque autem recedunt ab illo vel in plus, vel in minus, pertinent ad aliam speciem, vel perfectiorem, vel imperfectiorem. Unde Philosophus dicit (*Metaph.*, viii) quod species rerum sunt sicut numeri, in quibus additio vel diminutio variat speciem. » (1^a 2^æ, q. 52, a. 1, c.) — « Secundum hanc positionem sequeretur quod aliqua virtus, eadem numero, nunc esset anima vegetabilis tantum, et postmodum anima sensitiva, et sic ipsa forma substantialis continuè magis ac magis perliceretur, et ulterius, quod non simul, sed successivè educeretur forma substantialis de potentiâ in actum; et ulterius, quod generatio esset motus continuus, sicut et alteratio; quæ omnia sunt impossibilia in naturâ. » (S. Cont. Gent., l. II, c. 89).

(1) « Tres vitales spiritus creavit Deus: unum, qui carne non tegitur; alium, qui carne tegitur, sed non cum carne moritur; tertium, qui carne tegitur et cum carne moritur, jumentorum omniumque brutorum animalium. » (S. Gregorius, *Dialog.*, l. 4, c. 3).

PROB. 2^a PARS, quia quæcumque forma ita ex proprio corpore individuatur, ut uniri non possit alteri, etiam specie simili; unde *a fortiori*, copulari nequit materiæ inferioris conditionis, quum materiæ forma proportionata esse debeat. — Cæterum, in hac hypothesi, anima belluina, brevissimo saltem tempore, deberet habere propriam subsistentiam, scilicet eo momento quo ex suo corpore in aliud migraret. Quum verò propria subsistentiâ destituatur, ne brevissimo quidem instanti per se ipsam subsistere potest.

PROB. 3^a PARS, eo quod annihilatio creationi respondet. Porro, ut supra ostendimus (n. 12), non adest creatio, nisi substantia quædam propriam subsistentiam habens, secundum *totalitatem* sui producatur. Ergo nec adest annihilatio, nisi substantia propriam subsistentiam habens, secundum *totalitatem* sui intereat. Sed, ex unâ parte, anima belluina, ex dictis, propriâ subsistentiâ haud pollet; et ex alterâ parte, non annihilatur *compositum* cujus pars fuit, sed, eo soluto, aliud generatur, et remanenti materiæ nova unitur forma.

PROB. 4^a PARS, quia anima belluina non perimitur dissolutione partium, cum neque partes, neque elementa habeat quæ possint ab eâ divelli, sed in tantum deficit, inquantum corpus ejus, corruptioni naturâ subjectum, ineptum fit ad illius operationes. Sic v. g. figura vasis non per se rumpitur, sed vas ipsum; at rumpitur per accidens, rupto vase.

CAPUT IV

DE COLLIGATIONE DIVERSORUM MUNDI ENTIIUM (1)

138. *Prænotanda circa varia rerum genera.* Hactenus de mundanis rebus diversis, quatenus *diversis et inæqualibus*, disputavimus. — Eas porro, si tum visibiles, tum invis-

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^e part., c. 2, § 1 et 3.

biles spectentur, quintuplicis generis esse dilucidè demonstrat D. Thomas: « Distributio divinæ virtutis propter « sui infinitatem procedit ad omnia existentia, et nullum est « existens quod non habeat aliquam virtutem. Sed oportet « quod habeat aut virtutem *intellectualem*, sicut Angeli, aut « *rationalem*, sicut homines, aut *sensibilem*, sicut animalia, « aut *vivificam*, sicut plantæ, aut *substantialem*, sicut alia. » (*Comm. in c. 8 de Div. nomin.*, lect. 1).

Si autem de visibilibus tantum rebus sermo habeatur, quatuor entium gradus inveniuntur, nimirum infimo loco mineralia, quæ duntaxat subsistunt, dein plantæ, quæ subsistunt et vivunt, supra eas animalia, quæ subsistunt, vivunt et sentiunt, et denique homo, qui subsistit, vivit, sentit, intelligit et vult.

At verò alia pulchritudinis lex est ut res variæ ac dissimiles inter se conveniant, ne fortè hiatus occurrat. Igitur quærere est num et quâ ratione res mundanæ secum socientur. — Porro triplici nexu mundana entia inter se colligantur, nimirum tum essentiâ, tum mutuo actionis et passionis commercio, tum *finalitate*, quatenus aliis alia deserviunt. — Quæ sunt fusiùs evolvenda.

ARTICULUS I

De colligatione seu nexu essentialium et formarum.

139. *Opiniones.* Colligatio rerum mundanarum ratione naturæ, aliter a Scholasticis, aliter a nonnullis recentibus philosophis exponitur.

Scholastici volunt entium creatorum species, tametsi diversas, trifariam inter se connecti: 1^o quia *gradatim* ita disponuntur, ut magis similes subsequantur se invicem, magis autem dissimiles per aliquas species *medias* uniantur; 2^o quia *omnes* species in homine quodammodo sociantur; 3^o quia species maximè similes *propius* religantur, quatenus individua perfectiora speciei inferioris penè attingunt ad individua inferiora speciei perfectioris.

PROB. 2^a PARS, quia quæcumque forma ita ex proprio corpore individuatur, ut uniri non possit alteri, etiam specie simili; unde *a fortiori*, copulari nequit materiæ inferioris conditionis, quum materiæ forma proportionata esse debeat. — Cæterum, in hac hypothesi, anima belluina, brevissimo saltem tempore, deberet habere propriam subsistentiam, scilicet eo momento quo ex suo corpore in aliud migraret. Quum verò propria subsistentiâ destituatur, ne brevissimo quidem instanti per se ipsam subsistere potest.

PROB. 3^a PARS, eo quòd annihilatio creationi respondet. Porro, ut supra ostendimus (n. 12), non adest creatio, nisi substantia quædam propriam subsistentiam habens, secundum *totalitatem* sui producatur. Ergo nec adest annihilatio, nisi substantia propriam subsistentiam habens, secundum *totalitatem* sui intereat. Sed, ex unâ parte, anima belluina, ex dictis, propriâ subsistentiâ haud pollet; et ex alterâ parte, non annihilatur *compositum* cujus pars fuit, sed, eo soluto, aliud generatur, et remanenti materiæ nova unitur forma.

PROB. 4^a PARS, quia anima belluina non perimitur dissolutione partium, cum neque partes, neque elementa habeat quæ possint ab eâ divelli, sed in tantum deficit, inquantum corpus ejus, corruptioni naturâ subjectum, ineptum fit ad illius operationes. Sic v. g. figura vasis non per se rumpitur, sed vas ipsum; at rumpitur per accidens, rupto vase.

CAPUT IV

DE COLLIGATIONE DIVERSORUM MUNDI ENTIIUM (1)

138. *Prænotanda circa varia rerum genera.* Hactenus de mundanis rebus diversis, quatenus *diversis et inæqualibus*, disputavimus. — Eas porro, si tum visibiles, tum invis-

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^e part., c. 2, § 1 et 3.

biles spectentur, quintuplicis generis esse dilucidè demonstrat D. Thomas: « Distributio divinæ virtutis propter « sui infinitatem procedit ad omnia existentia, et nullum est « existens quod non habeat aliquam virtutem. Sed oportet « quòd habeat aut virtutem *intellectualem*, sicut Angeli, aut « *rationalem*, sicut homines, aut *sensibilem*, sicut animalia, « aut *vivificam*, sicut plantæ, aut *substantialem*, sicut alia. » (*Comm. in c. 8 de Div. nomin.*, lect. 1).

Si autem de visibilibus tantum rebus sermo habeatur, quatuor entium gradus inveniuntur, nimirum infimo loco mineralia, quæ duntaxat subsistunt, dein plantæ, quæ subsistunt et vivunt, supra eas animalia, quæ subsistunt, vivunt et sentiunt, et denique homo, qui subsistit, vivit, sentit, intelligit et vult.

At verò alia pulchritudinis lex est ut res variæ ac dissimiles inter se conveniant, ne fortè hiatus occurrat. Igitur quærere est num et quâ ratione res mundanæ secum socientur. — Porro triplici nexu mundana entia inter se colligantur, nimirum tum essentiâ, tum mutuo actionis et passionis commercio, tum *finalitate*, quatenus aliis alia deserviunt. — Quæ sunt fusiùs evolvenda.

ARTICULUS I

De colligatione seu nexu essentialium et formarum.

139. *Opiniones.* Colligatio rerum mundanarum ratione naturæ, aliter a Scholasticis, aliter a nonnullis recentibus philosophis exponitur.

Scholastici volunt entium creatorum species, tametsi diversas, trifariam inter se connecti: 1^o quia *gradatim* ita disponuntur, ut magis similes subsequantur se invicem, magis autem dissimiles per aliquas species *medias* uniantur; 2^o quia *omnes* species in homine quodammodo sociantur; 3^o quia species maximè similes *propius* religantur, quatenus individua perfectiora speciei inferioris penè attingunt ad individua inferiora speciei perfectioris.

At Leibnitzius, Lockius, alique legem *continuitatis* admitti debere decreverunt, vi cujus nullus, ne *minimus* quidem hiatus, sit in rerum naturâ, et inter duas quasque species mediæ inveniantur species quædam *æquivocæ*, utrarumque proprietatum simul participes. E. g. inter plantas et animalia darentur *animalia-plantæ*, et supra hominem innumeræ forent substantiarum spiritualium species, quarum aliæ ad hominem, aliæ verò ad ipsum Deum attingerent.

140. Assertio 1^a: *Admittenda est colligatio essentialium aut formarum, prout a Scholasticis exponitur.*

Enimvero experientia ipsa testis est hæc tria in mundo existere, ex quibus *scala* entium, ut aiunt Scholastici, componitur.

1^o Species variæ hoc ordine disponuntur, ut natura ex infimis per medias pedetentim ad supremas assurgat. Etenim mineralia, quæ infimum locum tenent, plantis religantur quatenus æquè subsistunt. Plantæ autem, ut cum mineralibus subsistentiâ, ita cum animalibus vitâ vegetativâ conveniunt.

— Rursus, animalia, ut plantis vitâ vegetativâ consentiunt, sic homini vitâ sensitivâ. — Demum homines ut animantia sentiunt, sed intelligunt ut Angeli.

2^o Omnes species in homine sociantur. Nam ut dicit S. Augustinus: « Habemus esse cum lignis et lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis. » (*Serm. 43, de Verbis Isaie, c. 7*).

3^o Species inferiori superiori connectitur, quatenus individua perfectiora prioris individua imperfectiora posterioris attingunt; unde axioma: *Supremum infimi attingit infimum supremi* (1). Jam quippe notaverat Aristoteles « sic ab inanimis ad animantes transire naturam paulatim, ut in conti-

(1) Nec objectioni est quòd magna organica similitudo vigere videatur inter animalia imperfectiora et infima vegetabilia. Enimvero constat in animantibus aretissimam vigere evolutionis ac perfectionis relationem inter sensitivâ et vegetativâ vitæ organa, cum iis insit anima una, sensitiva simul et vegetativa. Propterea, ut in imperfectioribus animalibus imperfectus est organismus vitæ sensitivæ, ita et vegetativæ. Et cum, ex altera parte, imperfectior et obscurior sit vitâ vegetativa in plantis infimis, ultrò defluit, quod ad organa attingit, plantas imperfectiores cum

« nuatione eorum, confinia mediaque lateant utrius sint. » (*De histor. animal., l. VIII, c. 1, § 2 et 3, éd. Didot*).

Sunt enim quædam plantæ, quæ si ad mineralia referantur, videntur sensu præditæ; aliæ autem relativè ad animalia videntur inanimæ. Idem dixeris cum D. Thomâ de animalibus quibusdam ad plantas comparatis: « Etenim animal perfectum et planta sunt dissimilia quantum ad duo. Nam animal perfectum est sensitivum, et mobile motu processivo, planta autem neutrum horum habet. Natura ergo non cedit immediatè ab animalibus perfectis ad plantas, sed producit in medio animalia imperfecta, quæ sunt sensibilia cum animalibus, et immobilia cum plantis. » (*Comm. in 8 de Div. nomin., lect. 30*).

Quinimo, notat laudatus Doctor animalia quædam, v. g. ostrea, non solo motu locali destitui, verum etiam pluribus sensibus, nec nisi tactu pollere.

Demum animal per *polypum* cum plantâ, et per *orang-outang* cum homine proximè conjungitur.

141. Assertio 2^a: *Rejicienda est lex continuitatis, prout a Leibnitzio et recentioribus propugnatur.*

1^o *Inani fundamento innititur*, in eo scilicet quòd hiatus vel minimus in naturâ inveniri nequeat, cum nulla sit jam ratio sufficiens cur una species cum alterâ simul existat.

Ast autem neque sapientia conditoris in culpâ est neque intuituum offenduntur oculi, si tenuis hiatus admittatur, ut contingit, positâ, ut eam explicuimus, rerum colligatione. Etenim inter individua perfectiora inferioris speciei et infima superioris tam parva distantia viget, ut vix existimentur discrepare; v. g. animalia quædam in mari sunt quæ animantia ne sint an plantæ, merito dubitares.

2^o *Falsa trahit consecutaria*. Species enim æquivocæ seu intermediæ formaliter constarent proprietatibus oppositis; v. g. inter materiam inorganicam et organicam adesset species quædam partim organica et inorganica, inter plantam et animal adessent res mediæ sensu præditæ simul et destitutæ;

infimis animalibus majori conjungi similitudine. (Cf. Liberatore, *Composé humain, c. 2, a. 2, n. 40*).

inter animal et hominem entia quædam admitterentur rationalia simul et irrationalia.

Præterea, oporteret species rerum *indefinito* numero existere. Si enim mundanarum specierum continua esset series, inter singulas binas species *indefinitæ* species mediæ consistere deberent, quoniam inter quasque species oppositas gradus infinitos *possibiles* concipere licet. Porro infiniti isti *possibiles* gradus existere haud queunt; quippe ex dictis in Ontologiâ (p. 152), quantuscumque fingatur numerus, augmenti sine fine est capax. — Imò etiam, ut *possibilis* esset *absoluta* continuitas in hoc mundo, admittenda foret rerum omnium *identitas*, et negandus omnis *motus* seu *mutatio* quantalacumque minima.

3^o *Adversatur experientiæ*. Si enim lex continuitatis non meram *ideam*, sed *reale* quiddam designat, experientia ostendere debet varias hæcæ æquivocas species quæ inter binas singulas species celebrantur. Porro istæ nusquam occurrunt.

Nulla quippe species æquivoca invenitur inter regnum minerale et regnum vegetabile, ipsique adversarii fatentur transitum ex altero in alterum velut *ex abrupto* fieri. — Nulla est inter plantam et animal; licet enim *polypus* ab adversariis ut aliquid æquivocum proponatur, tamen animalis functiones naturamque, non autem plantæ sibi vindicat, ut docent Cuvier et Flourens. — Nulla demum species media animal et hominem inter assignari potest.

Lockius voluit æquivocam istam speciem ex hominibus iis constitui qui a nativitate imbecilles sunt. Sed homines isti perinde ac infantes ipsi necnon illi qui rationis usu postea per accidens orbantur, jure dicuntur rationales, quanquam ratione non utantur. Non enim rationis *usus*, sed rationalis *natura* hominem constituit.

At refutatione non indiget Buchner, qui propter organicam quamdam similitudinem, inter animal et hominem medios posuit Æthiopes, homines nimirum non duntaxat rationis usu fruantes, sed pares ad scientiam, ut constat historiâ.

Qui autem vulgo *sylvestres* vocantur, quales sunt miseri paucarum Africæ vel Americæ regionum incolæ, non pro tar-

dis habendi sunt cæterisque naturâ inferioribus, sed pro *colapsis* atque *dejectis* a meliori statu. Constat enim illos cultura quondam valuisse, ut, inter alia, testis est mira linguæ illorum perfectio. Ad miseram autem in quâ nunc versantur animi dejectionem variis infortuniis adducti sunt, præsertim vitæ corporalis indigentia et abjectâ admodum sorte.

ARTICULUS II

De nexu rerum dynamico.

142. Nexus dynamicus constat in mutuo rerum mundanarum actionis passionisque commercio. Quoniam vero activitatem externam supra jam (n. 82) vindicavimus, impræsentiarum satis sit sequens

143. **Assertio** : *Res mundanæ dynamico nexu colligantur.*

1^o *Suadetur ratione*. Etenim, ipso remoto, quæque res in seipsâ solâ contineretur, deficeretque substantiarum mundanarum omnis communicatio. Ergo jam remaneret quidem ordo cuique rei *particularis*, sed tolleretur ordo *universalis*, ex quo tamen præcipua mundi perfectio sequitur.

Quin etiam cuique rei naturale est ut non suam tantum perfectionem adquirat, sed ad aliorum etiam entium perfectionem quidquam conferat sui, et sese in alia diffundat.

2^o *Prob. experientiâ*. Quippe certum est inesse corporibus vim quâ se invicem vel attrahant, vel repellant. — Hinc exoritur admirabilis et universalis *gravitationis* lex illa, vi cujus corpora omnia, sive terrestria, sive cælestia secum religantur, quantacumque sit horum distantia.

ARTICULUS III

De nexu rerum teleologico (1).

144. Nexus rerum teleologicus in eo est ut aliæ aliis deserviant, et aliæ ad alias tanquam ad *finem* destinentur.

(1) Cf. S. Thom., *Qq. dispp. de Pot.*, q. 5, a. 9; *Cont. Gent.*, l. IV, c. 55; *In IV Sent.*, dist. 44, q. 1, a. 2, sol. 2; 1^a, q. 65, a. 2.

145. Assertio : *Res mundanæ teleologico nexu colligantur.*

1^o *Suadetur ratione.* Ex probatis suprâ, res mundanæ diversæ sunt naturâ et perfectione inæquales, quin etiam aliæ in alias agunt. Porrò consonum rationi videtur ut varia entia mutuâ suâ actione et passione se invicem juvent ad proprium finem obtinendum; congruum quoque est ut inferiora superioribus deserviant.

2^o *Prob. experientiâ.* Etenim tum in unoquoque ente, tum in comparatione aliorum ad alia, videre est alia aliis deservire vel ad *necessitatem*, vel ad *ornamentum*. E. g. in arbore, præter alias rationes, sunt folia ad majorem gratiam, necnon ad fructuum cooperimentum. Item in homine, partes quædam, ut capilli et ungues, sunt ad aliarum vel gratiam, vel custodiam; et sensus omnes ad animæ rationalis operationes exercendas faciunt.

Jam verò idem non obscure apparet, si diversa mundi entia non *separata*, sed ad invicem *comparata*, intueri velimus. Enimvero res vitâ destitutæ, v. g., aer, aqua, ignis aliaque id genus, plantis animalibusque ad vitam prosunt; rursus, plantæ ipsæ animalibus, animalia autem homini, utpote ipsis sublimiori, destinantur. Ex hoc autem tot et tam diversarum rerum tam intimo concursu, vehementer effulget ordinis universi *unitas*.

APPENDIX

DE CONCORDIA INTER SCIENTIAS VULGO NATURALES ET SENTENTIAM SCHOLASTICAM DE CORPORUM NATURA, DE VEGETABILIBUS, ANIMALIBUS, NECNON DE HOMINE.

I

146. Observatio generalis et argumentatio Leonis XIII.

Sæpe jam in philosophicis disciplinis, in Anthropologiâ, Ontologiâ et Cosmologiâ præsertim, disputare fuit de nonnullis quæstionibus quæ studio etiam sunt, sub alio quanquam respectu, in scientiis physicis, chemicis et physiologicis. Porrò quærere juvat utrùm scholastica doctrina cum sinceris harum scientiarum doctrinis conveniat necne. Eam convenire negant quidam; et quoniam ipsis magis cordi sunt physicæ quàm metaphysicæ theoriæ, inde arceri se dicunt a recipiendâ Scholasticorum philosophiâ, quam alioquin, si fides iis, satis libenter recipere.

Et quidem scholastica philosophia, cum cæteris comparata philosophiis, victrix hodie facili negotio evasit, atque haud ægrè dissipavit objectiones philosophicas quæ contra illam acri æstu nuper movebantur. Jam verò adversus eam, nostris diebus, ex scientiis potissimum naturalibus insurgunt adversarii, ac restat ut eas quoque disjiciat objectiones.

Recens enim, in Encyclicis litteris illis, nullâ unquam oblivione delendis, hæc habebat SS. Pontifex Leo XIII: « Quapropter etiam *physicæ* disciplinæ quæ nunc tanto sunt in pretio, et tot præclarè inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restitutâ veterum philosophiâ non modò nihil *detrimenti*, sed plurimum *præsidii* sunt habituræ. Illarum enim fructuosæ exercitationi et incremento non sola

« satis est consideratio factorum, contemplatioque naturæ;
 « sed, cum facta constiterint, aliū assurgendum est, et
 « danda solerter opera naturis rerum corporearum agnos-
 « cendis, investigandisque legibus quibus parent, et princi-
 « piis, unde ordo illarum et unitas ex varietate, et mutua
 « affinitas ex diversitate proficiscuntur. Quibus investiga-
 « tionibus mirum quantum philosophia scholastica vim et lu-
 « cem, et opem, est allatura, si sapienti ratione tradatur.

« Quā in re et illud monere juvat, non nisi per summam in-
 « juriam eidem philosophiæ vitio verti quod naturalium
 « scientiarum profectui et incremento adversetur.

« Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam se-
 « cuti, in Anthropologiā passim tradiderint, humanam intel-
 « ligentiam non nisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res cor-
 « pore materiaque carentes evehi, sponte suā intellexerunt,
 « nihil esse philosopho utilius, quā naturæ arcana diligen-
 « ter investigare, et in rerum physicarum studio diu multum-
 « que versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam S. Tho-
 « mas, B. Albertus Magnus, alique Scholasticorum principes,
 « non ita se contemplationi philosophiæ dediderunt, ut non
 « etiam multum operæ in naturalium rerum cognitione col-
 « locarint; imò non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et
 « scita, quæ recentes magistri probent, et cum veritate con-
 « gruere fateantur. Propterea, hac ipsā ætate, plures ùque in-
 « signes scientiarum physicarum doctores palam apertèque tes-
 « tantur, inter certas ratasque recentis Physicæ conclusiones,
 « et philosophica scholæ principia nullam veri nominis pu-
 « quam existere.»

Aurea sunt hæc et assensum nostrum facilè rapiunt. Quare
 utramque illam SS. Pontificis authenticam assertionem, ni-
 mirum nihil dissidii esse inter scientias naturales et philoso-
 phiam scholasticam, imò verò ipsas ab eā non parum capere
 præsidii, paucis, pro modulo nostro, comprobaturi sumus.

II

147. « Nulla veri nominis pugna existit, » ut ait SS. Pon-
 tificex, « inter certas ratasque recentis Physicæ conclusiones et

« philosophica scholæ principia. » Sed advertat lector sermo-
 nem esse de certis ratisque recentis Physicæ conclusionibus,
 minimè verò de variis iisdemque satis levibus quorundam
 physicorum opinionibus.

Scientiæ quidem physicæ recenti progressu atque incre-
 mento jure gloriantur. Quippe multa jam ab iis explicantur
 facta quorum olim latebat explicatio, et secundæ quædam
 necnon simplicissimæ leges nuper adinventæ sunt, quibus
 corporea omnis regitur natura. At verò, hinc accidit ut multi
 scientiarum earum professores de iis superbius sentirent
 quā veriùs, omnia ex empiricâ methodo metirentur, meta-
 physicas moralesque scientias omnes vel minimi facerent,
 vel ad physicæ leges decernerent revocandas, adeo ut nihil
 dici deberet scientificum, nisi ad normam eorum scientiæ
 traderetur. Quare, si fides illis, plurima philosophiæ dog-
 mata, aliunde certissima, a scientiâ repellerentur.

Verùm inde certitudo nostra evadit firmior, unde illi
 minas exaggerant. Nimirum opinio nostra fert scientiæ no-
 men a multis Physicæ doctoribus plus æquo jactari, ac pri-
 vatas, temerarias, aut saltem arbitrarias hypotheses scientiæ
 subrogari loco (1).

Probat, quia philosophus et physicus non eadem in cor-
 poribus investigant, et ideo diversa docere debent, sed non
 pugnantia. Quinimo, ut suprâ diximus (n. 100), natura cor-
 porum est objectum philosophiæ, non autem scientiarum
 naturalium, ut fatentur ipsi nobiliores earum magistri cum
 Cl. Bernard.

Confirmatur, quia ipsi in varias et oppositas abeunt opi-
 niones ubi, scientiæ suæ ope, de corporum internâ consti-
 tutione disputare volunt. E. g. plurimi inter eos asserunt
 exigi a scientiâ ut corporum essentia ex atomis, primitivis
 moleculis, explicetur; non pauci, e contra, contendunt ad

(1) « Une remarque, et capitale, concernant le langage, ait Berthelot,
 se présente ici, car la première condition du progrès d'une science c'est
 une langue bien faite. Je veux parler de la confusion qui tend à s'établir
 entre le mot loi et le mot hypothèse. » (Comptes-rendus de l'acad. des
 sciences, année 1877, séance du 28 mai).

simplices *monades* esse recurrendum; ita Ampère, Faraday, Cauchy, Tyndal, de S. Venant, P. Carbonelle aliique. Porro, illud argumento est eos aut non ex Physicâ jam, sed *occasione* Physicæ argumentari, aut æquè stare Physicam, quæcumque de naturâ corporum admittatur opinio.

Age verò, si neque *atomicum*, neque *dynamicum* systema repugnat Physicæ, cur repugnat sententia *materiæ et formæ* quæ, cum atomistis, principium extensionis tuetur, et cum dynamicis, principium activitatis internum et essentialiale? (1).

Cæterum, datâ occasione in Anthropologiâ et in Cosmologiâ solvimus objectiones a quibusdam sumptas ex Physiologiâ et Chimîâ. Quin etiam ostendimus doctrinam scholasticam de viventibus generatim, præsertim vero de animantibus et homine mirum in modum aptari recentis scientiæ inventis, et ab iis novis argumentis confirmari.

III

148. *Scientiis naturalibus « plurimum præsidii » conferre potest philosophia scolastica.* Enimvero, præter auctoritatem SS. Pontificis, pluribus certisque ex causis ad hanc sententiam sumus adducti, optatam concordiam inter metaphysicam scientiasque, si demum fœdere sanciri velit, ex scholasticâ esse repetendam. Non quòd opinemur ex solis scientiarum documentis scholam aliquam philosophicam propriè demonstrari posse, sed quòd 1° scholastica methodus cum scientiarum naturalium methodo apprime con-

(1) Recté Sainte-Claire Deville : « Je cherche à éloigner de l'enseignement l'intervention des hypothèses absolument gratuites, comme l'hypothèse des atomes, des molécules et des états hypothétiques de la matière... Tout ce qui ne peut être imposé et démontré doit être rejeté. tout ce qui est inutile dans la science est nuisible et je suis d'avis, avec mon savant ami, M. Berthelot, que l'on suit en chimie une voie dangereuse et dont se sont écartés résolument, depuis quelques années, les grands esprits qui ont fondé la mécanique de la chaleur, la thermochimie et la physiologie moderne. » (Comptes rendus hebdomad. de l'Acad. des sciences, séance du 17 nov. 1879).

veniat; 2° benè conveniant scholasticæ theoriæ cum recentibus earum scientiarum inventis legibusque; 3° a scholasticâ philosophiâ corrigantur quidam defectus earum scientiarum, aut saltem opinionum quas tenent earum plerique professores, et expleantur desiderata.

149. *Scholastica methodus cum scientiarum naturalium methodo apprime convenit.*

Probatur quia scientiæ naturales propriè occupantur circa rerum corporearum phænomena, proprietates aut leges, a posteriori argumentari solent ac methodum vulgò *empiricam* sectantur imprimis. Sed scholastica etiam philosophia ab experienciâ sive externâ sive internâ exordium ducit, ab experienciâ notionum omnium universalium derivat originem, perpetuas ei nec mediocres partes facit (Procem., p. 6), ac tenet methodum *analytico-syntheticam*. (Log., n. 331, 337). Ex eâ igitur parte, nulla philosophia est quæ tam strictâ cum scientiis naturalibus affinitate connectatur.

150. *Cum recentibus scientiarum naturalium inventis benè conveniunt scholasticæ theoriæ.*

1° *Lex analogiæ omnibus corporibus applicata.* — Vi hujus legis natura omnis physica plures habet proprietates, motus legesque communes. Pauciores sunt leges mineralium; et cum iis non vegetabilia duntaxat, verum etiam animalia omnia magnâ ex parte communicant. Nulla porro, ut scholastica philosophia, accuratè servat hanc analogiæ legem. Quippe quæ docet tum mineralia, tum vegetabilia, tum animalia, ipsum denique hominem, materiâ et formâ substantiali constare; omnibus entibus his, utpote materiali parte conveniunt, communes esse vires legesque plures, et operationes vegetativas, ac sensitivas omnes, haud secus ac physicas chemicasve operationes, mediante materiâ, exerceri.

2° *Lex permanentiæ materiæ sub variis formis quas successivè induunt corpora,* ita ut continuò quidem transformetur materia, nihil autem ejus in nihilum abeat. Sed lex ea physicè, ut videtur, nova, pervetus est in metaphysicâ Scholasticorum, siquidem eam cum Platone, Aristotele, D. Augusti-

tino et D. Thomâ semper docuerunt nomine *materiæ primæ*, quæ varias successivè formas accipit simul ac manet identica sub variis corporum transmutationibus.

3^o *Lex permanentiæ quantitatis vis seu ενεργειας*. Ενεργεια porro est motus aliquis *actualis* aut *virtualis* seu *possibilis*, qui, spectatâ mundi universi *summâ*, transformat quidem sese pro diversis phænomenis physicis, temperationibus, vel dissolutionibus, sed eandem retinet quantitatem, quin ejus quidquam pereat omnino. Physicis modernis probata videtur lex hæc, quam maximè urgent, quin ejus explicent rationem causamve. Jam posito quòd constiterit (*eam enim probandam non assumimus*, sed relinquimus physicorum judicio), commodè in sententiâ scholasticâ explicari posset. Enimvero, mundana omnia entia pollent activitate simul ac passivitate: vi prioris agunt, tum ad intra, tum ad extra; vi posterioris, accipiunt actionem ab extrinseco principio. Res autem ita se habet: ex unâ parte, omne agens tendit ad communicandum patienti, quantum fert patientis conditio, aliquid propriæ formæ et impressionis; ex alterâ parte, patienti habet potentiam *passivam*, unde ad actum ab agente moveatur, receptâ ejus impressione; et potentiam *activam*, unde receptæ agentis actioni pro modo suo respondeat. At, his positâ, intelligere est cur nullus corporum motus annihilatur, sed transformet sese, et ab altero corpore communicetur alteri.

451. *Philosophia scholastica explet vel corrigit lacunas quæ scientiis naturalibus insunt, prout a recentibus suis doctoribus tradi solent.*

1^o Scientiæ physicæ naturâ suâ versantur circa problemata satis concreta et particularia, nempe circa phænomena, proprietates legesque rerum materialium; unde abstrahunt ab essentiâ rerum, ab universalioribus earum principiis et causis. Sed his accedit quòd hodierni earum doctores, ducti nesciò quâ Metaphysicæ formidine vel ignorantia, abhorrent ab omnibus causis, vocem ipsam *vis*, utpote ignotam, repudiant, non admittunt nisi *motus* vel phænomena, et varias *conditiones* sine quibus phænomena haud contingerent:

verbo, toti sunt in *factis* et, ut aiunt, in factorum *determinismo*.

At verò liquidò patet scientiam, ratione istâ traditam, esse nimio plus minutam atque pedestrem. Ut enim verba SS. Pontificis jam laudata iterum usurpemus, « cum facta constiterint, altiùs assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus quibus parent, et principiis, unde ordo illarum et unitas ex varietate, et mutua affinitas ex diversitate profisciscuntur. — Quibus investigationibus *mirum quantum philosophia scholastica vim et lucem, et opem est allatura.* » Ipsa quidem in re omni solet profundius meditari, ad altiores assurgere causas, principiaque suprema quibus entia constant definire; idque non solum ubi sermo est de animâ humanâ, de mundi universi mirâ colligatione, sed etiam ubi agitur de corporibus ipsis, ac primis eorum legibus principiisque.

2^o Scientiarum naturalium professores factis quæ investigant non satis proportionatas causas assignare solent. Et sanè, absolutum est principium *nihil fieri sine ratione sufficienti*; ac proinde facta omnia propriam et idoneam rationem sui exigunt: aliis verbis, phænomenon omne rationem sui exposulat, et *tali phænomeno talis ratio* vel causa necesse est attribuat. — Jam verò multi physicæ doctores principium illud violant persæpe, non solum cum de corporibus inanimis, sed etiam cum de plantis, de animalibus, et de homine ipso disputant. Qui enim, inter eos, vel ex solis *atomis*, vel contra ex solis *monadibus* inextensis proprietates corporum singularum derivant, iis causam tribuunt haud sufficientem; quippe diversitas, unitas, et actuosæ vires ex atomis non valent explicari, monades verò minimè idoneæ sunt ad gi-gnendum extensionem, figuram, divisibilitatem indefinitam ac spatium.

Simili vitio peccare videntur qui *omnes* naturæ physicæ proprietates ad certos *motus* revocant (1). Et sanè, ut notavit

(1) Ea theoria quæ tradi solet nomine *transmutationis virium naturæ*, potius, juxta Rabier, mereretur nomen legis *non transmutationis*. Docet

D. Thomas, « *omnis actio agentis physici in motu est.* » (*De natura materiæ*, c. 4). Sed quanquam motus est generalis *conditio* actionis omnis physici, hinc non sequitur omnem proprietatem physicam non nisi in motu consistere. Enimvero motus, et proinde differentia motus, præ se fert aliquid merè accidentale; ideoque nequit explicare differentias essentielles quas supra (n. 100) inesse ostendimus proprietatibus corporum etiam inanimorum.

Sed magis adhuc contra principium *rationis sufficientis* peccant qui ex viribus merè physicis operationes vegetativas et ipsam sensationem explicare intendunt.

Contra verò philosophi scholastici semper accuratè servant principium *rationis sufficientis*; v. g. si agatur de corporibus inanimis, ope *materiæ* explicant extensionem, divisibilitatem, pondus, passivatem, mobilitatem aliasque communes omnibus corporibus notas; et ope *formæ*, diversitatem substantialem, unitatem, speciem propriam, agendi vim, proprias vires tum physicas, tum chemicas, tum etiam *organolepticas*. — Operationibus vegetativis necnon sensitivis diversum propriumque assignant principium, quia tametsi organis exerantur, nihilominus sunt alterius ordinis, nec ex viribus physico-chemicis sufficientem rationem haberent.

3^o Doctores scientiæ recentis plerique mundanorum entium omnium abrumpunt *unitatem*. Et hi quidem occupantur circa entia maximè composita, et potiùs *analysisi* utuntur quàm *synthesi*; toti sunt igitur in multitudine varietateque phænomenorum, alieni autem ab unitatis conceptu. Cæterùm, nullo potiuntur principio vi cuius entium unitatem explicare queant. Itaque, juxta illos, corpora inanima *simplicia* conflantur ex pluribus moleculis, vel atomis, vel viribus actu distinctis, propriâ præditis individualitate, ad invicem tantùm appositis. — Corpora *mixta* sunt *aggregata* quedam corporum simplicium, actu in ipsis permanentium. — In

enim nullam revera in naturâ transmutationem accidere, et eas ipsas mutationes quas putares maximas, non esse nisi modificationes conspectûs, vel status, ut actor idem in scenâ mutat solummodo vestem et variam agit vicissim personam.

viventibus, *organismi* proprietates ad proprietates organorum revocantur, istæ verò ad proprietates *textilium* ex quibus componuntur, *textilium* demum ad proprietates *cellulæ*, quæ admittitur tanquam ultimum entis organici elementum. At in incredibili eâ tot partium multitudine omnis exsufflatur unitas, nec aliud habes nisi *collectionem* nescio quam *operariorum morali* duntaxat junctorum associatione, qui proprias exequentur functiones, nullâ eos superiori et unâ formâ conjungente ac regente, nisi plantis animalibusque anima tribuatur quæ principium sit omnium operationum et entis.

Quâ in re, scholasticæ philosophiæ audi interpretes: Corpora omnia tum inanima, tum animata, instruuntur *formâ substantiali unicâ* quæ suam iis conciliat unitatem; corpora quidem simplicia constant ex partibus non divisis nec propriâ fruentibus individualitate, sed subsistentibus in toto. Eas verò omnes et singulas intimè pervadit forma substantialis, ex quâ suum *esse* viresque accipiunt. — Cùm duo corpora simplicia *chimicè* in invicem agunt, mutuæ *affinitatis* vires *cohesionem* eorum superant et solvunt; juxta eorum partes, dividuntur in atomos *atomico* pondere et debitâ quantitate præditas, pro exigentiâ formæ; partium eorum materia permiscetur juxta varias proportionem *simplices*; novæ oriuntur proprietates, *compositum* novum, unitate pollens substantiali, quam nova forma explicat. Hanc formam, si placet, *affinitivam* voces, ad designandum originem necnon proprietates illius.

Porro, in plantis inveniuntur quidem vires physiciæ et chemicæ, inveniuntur etiam et vegetativæ operationes; sed utrumque principium est forma substantialis *unica*, quæ, utpote forma *superior*, formaliter continet operationes vegetativas, et *eminenter* vires chemicas et physicas. Illa nempe singulas pervadit *cellulas*, quas actu esse facit (sicut in mineralibus singulas partes); nam cuiusque cellulæ originis et incrementi fuit *principium*, et quæque molecula, ope nutritionis, in substantiam viventis *assimilatur* vi formæ, quæ suas cuique moleculæ physicas et chemicas proprie-

tates communicat, quibusque utitur ut suis. Forma igitur est realis expressio *ideæ creatricis* secundum quam organismus generatur, sensim evolvitur, conservatur et omnes suas funciones peragit (1).

Recedente autem formâ substantiali vegetativâ, *nova* subit forma, naturâ inferior, præsentibus subjecti dispositionibus proportionatâ, ex quâ oriuntur phænomena quæ physiologus dein experitur.

Idem dixeris servatâ proportionem, de *animalis* constitutione ac vitâ sensitivâ. Illius quippe forma substantialis est anima sensitiva; ea autem, utpote forma superior, idonea est ad explicandas omnes animalis operationes, sive ad vitam sensitivam, sive ad vitam vegetativam, sive ad vires físicas aut chemicas referantur.

4^o Scientia recens, prout a pluribus tradi solet, a *transformationi* placitis non satis aliena est. Enimvero, ex unâ parte, professores ejus, acti Metaphysicæ metu, *vires, causas, naturam* rerum negligunt omnino, toti sunt in *materiâ* et *materiæ motibus* observandis. Ex alterâ parte, materia indifferens est ad quaslibet formas successivè recipiendas, easque reipsa successivè induit; quare, mundus physicus occurrit veluti ingens theatrum *generationis, corruptionis* et *transmutationis*. Si ergo præ oculis intellectûs non habeantur vires rerum *intimæ* superiores; si præter materiam non admittatur in corporibus *evanescentia* aut forma cuique propria, speciei constitutiva, ab aliis speciebus diversa, quæ proinde in eas transformari nullo pacto queat, nulla sufficiens ratio erit cur, juxta commenta Darwiniana, *species* ipsæ non modificentur ac mu-

(1) Hoc sensu rectè Cl. Bernard : « La vie a son essence dans la force ou plutôt dans l'idée directrice du développement organique... Si je devais définir la vie d'un seul mot, je dirais : la vie, c'est la création. En effet, la vie, pour le physiologiste, ne saurait être autre chose que la cause première créatrice de l'organisme... Cette cause se manifeste par l'organisation; pendant toute sa durée, l'être vivant reste sous l'empire de cette force vitale créatrice, et la mort naturelle arrive lorsque la création organique ne peut plus se réaliser. » (*La science expériment.*, « Du progrès dans les sciences physiolog. » p. 52).

tentur, perinde ac *varietates*. Siquidem illæ, quòd attinet ad organa, aliquando remotiores aliæ ab aliis videntur quàm propinquæ species. Ast autem specierum stabilitas firmiter habet in substantiali formâ, quæ principium est essentiarum.

JANU

NOMA DE NUEVO LEÓN

AL DE BIBLIOTECAS

THEOLOGIA NATURALIS

PRÆVIÆ NOTIONES

I. De Theologiæ naturalis definitione.

1. Theologia naturalis definiri potest *scientia naturalis de Deo*. Genericè convenit cum Theologia sacra, quatenus de Deo disputat. At specificè ab eâ differt, quia ea de Deo propriè agit, quatenus rationem transcendit ac revelatione declaratur.

Minus ergo recta est *Theodiceæ* nuncupatio quam recentes post Leibnitzium usurpare solent. Hoc enim vocabulum nec indicat hujus scientiæ objectum *materiale* adæquatum, sed tantum ea quæ pertinent ad *justitiam* aut *providentiam* Dei vindicandam; nec indicat objectum ejus *formale*, sive *rationem* secundum quam Deus consideratur. — Quoniam tamen apud recentes Theodiceæ nomen usu invaluit, præmissâ monitione, *lato sensu* potest adhiberi.

II. De præstantia Theologiæ naturalis.

2. Scientiarum *speculariarum* dignitas ex nobilitate objecti potissimum hauritur, ac proinde, cum Deus sit infinite perfectus, scientia de Deo debet esse præstantissima. Quamobrem Theologia naturalis rationales *omnes* scientias dignitate vincit (1), nec vincitur nisi a Theologiâ sacrâ quæ

(1) Pulchrè Seneca : « Quantum inter philosophiam interest et ceteras artes, tantum interesse existimo, in ipsâ philosophiâ, inter illam partem quæ ad *homines*, et hanc quæ ad *Deos* spectat... Altera docet quid in terris agendum sit; altera quid agatur in cælo. Altera errores nostros discutit et lumen admovet quo discernantur ambigua vitæ; altera, multò hanc supra caliginem, in quâ volutamur excedit et e tenebris ereptos illò perducit, unde lucet. » (*Natural. Qq.*, Præfat.).

multa de Deo investigat ad quæ vis rationis non extenditur.

Licet ergo ex ipsâ suâ sublimitate sit satis difficilis, nobis tamen maximè cordi esse debet, quia ut S. Thomas cum Aristotele monet, « *minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum desiderabilius est quàm certissima cognitio quæ habetur de minimis rebus.* » (*De partibus animalium*, l. I, c. 4).

III. De utilitate Theologiæ naturalis.

3. Plurima est utilitas Theologiæ naturalis. Nam 1^o nihil homini antiquius esse potest, quàm ut cognoscat Deum a quo fuit creatus, ad quem ceu ad *finem* tendere debet, cuique sacra debet officia persolvere (1).

2^o Scientiis omnibus prodest. Sanè *utcumque* tractari possunt plures scientiæ, Deo etiam prætermissa, quatenus circa *proximas* causas et *propria* principia occupantur. Nullum tamen earum genus est quod *perfectè* absolvatur, scientiâ de Deo posthabitâ. Nulla enim perfecta scientia est, nisi exploratis altioribus rerum causis ac principiis. Porrò Deus rerum omnium prima causa est et ratio ultima; unde, ipso ignorato, latet jam entium origo et finis ultimus. — Rectè Baco : « Si quis ulterius pergat, causarumque *dependentiam*, *seriem* et *concatenationem* intueatur, facilè credet *summum* naturalis catenæ annulorum pedi solii Jovis affigi. » (*De Dign. et augm. scient.*, l. I, n. 5).

3^o Sunt autem *plures* scientiæ quæ sine Theologiâ naturali vel imperfectissimè, vel nullo modo tractari queunt. Ad 1^{um} genus pertinent scientiæ *historicæ*, *sociologicæ* et *cosmologicæ*; ad 2^{um} *morum* disciplina. Enimverò nonnisi in Deo reperiri potest legis *naturalis* fundamentum, perinde ac iurium officiorumque ratio suprema.

Denum ex Theologiâ naturali Theologia sacra suum quasi *fundamentum* accipit; quippe quæ supponit existentiam, veracitatem, bonitatem aliaque Dei attributa, necnon jus ad imponenda homini ordinis supernaturalis officia.

(1) D. Augustinus : « Malè vivitur, si de Deo non benè sentitur, » (*De Civit. Dei*, l. V, c. x, n. 2).

IV. De Methodo tenenda in Theologia naturali.

4. Ut infra ostendemus, non cognoscimus Deum nisi ope ratiocinii et certæ methodi operâ. — Porrò inter scientias aliæ, ut Mathesis, *deductione* et *synthesi* potissimum utuntur, ac sectantur methodum *idealisticam*, quæ tota sistit in abstractis; aliæ contrâ, ut Physica et cæteræ scientiæ naturales, potius utuntur *inductione* et *analisi*, ac tenent methodum vulgò *empiricam*. — Sed Theologia naturalis hanc utramque methodum colit; nam sequitur methodum quam in Logicâ (n. 331) nuncupavimus *analytico-syntheticam*. Nimirum *initium* ducit a rerum mundanarum existentia; ex quibus, ope principii causalitatis, assurgit ex visibilibus ad *causam* invisibilem. Dein, probatâ *infinitâ* perfectione entis primi, multa infert, ope *deductivi* ratiocinii, quæ in illius entis realis notionem implicite, sed necessario continentur.

Quamobrem scientiæ mathematicæ ex abstractis principiis conclusiones abstractas et ideales ducunt; scientiæ physicæ ex contingentibus phænomenis reales, sed contingentes leges eliciunt; Theologia naturalis ex contingentibus rebus ad *causam* realem et absolutè necessariam assurgit, cujus exinde necessaria demonstrat attributa. (Cf. De Margerie, *Theodic.*, t. I, 1^o part., c. 4).

5. *Corollarium*. Quocirca Theologia naturalis *scientiæ* nomen jure sibi vindicat; habet enim omnia elementa scientiæ constitutiva, scilicet objectum proprium, methodum rectam et principia certa, ex quibus certas et aptè collatas infert conclusiones.

Nihilominus, in eo ab aliis scientiis deficit, quòd eæ naturam rerum quibus student, propius assequuntur, ipsa autem naturam intimam Dei capere non potest. Sed scire potest ipsum existere, causam rerum omnium esse, ab omnibus distingui, et omnibus infinitè antecellere. Jam hæc satis sunt ut eam pro scientiâ habeamus, et dicamus cum Angelico: « De Deo cognoscimus quia est, et quòd causa aliorum » est, et aliis supereminens, et ab omnibus remotus, et *hoc*

« est ultimum et perfectissimum nostræ cognitionis in hac » vitâ. » (Cont. Gent., l. III, c. 49).

V. De historia Theologiæ naturalis.

6. In prioribus philosophiæ temporibus, ea non erat scientia distincta et *peculiaris*, sed solùm *complementum* Metaphysicæ. — Ecclesiæ SS. Patres et primi Doctores, partim ex ratione, partim ex revelatione de Deo disputaverunt, prout opportunitas ferebat, nec tamen de Illo habuerunt scientiam *rationalem* propriè dictam. — At ævi medii Doctores huic rei operam dederunt; imprimis verò D. Thomas, cujus *Summa contra Gentes* absolutam de Deo disciplinam rationalem exhibet, cui accedit egregius de Deo *Summæ Theologiæ* tractatus, philosophicus simul ac theologicus.

Ex quo tempore, in variis philosophiæ operibus tractatus de Deo inscribi solet.

VI. De divisione Theologiæ naturalis.

7. Tria de Deo investigari possunt, nimirum: *an sit, quid sit, et qualis sit*. Tripartitam igitur Theologiam naturalem habebimus: pars prima de existentia, secunda de natura, tertia de attributis Dei versabitur; demum disputatio adjicietur de præcipuis erroribus circa Deum.

THEOLOGIÆ NATURALIS PRIMA PARS

DE EXISTENTIA DEI

Circa existentiam Dei duo inquirenda sunt: 1° utrùm ratione probari possit et debeat? 2° quibus argumentis?

CAPUT I

DE DEMONSTRABILITATE EXISTENTIÆ DEI

8. *Notio Dei.* Nomine Dei intelligitur *ens quoddam necessarium, ab æterno et a seipso existens, mundi efficiens causa, et infinitè perfectum.*

9. *Errores.* Porrò circa demonstrabilitatem existentie Dei triplex est philosophorum sententia. Alii putant rationem humanam imbeciliorem esse quam ut viribus propriis certò assurgere possit ad existentiam Dei; unde volunt eam revelatione et traditione a nobis cognosci; ita *Traditionalistæ*, inter quos Pascal, Beautin et Ventura. — Alii, nimirum *sensualistæ*, negant Deum a ratione humanà posse attingi, propterea quia hæc tota in sensibilibus occupatur. Cum quibus sentiunt hodierni *positivistæ*, qui de Deo profitentur *agnosticismum*.

Alii e regione adversantes, arbitrantur existentiam Dei nullà demonstratione indigere; ita *Ontologistæ*, juxta quos, Deum immediatè intuemur; fautores idearum *innatarum*,

juxta quos, idea Dei est naturaliter a Deo nobis infusa; patroni scholæ *sentimentalisticæ*, qui docent Deum a nobis non tam ratione, quàm *sensu* quodam arcano immediatè attingi vel potius tangi. Hanc ultimam opinionem propugnauerunt Jamblicus et Jacobi, nec ab eà multum abhorrent Thomassin (1) et Gratry. — Omnes isti philosophi opinantur probationes in existentie Dei gratiam afferri solere, non ut *inveniatur* a nobis, sed ut habeatur *illustrior*.

At nobiliores philosophi *media viâ* incedunt, putantque Dei existentiam ratione probari *posse simul ac debere*.

10. PROP. 1^a: *Existentia Dei ratione solâ certò cognosci ac probari potest, sine revelationis adminiculo.*

I. *Prob. indirectè.* Nam cum Traditionalistarum, tum Sensualistarum systema nullo innititur *fundamento*, ut in Ideologiâ (n. 183, 188.) ostendimus.

II. *Directè*, ac multiplici quidem argumento, sive ex auctoritate, sive ex ratione desumpto.

1° *Ex auctoritate.* Rem *definiit* Concilium Vaticanum: « Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, *naturali rationis* « humanæ lumine *certò cognosci non posse, anathema sit.* » (*Constit. dogm. de fide cath.*, sess. 3, canones, n. 1, § 1).

Declaratur Scriptura Sacra « Vani sunt omnes homines « in quibus non subest scientia Dei; et de his quæ videntur « *bona*, non potuerunt intelligere eum qui *est*, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex... A *magnitudine* enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit « Creator horum videri. » (*Sapient.*, c. 13, v. 1, 5). « *Invisibilia* Dei a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, *intellecta* conspiciuntur, sempiterna quoque Ejus virtus, et « *Divinitas*, ita ut sint *inexcusabiles* (ethnici philosophi), « quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. » (*Ad Rom.*, c. 1, v. 20-21). Atqui vani, seu stulti et inexcusabiles non essent qui ex mundo ad ejus Conditio-

(1) « *Supra vim intelligendi est sensus quidam arcanus, quo Deus tangitur magis quàm cernitur aut intelligitur.* » (*Dogm. theol.*, c. 9).

rem non assurgunt, nisi ex existentia creaturæ existentia Creatoris inferri posset ac deberet.

2^o *Ex ratione.* Quippe, ut notat D. Thomas, « Philosophi « rationibus irrefragabilibus hanc veritatem (exist. Dei) naturaliter probaverunt (Qq. dispp. de Ver., q. X, a. 12, c). » Recentiores etiam increduli non pauci existentiam Dei ex solâ ratione pro certâ habent.

Insuper, adversa opinio falsa trahit consecutaria. Si enim cum rationalistis ex revelatione non licet argumentari, at cum omnibus argumentari fas est ex ratione, cui, ut ait D. Thomas, omnes homines assentire coguntur. Præterea jam sequeretur vel revelationem esse absolute necessariam, vel homines fuisse creatos sine possibilitate cognoscendi suum auctorem. Sed neutrum asseri potest.

Attamen ut in Logica (n. 92) monuimus cum Angelico Doctore, perutilis, imò moraliter necessaria est revelatio, ut cognitio Dei apud homines sit promptior, communior atque certior. Confirmatur erroribus in quos inciderunt omnes philosophi qui de divinis disserere voluerunt, prætermittâ revelatione.

11. PROP. 2^a: *Existentia Dei non est nobis intuitivè evidens, sed indiget demonstratione.*

I. *Prob. indirectè.* Nam ontologismi, idearum innatarum, necnon sentimentalisticæ scholæ opiniones non tantùm falso nituntur fundamento, ut declaratum fuit in Logica (n. 136) et Ideologia (n. 186, 187), verùm etiam admodum periculosæ dicendæ sunt. Quippe theoria sensûs interni ac divini existentiam Dei reponit in sensu variabili, instinctivo et merè subjectivo, cujus existentiam conscientia minimè testatur. — Item, plerique homines de existentia Dei dubitandum esse censerent, si doceretur eam a nobis admitti ob visionem Illius, vel infusam quamdam ideam. Hæc enim gratis asseruntur, pugnantque cum hominis naturâ et conscientia.

II. *Prob. directè.* Duplicis duntaxat generis veritates a nobis intuitivè apprehenduntur sine ulla ratiocinii operâ, nimirum facta seu interna, seu externa, et prima principia. Nam priora conscientia et sensus interni vel externi intuen-

tur immediatè, posteriora verò sine ratiocinio percipit intellectus, statim notis terminis. Cætera autem omnia, ob animi nostri imbecillitatem, non nisi ratiocinationis calculo nobis attingere licet. Porrò existentia Dei nec ad phænomenorum sensilium, nec ad primorum principiorum genus pertinet.

Constat 1^{um}; quia licèt Deus in nobis immediatè agat, tamen actionem ejus conscientia non experimur.

Constat 2^{um}; quanquam enim Deus est veritas primitiva in ordine ontologico, seu quoad se, non tamen in ordine psychologico, seu quoad nos, cum rationis nostræ vim transcendat.

Et sanè Illius essentia continet existentiam, sicut in judiciis analyticis, subjectum in suo conceptu implicat attributum; sed essentiam subjecti Deus non apprehendimus intuitivè, unde nec intuitivè videmus in eo attributum existentia contineri (1).

Confirmatur, quia veritates primitivæ simul intelliguntur ac proponuntur, notis semel terminis. Sed non ita se habet existentia Dei, quoad nos; non enim satis est Deum nominare ut statim eum existere videamus.

12. *Corollarium.* Probatio illa existentia Dei, non defectum, imò contra excessum ejus intelligibilitatis, et nostræ solùm rationis imbecillitatem argui. Porrò necessaria dici debet ætate hac nostrâ, cum a nonnullis vel ut dubitabilis habetur, vel rejicitur omnino, vel nomine tenus admittitur. Unde operæ est fundamentum ejus ritè statuere et ab adversariorum objectionibus vindicare.

13. *Obj. SS.* Patres ideam Dei animo nostro insertam, sive inseminatam esse dixerunt.

R. SS. Patres unanimi consensu docuerunt hominem ad Deum per creaturas, veluti per scalam quamdam, ascendere,

(1) Ad rem S. Thomas: « Hæc propositio: Deus est, quantum in se est, per se nota est, quia prædicatum est idem cum subjecto; Deus enim est suum esse. Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, et minus nota quoad naturam, scilicet per effectus. » (1^a, q. 2, a. 1, c).

et argumentum illud centies inculcaverunt; ergo verbis quæ obijciuntur nihil aliud sibi voluerunt nisi nos ex mundanarum rerum existentia ad Deum sponte assurgere ipsoque rationis sinceræ *naturali* impetu; sicque ideam Dei esse innatam *potentiâ et habitu*, ut ait S. Bonaventura, non tamen *actu*. Porro quæ spontaneo luminis naturalis usu apprehenduntur, naturaliter animæ *indita* dici solent. Hoc sensu D. Thomas: « Omnibus naturaliter insitum est, unde *possunt* pervenire ad cognoscendum Deum esse. » (*Qq. disp. de Verit.*, q. 10, a. 12, ad 1).

CAPUT II

DE NATURA ARGUMENTORUM QUIBUS EXISTENTIA DEI
PROBARI POTEST

14. *Status questionis*. Ex dictis in Logicâ (n. 294) duplex est demonstrationis genus, scilicet *a priori* et *a posteriori*. Prior obtinet cum aliquid probatur *ex ipsius causâ, vel intrinsecâ ratione*, posterior autem, e contrario, cum probatur *causa per ejus effectum*.

A demonstratione *a priori* potius nomine quam *re* discrepat ea quam recentes vocant *a simultaneo*. Hæc porro in eo est ut ex *ideâ* alicujus rei, *existentia* ejus inferatur, et *simul* ac menti occurrit *idea* rei, occurrat etiam ejus *realitas*.

Porro, perspicuum est existentiam Dei demonstratione *a priori* propriè dictâ probari non posse, cum, ex una parte, causam sui non habeat, et, ex alterâ parte, rationem ejus *intrinsecam* seu *essentiam* immediatè non apprehendamus, ut probatum est contra Ontologistas (*Anthrop.*, n. 187).

Restat igitur inquirendum utrum probari possit a *simultaneo*, an a posteriori duntaxat.

ARTICULUS I

Utrum existentia Dei probari possit a simultaneo.

15. Quæstio inter philosophos disputatur; affirmant recentes plures cum S. Anselmo, Cartesio et Leibnitio; negant scholastici omnes (Cf. S. Thom., 1^a, q. 2, a. 1, ad 2), et recentes quidam, inter quos Balmès (*Philos. fondam.*, t. 3, l. X, c. 1, n. 8).

16. *Assertio*: *Existentia Dei probari nequit a simultaneo*. Probatum quia talis demonstratio implicat transitum ex *genere ad genus*, scilicet transitum ex ordine *ideali* ad ordinem *realem*. Et ratio est quia adversarii sumunt pro initio suæ demonstrationis solam *ideam* Dei, ex quâ inferre volunt *realem* ejus existentiam. At verò attributum nequit esse alterius conditionis seu ordinis ac subjectum. Ubi ergo subjectum ponitur in ordine merè *ideali*, ut fit in casu, attributum in eodem quoque ordine versetur necesse est; sicut ergo ex *ideâ* circuli mathematici non eruunt nisi proprietates *ideales*, ita ex *ideâ* subjecti Deus inferre non licet nisi attributa ordinis *idealis*.

Nec obijciatur *ideas* nostras esse *objectivas*, ac proinde vi *ideæ* Dei, ejus existentiam merito concludi.

Nam facilis est *distinctio*. Omnis *idea* est *objectiva*, i. e. representat aliquod objectum *ideale* vel *reale, conc.*, representat necessariò objectum *reale, neg.*; v. g. *ideæ* circuli et *aliæ ideæ abstractæ*, si per seipsas *a priori* considerentur, non designant aliquid in naturâ existens, sed quid merè *ideale*. Ita porro in casu, se habet *idea* Dei, si tantum in suo conceptu inspiciatur (1).

(1) En argumenta quæ usurpant, ex *ideâ* Dei, S. Anselmus, Cartesius et Leibnitzius.

1^o Argumentatio S. Anselmi: Nominem Dei omnes intelligunt id quo majus cogitari nequit. Porro, id quo majus cogitari nequit, existit non tantum in intellectu, verum etiam extra intellectum. Si enim in intellectu tantum, non autem revera existeret, non esset id quo majus cogitari nequit. Nam majus est id quod existit in re et in intellectu, quam id quod

et argumentum illud centies inculcaverunt; ergo verbis quæ obijciuntur nihil aliud sibi voluerunt nisi nos ex mundanarum rerum existentia ad Deum sponte assurgere ipsoque rationis sinceræ *naturali* impetu; sicque ideam Dei esse innatam *potentiâ et habitu*, ut ait S. Bonaventura, non tamen *actu*. Porrò quæ spontaneo luminis naturalis usu apprehenduntur, naturaliter animæ *indita* dici solent. Hoc sensu D. Thomas: « Omnibus naturaliter insitum est, unde *possunt* pervenire ad cognoscendum Deum esse. » (*Qq. disp. de Verit.*, q. 10, a. 12, ad 1).

CAPUT II

DE NATURA ARGUMENTORUM QUIBUS EXISTENTIA DEI
PROBARI POTEST

14. *Status questionis*. Ex dictis in Logicâ (n. 294) duplex est demonstrationis genus, scilicet *a priori* et *a posteriori*. Prior obtinet cum aliquid probatur *ex ipsius causâ, vel intrinsicâ ratione*, posterior autem, e contrario, cum probatur *causa per ejus effectum*.

A demonstratione *a priori* potius nomine quam *re* discrepat ea quam recentes vocant *a simultaneo*. Hæc porrò in eo est ut ex *ideâ* alicujus rei, *existentia* ejus inferatur, et *simul* ac menti occurrit *idea* rei, occurrat etiam ejus *realitas*.

Porrò, perspicuum est existentiam Dei demonstratione *a priori* propriè dictâ probari non posse, cum, ex unâ parte, causam sui non habeat, et, ex alterâ parte, rationem ejus *intrinsecam* seu *essentiam* immediatè non apprehendamus, ut probatum est contra Ontologistas (*Anthrop.*, n. 187).

Restat igitur inquirendum utrum probari possit a *simultaneo*, an a posteriori duntaxat.

ARTICULUS I

Utrum existentia Dei probari possit a simultaneo.

15. Quæstio inter philosophos disputatur; affirmant recentes plures cum S. Anselmo, Cartesio et Leibnitio; negant scholastici omnes (Cf. S. Thom., 1^a, q. 2, a. 1, ad 2), et recentes quidam, inter quos Balmès (*Philos. fundam.*, t. 3, l. X, c. 1, n. 8).

16. *Assertio*: *Existentia Dei probari nequit a simultaneo*. Probatum quia talis demonstratio implicat transitum ex *genere ad genus*, scilicet transitum ex ordine *ideali* ad ordinem *realem*. Et ratio est quia adversarii sumunt pro initio suæ demonstrationis solam *ideam* Dei, ex quâ inferre volunt *realem* ejus existentiam. At verò attributum nequit esse alterius conditionis seu ordinis ac subjectum. Ubi ergo subjectum ponitur in ordine *merè ideali*, ut fit in casu, attributum in eodem quoque ordine versetur necesse est; sicut ergo ex *ideâ* circuli mathematici non eruunt nisi proprietates *ideales*, ita ex *ideâ* subjecti Deus inferre non licet nisi attributa ordinis *idealis*.

Nec obijciatur *ideas* nostras esse *objectivas*, ac proinde *vi ideæ* Dei, ejus existentiam merito concludi.

Nam facilis est *distinctio*. Omnis *idea* est *objectiva*, i. e. representat aliquod objectum *ideale* vel *reale, conc.*, representat necessariò objectum *reale, neg.*; v. g. *ideæ* circuli et *aliæ ideæ abstractæ*, si per seipsas *a priori* considerentur, non designant aliquid in naturâ existens, sed quid *merè ideale*. Ita porrò in casu, se habet *idea* Dei, si tantum in suo conceptu inspiciatur (1).

(1) En argumenta quæ usurpant, ex *ideâ* Dei, S. Anselmus, Cartesius et Leibnitzius.

1^o Argumentatio S. Anselmi: Nominem Dei omnes intelligunt id quo majus cogitari nequit. Porrò, id quo majus cogitari nequit, existit non tantum in intellectu, verum etiam extra intellectum. Si enim in intellectu tantum, non autem revera existeret, non esset id quo majus cogitari nequit. Nam majus est id quod existit in re et in intellectu, quam id quod

ARTICULUS II

Utrum existentia Dei probari possit a posteriori.

17. *Status quæstionis.* Demonstratio a posteriori Dei existentiam educit ex rebus mundanis quæ, quanquam post Deum existant, tamen prius a nobis apprehenduntur. Nam sanè, si ex omni reali ac noto effectu causa ejus probari potest, existentia Dei scientificè probari potest ex rebus mundanis, posito quod istæ nihil aliud sint nisi divinus quidam effectus.

Jam verò istiusmodi probatio quadruplex distingui potest, metaphysica nimirum, psychologica, cosmologica, et moralis : 1^a ex rerum mundanarum essentia, 2^a ex factis in animâ humanâ observatis, 3^a ex ordine adspettabilis hujus mundi 4^a ex hominum consensione et ex lege morali petitur.

in solo intellectu existit. Ergo si id quo majus cogitari nequit, existeret in solo intellectu, jam non esset id quo majus cogitari nequit; quod repugnat. Ergo ex notione ipsâ Dei, realis ejus existentia merito inferitur. (*Prolog.*, c. 2).

2^o Similiter Cartesius : Affirmari debet de re aliqua quidquid in ideâ clarâ ipsius continetur. Porrò in ideâ clarâ Dei, seu entis omnes perfectiones amplectentis, realis existentia continetur, cum hæc sit quedam perfectio (*Princip. Philos.*, p. 1, c. 14, et 5 *médit. metaph.*).

3^o Leibnitzius putat argumentum S. Anselmi et Cartesii esse tantum inchoatum, sed perfici posse, si probetur entis infiniti possibilitas. Nam, juxta eum, ex possibilitate entis infiniti concludi potest realis existentia, hoc pacto : Ens ex cujus essentia sequitur existentia, si est possibile, i. e. si habet essentiam, existit. Atqui Deus est ens ex cujus essentia sequitur existentia. Ergo Deus, si possibilis est, existit. — Jam si esset possibilis, nec tamen existens, non posset existere, sicque esset impossibilis. Sed Deus est possibilis. (*Pensées de Leibnitz, la démonst. Cart. de l'exist. de Dieu complétée*).

Argumenta prædicta celebrant recentes haud pauci, alii autem rejiciunt omnino, alii demum pro dubiis habent nec ad convincendos animos idoneis.

Porrò attendenti patet ea inniti solùm « in nomine », in ideâ clarâ « in possibilitate Dei, » ac proinde dumtaxat in ordine ideali versari, et ideo implicare transitum ex ideali ad reale, si inde realitas Dei inferri velit.

§ I. — De argumentis metaphysicis (1).

18. *Prænotanda.* Quatuor præcipua sunt argumenta metaphysica, quæ a D. Thomâ mutuabimur (Cf. S. Th., 1^a, q. 2, a. 3, c).

Præmonemus tantùm horum argumentorum eam directam non esse rationem, ut probent Deum infinitum esse, sed ut probent eum esse primum immobilemque motorem omnium quæ moventur; primam omnium rerum efficientem causam; ens necessarium et a seipso existens; atque unicum fontem omnis bonitatis quam diversam in diversis entibus admiramur.

Quod autem ad infinitatem Dei attinet, opportuniùs eam infra probandam suscipiemus, ubi de ipsius naturâ.

19. *Assertio 1^a : Existentia Dei probatur ex motu seu mutatione rerum materialium.*

Sic enim argumentari licet : Experientia constat entia mundana materialia moveri, sive mutari. Porrò quidquid movetur, ab alio movetur. Sed in causis moventibus non licet procedere in infinitum. Ergo deveniendum est ad aliquod primum movens, quod cætera moveat, quin ipsum moveatur (2).

Ut argumenti vis ineluctabilis habeatur tria sufficiunt : 1^o omne quod movetur ab alio moveri; 2^o deveniendum esse ad aliquod primum movens immobile. 3^o hoc movens immobile esse Deum. Atqui hæc tria, constant.

Constat 1^{um} tum experientiâ, tum ratione.

1. *Experientiâ.* Hæc enim nos docet ea quæ moveri videmus, non per seipsa moveri, sed per aliud quiddam immobile, ut declarari potest exemplo quod sumit D. Augustinus ex nostri corporis motu. Si enim diligenter attendamus quomodo cardines membrorum corporis nostri articulatim dispositi sint, et a quibus initia motionum nitantur, inferre licebit ea quæ per locorum spatia moventur, minimè moveri nisi ab illis quæ loco fixa sint. — Quippe digitus non movetur, nisi fixâ manu, nec manus, nisi fixo articulo cubiti, nec

(1) Cf. P. Monsabrè, Carême de 1873.

(2) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 98-101.

ARTICULUS II

Utrum existentia Dei probari possit a posteriori.

17. *Status quæstionis.* Demonstratio a posteriori Dei existentiam educit ex rebus mundanis quæ, quanquam post Deum existant, tamen prius a nobis apprehenduntur. Nam sanè, si ex omni reali ac noto effectu causa ejus probari potest, existentia Dei scientificè probari potest ex rebus mundanis, posito quod istæ nihil aliud sint nisi divinus quidam effectus.

Jam verò istiusmodi probatio quadruplex distingui potest, metaphysica nimirum, psychologica, cosmologica, et moralis : 1^a ex rerum mundanarum essentia, 2^a ex factis in animâ humanâ observatis, 3^a ex ordine adspettabilis hujus mundi 4^a ex hominum consensione et ex lege morali petitur.

in solo intellectu existit. Ergo si id quo majus cogitari nequit, existeret in solo intellectu, jam non esset id quo majus cogitari nequit; quod repugnat. Ergo ex notione ipsâ Dei, realis ejus existentia merito inferitur. (*Prolog.*, c. 2).

2^o Similiter Cartesius : Affirmari debet de re aliqua quidquid in ideâ clarâ ipsius continetur. Porrò in ideâ clarâ Dei, seu entis omnes perfectiones amplectentis, realis existentia continetur, cum hæc sit quedam perfectio (*Princip. Philos.*, p. 1, c. 14, et 5 *médit. metaph.*).

3^o Leibnitzius putat argumentum S. Anselmi et Cartesii esse tantum inchoatum, sed perfici posse, si probetur entis infiniti possibilitas. Nam, juxta eum, ex possibilitate entis infiniti concludi potest realis existentia, hoc pacto : Ens ex cujus essentia sequitur existentia, si est possibile, i. e. si habet essentiam, existit. Atqui Deus est ens ex cujus essentia sequitur existentia. Ergo Deus, si possibilis est, existit. — Jam si esset possibilis, nec tamen existens, non posset existere, sicque esset impossibilis. Sed Deus est possibilis. (*Pensées de Leibnitz, la démonst. Cart. de l'exist. de Dieu complétée*).

Argumenta prædicta celebrant recentes haud pauci, alii autem rejiciunt omnino, alii demum pro dubiis habent nec ad convincendos animos idoneis.

Porrò attendenti patet ea inniti solùm « in nomine », in ideâ clarâ « in possibilitate Dei, » ac proinde dumtaxat in ordine ideali versari, et ideo implicare transitum ex ideali ad reale, si inde realitas Dei inferri velit.

§ I. — De argumentis metaphysicis (1).

18. *Prænotanda.* Quatuor præcipua sunt argumenta metaphysica, quæ a D. Thomâ mutuabimur (Cf. S. Th., 1^a, q. 2, a. 3, c).

Præmonemus tantùm horum argumentorum eam directam non esse rationem, ut probent Deum infinitum esse, sed ut probent eum esse primum immobilemque motorem omnium quæ moventur; primam omnium rerum efficientem causam; ens necessarium et a seipso existens; atque unicum fontem omnis bonitatis quam diversam in diversis entibus admiramur.

Quod autem ad infinitatem Dei attinet, opportuniùs eam infra probandam suscipiemus, ubi de ipsius naturâ.

19. *Assertio 1^a : Existentia Dei probatur ex motu seu mutatione rerum materialium.*

Sic enim argumentari licet : Experientia constat entia mundana materialia moveri, sive mutari. Porrò quidquid movetur, ab alio movetur. Sed in causis moventibus non licet procedere in infinitum. Ergo deveniendum est ad aliquod primum movens, quod cætera moveat, quin ipsum moveatur (2).

Ut argumenti vis ineluctabilis habeatur tria sufficiunt : 1^o omne quod movetur ab alio moveri; 2^o deveniendum esse ad aliquod primum movens immobile. 3^o hoc movens immobile esse Deum. Atqui hæc tria, constant.

Constat 1^{um} tum experientiâ, tum ratione.

1. *Experientiâ.* Hæc enim nos docet ea quæ moveri videmus, non per seipsa moveri, sed per aliud quiddam immobile, ut declarari potest exemplo quod sumit D. Augustinus ex nostri corporis motu. Si enim diligenter attendamus quomodo cardines membrorum corporis nostri articulatum dispositi sint, et a quibus initia motionum nitantur, inferre licebit ea quæ per locorum spatia moventur, minimè moveri nisi ab illis quæ loco fixa sint. — Quippe digitus non movetur, nisi fixâ manu, nec manus, nisi fixo articulo cubiti, nec

(1) Cf. P. Monsabrè, Carême de 1873.

(2) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 98-101.

cubitus, nisi fixo articulo humeri, nec humerus, nisi fixâ scapulâ. — Item et planta in talo habet articulum, quo stante moveatur; et crus in genu, et totus pes in coxâ. Cùm verò ad ambulandum alius pes levatur, alius fixus totum fert corpus, donec ille qui motus est, immoto sui cardinis articulo, innitatur a loco unde fertur, ad locum ad quem fertur. (Cf. S. August., *De Genes. ad litt.*, l. 8, c. 41).

2. *Ratione. Actus et potentia se invicem excludunt*; quod enim est in potentia ad aliquid, eo caret; quod autem est in actu, eo fruitur. Porro, si aliquid seipsum moveret, esset simul in potentia et in actu, secundùm idem: esset in potentia, quatenus acciperet motum; et esset in actu, quatenus sese moveret; quocirca daret sibi aliquid quod non habet, nempe aliquam perfectionem, ad quam in potentia esse supponitur; v. g. si quod frigidum corpus daret sibi calorem, vel si quis homo ignarus daret sibi scientiam.

Constat 2^{um}, quia, docente Angelico, « si id a quo movetur (aliquid) moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum, quia sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquod aliud movens, quia moventia secunda non movent, nisi per hoc quòd sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet, nisi per hoc quòd est motus a manu. Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo moveatur; et hoc omnes intelligunt Deum. » (1^a, q. 2, a. 3, c).

Constat 3^{um}. Et sanè primum movens non potest esse materia, nec vis ulla materialis, cùm ab essentia materiæ non fluat motus, et a fortiori talis motus, cùm tali directione, tali celeritate. — Insuper, in mundo physico, omnia corpora duplici contrario feruntur motu: alio centrum petunt, alio fugiunt. Nam sublato priori, varia corpora extra sphaeras omnes dissociata vagarentur; sublato contrâ posteriori, in invicem impetu ruerent, frangerentur minora, et omnis demum cessaret motus. Porro hæ duæ adversæ vires mirum in modum sibi respondent et amicè conveniunt, ut debita servetur corporum distantia (id maximè in astris clarum

est) et universorum motuum harmonia perseveret. Primum itaque movens nec in primâ, nec in secundâ vi stat, sed in utriusque conjunctione; simplex igitur, imo utraque sit præstantius oportet, ut moderetur utramque.

Confirmatur quia, utpote immobile, est semper ac totum in actu, quod soli Deo convenit. Insuper plenum consilii sit necesse est, quippe quòd varios singularum rerum motus ad unum supremum finem, nempe ad universalem concentum dirigit (1).

20. Assertio 2^a : *Ex ordine causarum efficientium probatur existentia Dei.*

Invenire est in hoc mundo adspectabili ordinem causarum efficientium. Sed talis ordo causam primam improproductam arguit; et hanc dicimus Deum.

Prob. major ipsâmet experientiâ: e. g. is homo generatus est ab hoc homine, illud animal ab eo animali, et hæc arbor ab istâ arbore, et sic de aliis.

Prob. minor, quia aliàs induceretur progressus infinitus, vel circulus haberetur, quod repugnat. Si enim, rejectâ primâ et improductâ causâ, series infinita causarum et effectuum admitti velit, vel in lineâ rectâ, vel in lineâ circulari. At neutrum dici potest. — *Non 1^{um}*; quia, ut docet D. Thomas, « in omnibus causis efficientibus ordinatis, primum est causa medii, et medium est causa ultimi. » (1^a, q. 2, a. 3, c). Unde si procedatur in infinitum, non erit prima causa efficiens, et proinde nec secunda, quæ pendet a primâ, et eadem ratione non erit tertia, nec ulla alia. — *Non 2^{um}*; quia in hac hypothese, duo entia causa et effectus sibi mutuo forent. Pone circulum entibus, A, B, C, D, constare. A proximè generat B; B generat C; C autem generat D. Ergo A remotè generat D. — At D, in hoc circulo, generat A, et propterea D simul generat A, et ab ipso generatur; quod repugnat.

(1) Argumentum hoc ex motu, quod miris modis explanavit D. Thomas, primus adinvenit Aristoteles, quo docente, Deus omnia movet, præsertim ut causa finalis, quatenus est summum intelligibile et summum desiderabile, seu bonum. Sed intelligibile et desiderabile amantur, et proinde movent et ad se trahunt, quin ipsa moveantur. (*Metaph.*, l. XII, c. 7).

21. Assertio 3^a : *Ex contingentia rerum mundanarum probatur existentia Dei.*

Res mundanæ sunt contingentes; sed omne ens contingens præsupponit aliquid necessarium a quo esse habeat; et ens illud absolutè necessarium et a seipso existens vocamus Deum.

Prob. major, quia res mundanæ incipiunt, mutantur atque dissolvuntur; quod autem hujusmodi est, contingens sit oportet; nam ens necessarium non potest non esse, nec esse aliter atque est. Insuper, contingens dicitur cujus non-existentia non repugnat. Porro non repugnat non-existentia rerum mundanarum sive singularum, sive universarum. Quippe cogitari possunt non esse, quin aliquid absurdi sequatur.

Prob. minor, quia omne ens contingens per se indifferens est ad esse et ad non esse; unde existere nequit, nisi ad esse determinetur ab alio ente, et quidem ab ente non contingenti, sed necessario, quod a seipso existat. (Cf. *Ontol.*, n. 197).

22. Assertio 4^a : *Ex diversis perfectionis gradibus probatur existentia Dei.*

Quòd si varia mundi entia spectentur, a materiâ inertî ad hominem usque dupliciter ascendit et crescit perfectio, certâ gradatione ducta, cum ex specie ad speciem, ex genere ad genus, tum ex variis unius ejusdemque speciei individuis, quæ se præbent inæqualiter vera, pulchra, nobilia, et ita porro. Sed magis et minus dicuntur de diversis, quatenus diversè ad communem typum appropinquant, in ordine suo perfectum et absolutum, sicut corpora variè calida, vel illuminata, calorem ipsum et lucem præsupponunt. Nam quæ possident esse secundum varios gradus, illud habent per participationem, non autem ab essentiâ suâ, et ita esse habere debent ab aliquo ente quod sit per essentiâ suam, ac sit in omni ordine perfectissimum, seu maximè ens.

Hinc pulchrè D. Thomas : « Rudi exemplo manifestatur quòd omnia sunt a Deo creata. Constat enim quòd si aliquis intraret domum aliquam, et in ipsius domus introitu sentiret

calorem, postmodum interius vadens sentiret majorem calorem, et sic deinceps, crederet ignem esse interius, etiamsi ipsum ignem non videret qui causaret dictos calores : sic quoque contingit consideranti res hujus mundi. Nam ipse invenit res omnes secundum diversos gradus pulchritudinis et nobilitatis esse dispositas; et quantò magis appropinquat Deo, tanto pulchriora et nobiliora invenit. Unde corpora cœlestia pulchriora et nobiliora sunt quàm corpora inferiora, et invisibilia visibilibus; et ideo credendum est quòd omnia hæc sunt ab uno Deo, qui dat suum esse singulis rebus, et nobilitatè. » (*Symboli apost. expositio*, c. 3).

23. Obj. : Causa cognosci nequit ab effectu sibi non proportionato. Atqui mundus est effectus non proportionatus Deo. Ergo Deus ex mundo cognosci nequit.

R. dist. maj. Causa perfectè cognosci nequit quoad suam essentiâ, conc., quoad suam existentiam, et imperfectè quoad suam essentiâ, neg. Enimverò ab omni effectu existentia causæ demonstratur, eo quòd effectus causam supponit ex quâ pendet. Propterea, ex effectibus Dei possumus demonstrare ejus existentiam, tametsi ex iis essentiâ ejus perfectè cognoscere non possimus. — Quanquam, ut in Cosmologiâ ostendimus (n. 21), productio mundi ex nihilo, per creationem, causam virtute infinitam expostulat.

§ II. — De argumentis psychologicis.

Inter argumenta psychologica duo respondent argumentis metaphysicis, et ideo ea breviter referemus, cum ex principiis jam statutis explicentur; tria verò nituntur in factis animæ propriis.

24. 1^a Ex motu. Ex probatis (n. 19), quidquid movetur, ab alio movetur, et deveniendum est ad primum movens immobile, a quo moveatur. Atqui anima humana movetur, nam transit ex potentiâ ad actum, quoties aliquid facere incipit.

Movetur quidem *veritate*, quoad intellectum, et *bonitate*, quoad voluntatem. Sed, ut monet D. Thomas, veritas et boni-

tas *particularis* vim suam omnem, quâ movent animam, *per participationem* habent *exprimâ* veritate et *summâ* bonitate (1).

Præterea, oportet ut anima humana, perinde ac cæteræ res creatæ, *immediatè* a Deo moveatur; quod in præsentia satis sit insinuavisse, quoniam infra, ubi de immediato Dei *concursu*, evolvemus.

25. Nec *objectioni* est quod anima seipsam movet; ut enim statuimus in Anthropologiâ (n. 140-144), non movet seipsam, nisi postquam ab extrinseco fuit *mota*.

26. 2° *Ex contingenti*. Ex dictis (n. 24), omne ens contingens originem habet ab ente necessario. Sed anima humana non minùs contingens est quàm aliæ res *mundanæ*; quippe quæ ut ipsæ *incipit*, mutatur in dies et certâ quoque imperfectione laborat.

27. 3° *Ex fundamento veritatum necessariarum*. Sunt veritates quædam *necessariæ* et *absolutæ*; v. g. *quod est, est, quidquid incipit habet causam, totum est majus sua parte* et aliæ id genus permultæ. Idem etiam dixeris generatim de omnium rerum *essentiis*, quæcumque sint. Porrò veritates *necessariæ*, ut res ipsæ *contingentes*, rationem suam sufficientem habere debent. Sed eam non habent *in seipsis*, quia, utpote *ideales*, recipiantur necesse est in aliquo intellectu; nec in *rebus externis*, quæ sunt *merè contingentes*; nec in *hominis intellectu*, qui e contra ab illis *mensuratur* suorumque *judiciorum regulam* ac *normam* accipit. Deveniendum est ergo ad intellectum quemdam *necessarium*, ac proinde ad ens a seipso *subsistens*, in quo rationem suam sufficientem, vel *fundamentum* habeant veritates *necessariæ* (2) (Cf. *Ontol.*, n. 30).

Hoc est argumentum quo ad existentiam Dei probandam

(1) « Sicut secundarium agens non agit, nisi per virtutem primi agentis existentem in ipso, ita secundarius finis non appetitur, nisi per virtutem finis principalis in eo existentem, prout scilicet est ordinatum in illud, vel habet similitudinem ejus. Et ideo, sicut Deus, propter hoc quod est primum efficiens, agit in omni agente, ita propter hoc quod est ultimus finis, appetitur in omni fine. » (*Qq. dispp.*, q. 1, c.); cf. Arist. *Ethic.*, l. VII, c. 14, § 22.

(2) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 4, p. 101 et ss.

potissimum usi sunt S. Augustinus, S. Bonaventura et Leibnitzius et ad quod S. Thomas (in 3° argum.) alludere videtur. — Cæterum, omnino differt ab *ontologistarum* argumento, utpote quod probat veritates *necessarias* fundamentum suum ultimum in Deo habere, non autem a nobis in Deo videri. Eas quippe ex rebus per abstractionem colligimus, sed earum rationem sufficientem non invenimus nisi in Deo.

28. 4° *Ex inclinationibus intellectûs ac voluntatis* (1). De prioribus sic præclarè D. Thomas: « Naturaliter inest omnibus hominibus desiderium cognoscendi causam eorum quæ videntur... Nec sistit inquisitio, quousque perveniatur ad primam causam, et tunc perfectè nos scire arbitramur, quando primam causam cognoscimus. Desiderat igitur homo *naturaliter* cognoscere primam causam, quasi ultimum finem. » (*Cont. Gent.*, l. III, c. 25 et 1^a, q. 12, a. 1).

Hoc autem desiderium, cum sit naturale, inane esse non potest, ac proinde probat existere debere causam primam, seu Deum.

De posterioribus autem sic argumentari licet: Voluntas humana, intellectu illuminata, naturaliter desiderat beatitudinem, quæ in bono *universali* consistit. Porrò, cum omnia hujus mundi bona, particularia, et ideo imperfecta sint, eam in illis nec *singulis*, nec *omnibus* invenit; quare anhelat ad *infinitum*; quod si non attingit, *inquietam* se ac *vacuam* et *miseram* experitur (2). — Sed inclinatio *naturalis* erronea esse nequit, et ideo inclinatio de quâ nunc probat existentiam Dei, sub conceptu *boni* perfecti, a quo demum impletur. (Cf. 1^a 2^o, q. 2, a. 8).

29. 5° *Ex unione animæ et corporis*. Ex dictis in Anthropologiâ, inter animam et corpus viget unio *substantialis*.

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part., c. 3, § 7.

(2) Je ne puis, malgré moi l'infini me tourmente.

Si mon cœur fatigué du rêve qui l'obsède,

A la réalité revient pour s'assouvir,

Au fond des vains plaisirs que j'appelle à mon aide,

Je trouve un tel dégoût que je me sens mourir.

(Musset, *Poésies nouvelles*, l'Espoir en Dieu).

Porrò neque corpus animæ, neque anima corpori sese ita sociavit; sed illa duo entia, *materia* nempe ac *spiritus*, cùm naturâ separata sint et dissociabilia, uniri non potuerunt nisi ab eo qui utrumque creavit. — *Confirmatur*, quia inter ea duo entia mirabilis viget *concentus*, ita ut alterum alteri optimè respondeat, et corpus animæ ritè subordinetur. — Quòd si nonnunquam passiones in rationem insolescunt, iis tamen resistere voluntas potest easque suo coercere imperio, dum apud cætera animalia, passiones impetum naturæ sequuntur et principatum exercent.

§ III. — De argumento physico sive cosmologico, vel teleologico (1).

Argumentum physicum, ut supra innuimus, ex ordine et pulchritudine mundi declaratur.

30. *Hujus argumenti generalis expositio.* Sic dilucidè D. Thomas: « Quinta via sumitur ex gubernatione rerum. « Videmus enim quòd aliqua quæ cognitione carent, scilicet « corpora naturalia, operantur propter finem. Quod apparet « ex hoc quòd semper aut frequentius eodem modo operan- « tur, ut consequantur id quod est optimum. Unde patet « quòd non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. « Ea autem quæ non habent cognitionem, non tendunt ad « finem, nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, « sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a « quo omnes res naturales ordinantur ad finem; et hoc dici- « mus Deum. » (1^a, q. 2, a. 3, c) (2).

(1) Cf. Tullius, *De naturâ Deorum*; S. Athanasius, *In sermone ad Græcos*; Fenelonius, *De l'exist. de Dieu et de ses attributs*, part. I. — Cf. etiam opus nostrum: *L'Idée du Beau*, 2^o part., c. 2, et: *le Kantisme et le Positivisme*, c. 7.

(2) Jam si quinque argumentorum D. Thomæ *analysim* vel *partitionem* quæramus, duplex occurrit. Prima sic se habet: Res mundanæ spectari queunt vel singulæ, vel ad invicem comparatæ. Si prius, substantiæ mundanæ *moventur*, *incipiunt* et *subsistunt*: unde tria quærere licet: quis eas moveat? (1^{um} argum.); unde suam habeant originem? (2^{um}); quâ ratione subsistant, contingenter an necessario? (3^{um}). — Si posterius, mirari est *gradationem* quâ crescit earum perfectio, et earum *ordinem*, ad quem earum operationes conspirant (4^{um} et 5^{um} argum.). Ita P. Monsabrè.

Scilicet quoniam non homines tantum qui intelligentiâ pollent, verum etiam cætera entia, ratione quanquam destituta, rationem tamen prudentiamque in actibus suis sequuntur, existat oportet intellectus aliquis summus ac providus qui ea moderetur et ad finem etiam inscia perducatur.

31. *Hujus argumenti fusior explanatio.* Ad hunc syllogismum potest revocari: *ordo* requirit *ordinatorem*, et perfectus ordo requirit *ordinatorem* sapientissimum. Porrò in hoc mundo adspectabili invenitur ordo, et quidem perfectissimus. Ergo admittendus est sapientissimus ordinator, quem dicimus Deum.

Probatur *major*, quia ordo supponit *finem* et *media* ad hunc finem attingendum aptè disposita et proportionata; supponit adhuc dispositionem non *accidentalem*, sed *fixam* et *constantem*; hæc autem non magis explicari possunt sine ordinator, quàm horologiium sine artifice.

Minor autem constat ex ipsâ rerum mundanarum observatione, tum ex *primo* aspectu pulchritudinis quæ relucet in mundo *universo*, et speciatim in cælo, terrâ et mari; tum ex *scientificâ* consideratione *simplicitatis* et *universalitatis* legum quibus mundus regitur, necnon præclaræ harmoniæ cujusque entis vel minimi.

Porrò, ne simus infiniti, duo tantum breviter præstabimus,

— Altera partitio sic institui posset: In rebus mundanis inspicere potest *origo*, *perfectio*, *finis*. — In origine, productio ipsa, producens et productum, quæ tale. Productio porrò quæcumque nobis innotescit experientiâ, transitus est a potentia ad actum, atque ideo arguit *primum movens immotum*. — Producens autem est *causa efficiens*, orta ab alterâ causâ, et ita deinceps donec in primâ sistatur. — Productum, quæ tale, se prodit secundum se indifferens ad id ut sit aut non sit, possibile igitur, contingens, ergo indigens *ente necessario* quod sit a se. — Rerum autem adspectabilium *perfectio* magis et minus habet, non maximè, *gradus* itaque varios, finitos. Non ergo perfectio subsistens, sed *participata*; igitur a perfectione maximâ, subsistente. — Argumentum 5^{um} ex *fine* repeti planum est.

Planum est autem dicta quinque argumenta id habere commune quod singula nitantur in aliquo *facto* ab experientiâ dato, æquè utantur principio causalitatis, et similiter deveniant ad ens primum, absolutè necessarium. Quia verò nituntur facto diverso, ens primum sub aspectu etiam diverso exhibent.

nimirum : 1° exponemus argumentum petitum ex harmoniâ cujusque entis; et 2° argumentum sumptum ex ordine universi.

32. I. Expositio generalis argumenti ex harmoniâ cujusque entis.

Ut harmonia in aliquo ente corporeo efflorescere possit, tria requiruntur : 1° Inesse illi certum finem ; 2° organa seu instrumenta ad hunc finem obtinendum aptè proportionata ; 3° esse convenientiam inter necessitates physicas ac temperamentum ejus, et conditionem locorum in quibus naturâ collocatum est. Porro, experienciâ teste, tria ista in quovis ente, maximè verò in entibus organicis, mirari licet (1). — Considera quamlibet plantam, quodlibet animal ; exhibebit tibi finem certum, toti viventi communem, ad quem attingendum conspirant organa plura, diversa et complexa. Porro dispositio illa et mirabilis concentus diversorum organorum ad finem quemdam unicum et communem explicari minimè potest, nisi ab intelligentiâ, viventi extrinsecâ, quæ varias viventis partes ad invicem ordinaverit et tendere cogat ad finem ipsis destinatum.

Quod autem dicitur de variis organis, quatenus in unum finem communem conspirant, dici etiam debet de singulis, quatenus ad proprium sibi finem tendunt, et sic ex singulis novum argumentum colligitur.

Omnium loco, brevitatâ causâ, sit exemplum sumptum ex oculo et ex manibus.

33. Argumentum ex harmoniâ oculi.

1. Quod si oculi est lumen videre, inter ipsum et lucem certa requiritur proportio. Porro ita se res habet. Hæc est enim oculi *structura*, ut perspicendiæ luci adamussim conformetur; et hæc est lucis *natura*, ut in oculum commodè sese insinuet. Itaque lux est res quædam vi cujus corpora visibilia fiunt, si modò ei e regione responderet organum aliquod optices tali ratione concinnatum. Jam organum illud existit; oculum vocant. Item, oculus est organum

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 7, p. 221-230.

quoddam quod res externas intueri posset, si modò extra ipsum foret ens aliquod unde illæ visibiles fierent. Ens illud existit; lucem vocant. — Lux occurrit oculo hac arte proportionata, ut nec nimia sit, nec minor æquo; si major esset, uret oculos; si minor, res ipsas non satis illustraret. Ergo mirum in modum et oculus luci, et lux oculo respondet. — Attamen duæ istæ res, oculus nimirum et lux, ex unâ parte, sibi invicem *alienæ* sunt et habent propriam *independentemque* naturam; et, ex aliâ parte, altera alteram non condidit, imò altera alteram ignorat, ac proinde alteri altera nec ex suâ naturâ potuit conformari, nec sese potuit conformare. — Ergo supra oculum et lucem existit ens aliquod summè intelligens, quod utriusque intimam naturam callet, quodque et oculum ad lucem, et lucem ad oculum destinavit.

Confirmatur loco quem oculi apud hominem occupant, ut Tullius ait eleganter : « Sunt enim homines, non ut incolæ atque habitatores, sed quasi *spectatores* rerum caelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes ac *nuntii* rerum, in capite tanquam in *arce*, mirificè ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tanquam speculatores, altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. » (*De Natura Deor.*, l. II, n. 36).

34. Argumentum ex harmoniâ manuum.

2. Sic pergit Tullius : « Quàm verò *aptas* quamque *multarum artium* ministras manus natura homini dedit! Digerum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad sculpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiaram apta manus est, admotione digitorum. Atque hæc *oblectationis* : illa *necessitatis* : cultus dico agrorum, exstructionesque tectorum, tegumenta corporis vel texta, vel suta, omnemque fabricam æris et ferri; ex quo intelligitur, omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possimus; urbes, muros, domicilia, delubra habemus. » (*Loc. cit.*, n. 40) (1).

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^e part., c. 1, p. 165, 166.

Jure igitur Aristoteles manum appellavit *organum organorum*.

35. II. *Expositio generalis argumenti ex ordine mundi universi.*

Ex dictis in Cosmologiâ, triplex est ordo mundanus, videlicet: 1^{us}, quo res variæ ac dissimiles harmonicum in modum gradatim copulantur et debitum locum occupant; 2^{us}, quo aliæ in alias agunt; 3^{us} demum, quo aliæ aliis mirâ proportionem respondent et in finem serviunt.

Porro hæc argumento sunt *finalitatem* non esse, ut quidam recentes volunt, rebus *immanentem*, sed iis a causâ *extrinsecâ*, et quidem *sapientissimâ* dari et conservari. Pulchrè S. Thomas: « Impossibile est aliqua *contraria et dissonantia* in *unum ordinem concordare semper, vel pluries*, nisi alicujus gubernatione, ex quâ omnibus et singulis tribuitur ut ad certum finem tendant. Sed in mundo videmus res diversarum naturarum in unum ordinem concordare, non ut rarè, et a casu, sed ut semper, vel in majori parte. Oportet ergo esse aliquid, cujus providentiâ mundus gubernetur, et hoc dicimus Deum. » (*Cont. Gent.*, l. 1, c. 13).

Sed juvat quædam *speciatim* innuere de ordine ac pulchritudine cæli, terræ et maris, ex quibus orbis ipse coalescit.

36. 1^o Ut primum de cælo dicamus, mirari licet infinitam astrorum multitudinem et magnitudinem, fulgorem incredibilem, distantiam sapientissimè institutam, celerrimos, constantissimos et maximè ordinatos motus (1), ac successionem illam diei et noctis, quæ hominibus, ut par est, alternam vicissitudinem præbet *laboris et quietis*. Hinc mirabundus Psaltes: « *Cæli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* » (*Ps.* XVIII, 1).

37. 2^o Terra autem plurimâ exhibet quæ sapientiam conditoris celebrent (2); — 1 enim optimè electus est ejus *situs* respectu solis, ut nec propior sit, nec ab eo remotior; si enim in Mercurii regionibus esset constituta, mox universali incendio deflagraret; si autem versus Jovem planetam trans-

(1) Cf. Newton, *Lettres au docteur Bentley*, 1^{re} lettre.

(2) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^o part. c. 2, § 2.

ferretur, jam a sole nimis dissita frigore torpesceret, glacieque perpetuâ tum fluviorum, tum maris aquæ constringerentur. — 2 Convenientissimâ prædita est *constitutione*, ut sit aptissimè *solida*; si enim magis vel minus solida foret, vel sterilis, vel perquam mobilis evaderet. — 3 Incredibili gaudet *fœcunditate*, quæ non tantum superet hominum *necessitates*, sed rerum præstet *copiam ac delicias*; hæc autem oritur ex ingenti entium multitudine simul ac discrepantiâ, cum quæque res pro genere suo et vario situ suum ac diversum fructum gignat; cui accedunt reconditæ auri argentique venæ, et infinita vis marmoris. — 4 Huc etiam spectant anniversariæ temporum *vicissitudines*, quæ constanti ordine *ver hiemi, autumnum æstati* succedere volunt, cum summâ salute rerum omnium. — 5 Accedit pulcherrimus *ornatus*, cum terra vestita sit herbis, floribus, arboribus, animantibus ex infinito propè genere; « quorum omnium, ut ait Tullius, multitudo *insatiabili varietate distinguitur.* »

38. 3^o Multa quoque sunt in mari mirabilia, sive stet placidum ventis, sive in furentes undas sese attollat, quin tamen præfixos sibi a Creatore terminos unquam prætergrediatur.

Hoc stupendâ suâ immensitate immensitatem ipsam Dei in animum revocat. — Hoc varietatem insularum, amœnitates orarum et littorum generat, belluarumque innantium, partim submersarum, partimque fluitantium genera disparia; ipsum, ut Tullius notat, sic terram appetens littoribus alludit, ut una ex duabus natura conflata videatur. — Ipsum denique vasta illa gentium *via* est, quæ varios homines, quantumvis locorum intervallo separatos, in unam societatem congregat.

Ex mundanis igitur rebus tum *singulis*, tum *universis* consideratis, concludere jam liceat cum S. Bonaventurâ: « Hoc « nomen Dei *scriptum* est in *omnibus* rebus, » vel cum poeta:

Omnia plena Dei; quis te, Deus, esse negabit?

39. *Corollarium.* Ex dictis sequitur mundum sub duplici

Jure igitur Aristoteles manum appellavit *organum organorum*.

35. II. *Expositio generalis argumenti ex ordine mundi universi.*

Ex dictis in Cosmologiâ, triplex est ordo mundanus, videlicet: 1^{us}, quo res variæ ac dissimiles harmonicum in modum gradatim copulantur et debitum locum occupant; 2^{us}, quo aliæ in alias agunt; 3^{us} demum, quo aliæ aliis mirâ proportionem respondent et in finem serviunt.

Porro hæc argumento sunt *finalitatem* non esse, ut quidam recentes volunt, rebus *immanentem*, sed iis a causâ *extrinsecâ*, et quidem *sapientissimâ* dari et conservari. Pulchrè S. Thomas: « Impossibile est aliqua *contraria et dissonantia* in *unum* ordinem concordare *semper*, vel *pluries*, nisi alicujus gubernatione, ex quâ omnibus et singulis tribuitur ut ad certum finem tendant. Sed in mundo videmus res diversarum naturarum in unum ordinem concordare, non ut rarè, et a casu, sed ut *semper*, vel in *majori* parte. Oportet ergo esse aliquid, cujus providentiâ mundus gubernetur, et hoc dicimus Deum. » (*Cont. Gent.*, l. 1, c. 13).

Sed juvat quædam *speciatim* innuere de ordine ac pulchritudine cæli, terræ et maris, ex quibus orbis ipse coalescit.

36. 1^o Ut primum de cælo dicamus, mirari licet infinitam astrorum multitudinem et magnitudinem, fulgorem incredibilem, distantiam sapientissimè institutam, celerrimos, constantissimos et maximè ordinatos motus (1), ac successionem illam diei et noctis, quæ hominibus, ut par est, alternam vicissitudinem præbet *laboris et quietis*. Hinc mirabundus Psaltes: « *Cæli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* » (*Ps.* XVIII, 1).

37. 2^o Terra autem plurimâ exhibet quæ sapientiam conditoris celebrent (2); — 1 enim optimè electus est ejus *situs* respectu solis, ut nec propior sit, nec ab eo remotior; si enim in Mercurii regionibus esset constituta, mox universali incendio deflagraret; si autem versus Jovem planetam trans-

(1) Cf. Newton, *Lettres au docteur Bentley*, 1^{re} lettre.

(2) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^o part. c. 2, § 2.

ferretur, jam a sole nimis dissita frigore torpesceret, glacieque perpetuâ tum fluviorum, tum maris aquæ constringerentur. — 2 Convenientissimâ prædita est *constitutione*, ut sit aptissimè *solida*; si enim magis vel minus solida foret, vel sterilis, vel perquam mobilis evaderet. — 3 Incredibili gaudet *fœcunditate*, quæ non tantum superet hominum *necessitates*, sed rerum præstet *copiam ac delicias*; hæc autem oritur ex ingenti entium multitudine simul ac discrepantiâ, cum quæque res pro genere suo et vario situ suum ac diversum fructum gignat; cui accedunt reconditæ auri argentique venæ, et infinita vis marmoris. — 4 Huc etiam spectant anniversariæ temporum *vicissitudines*, quæ constanti ordine *ver hiemi, autumnum æstati* succedere volunt, cum summâ salute rerum omnium. — 5 Accedit pulcherrimus *ornatus*, cum terra vestita sit herbis, floribus, arboribus, animantibus ex infinito propè genere; « quorum omnium, ut ait Tullius, multitudo *insatiabili varietate distinguitur.* »

38. 3^o Multa quoque sunt in *mari* mirabilia, sive stet placidum ventis, sive in furentes undas sese attollat, quin tamen præfixos sibi a Creatore terminos unquam prætergrediatur.

Hoc stupendâ suâ immensitate immensitatem ipsam Dei in animum revocat. — Hoc varietatem insularum, amœnitates orarum et littorum generat, belluarumque innantium, partim submersarum, partimque fluitantium genera disparia; ipsum, ut Tullius notat, sic terram appetens littoribus alludit, ut una ex duabus natura conflata videatur. — Ipsum denique vasta illa gentium *via* est, quæ varios homines, quantumvis locorum intervallo separatos, in unam societatem congregat.

Ex mundanis igitur rebus tum *singulis*, tum *universis* consideratis, concludere jam liceat cum S. Bonaventurâ: « Hoc « nomen Dei *scriptum* est in *omnibus* rebus, » vel cum poeta:

Omnia plena Dei; quis te, Deus, esse negabit?

39. *Corollarium.* Ex dictis sequitur mundum sub duplici

aspectu nobis occurrere, scilicet ut ingentem *machinam* simulque ut eximium *poema*: ut machinam, in quâ infinitæ partes optimè aliæ aliis cohærent suamque singulæ habent *utilitatem*; ut poema, quod totum ad *harmoniam* et *pulchritudinem* conspirare videtur. Conditor ergo rerum mundanarum simul declarat se attentum *procuratorem*, et ingeniosissimum *artificem*; quæ munera in unum componere admodum difficile est.

40. *Obj. 1^o*: Materia ex se habet sufficientem sui rationem; harmonia autem et ordo ex ipsâ tanquam essentielles proprietates fluunt.

R. Objectio ista certioribus philosophiæ dogmatibus adversatur, ut colligere est ex allatis argumentis. Quia verò proponi solet nomine *scientiæ recentis*, juvat eam illâ etiam ex parte refellere (1).

Enimverò, materia quæ ex se rationem sui sufficientem habere et necessariis prædita esse proprietatibus supponitur, haud quit producere ordinem qui certam *originem* habeat, certam *evolutionem* certumque *finem*. Sed 1^o ex astronomicis theoriis et geologicâ observatione constat ordinem mundi *presentem* non esse nisi unum *momentum* certæ *evolutionis*, quæ suum habuerit *initium* et ad *finem* properet. Si enim generatim accipiatur sententia celebris Laplace, astra successivè induunt vicem *nebulosæ*, solis candentis, planetæ solidi corticis liquorem igneum abscondentis, exiccatæ lunæ, quæ demum frangi fortasse debeat in *aerolithica* fragmenta.

Insuper, nobis ostendit *geologia* explicationem vitæ parallelam formationi successivæ variæque temperiei crustæ terrestri. Cum autem ista evolutio juxta determinatam rationem sese explicet, necessaria fuit causa *extrinseca*, quæ materiam in capite evolutionis suæ constitueret: hanc autem causam dicimus Deum.

2^o Si fides legibus quibus subest *επεργεια* transmutatio, identica remanet, in physico mundo, *summa επεργεια* tum *virtualis*, tum *actualis*. Quia tamen *επεργεια* virtualis in calo-

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^o part. c. 2, p. 224, 225.

rem omnino se potest transmutare, dum *actualis επεργεια* in virtualement omnino transmutari non valet, propter collisus et attritus qui partem ejus in calorem mutant, necessariò sequitur augeri continuo *επεργειαν* actualement caloris, *επεργειαν* autem virtualement imminui. Propterea, tempus erit cum, universâ mundi *επεργεια* in actualement *επεργειαν* caloris immutatâ, cesset necesse est omnis transformatio, et proinde *motus* visibilis omneque phænomenon; siquidem omne phænomenon physicum per motum absolvitur. (Cf. Tait, *Théorie thermodynamique de la chaleur*, trad. de l'abbé Moigno, p. 83).

Sed, ex aliâ parte, summa *επεργεια* mundi physici necessarios habet limites. Ergo, quia nondum finita est evolutio, initium habere debuit. Ergo, ulterius, actualis materiæ ordo ducit originem ex causâ *extrinsecâ extranaturali*, quæ revera sit auctor *επεργειας* virtualis: et causam hanc dicimus Deum (1).

41. *Obj. 2^o* In mundo inveniuntur entia minima, inutilia, imò nociva. Sed hæc probant mundi causam ordinaricem esse imperfectam.

R. *conc. 1^{am} part. maj.*; *neg. 2^{am} et 3^{am}, neg. min.*

1^o Equidem sunt in mundo ut maxima, ita etiam minima entia. Sed enim illud non tantum ordini haud repugnat, verum etiam consonat apprimè, quia cedit in infinitam rerum varietatem. — Insuper, ipsa illa minima, ut vocant, entia, incredibilem pulchritudinem præ se ferunt. Nam quanquam minima sint, innumeris tamen, ordinaricissimis et alfabrè concinnatis partibus instruuntur. Hinc notissimus versiculus ille:

Maximus in minimis cernitur esse Deus. ®

Hinc etiam S. Augustinus: « Omnipotens manus tua, semper una et eadem, creavit in cœlo angelos, in terrâ vermiculos: non superior in illis, non inferior in istis. » (*Soliloq.*,

(1) Ita de Lapparent, *Disc. sur les enseignem. philos. de la science*, Bertin, *Rapport officiel sur les progrès de la thermo-dynamique en France*, p. 81, imprim. impériale, Tait, Duprè et Clausius.

c. 9). — « Deus creat minima corpore, actua sensu animantia, ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quàm magnitudinem jumentî gradientis, ampliusque miremur opera formicularum, quàm onera camelorum. » (*De Genes., ad litt., I. 3, c. 14*).

2° Nullum ens propriè inutile, vel noxium dici potest; ac si quædam inutilia vel nociva videantur, ignorantia nostræ imputandum est; quippe quidem, si forte inutilia vel nociva sint *secundum quid*, tamen, sub alio respectu, certam utilitatem habent, et ad ordinem universi faciunt; v. g. « venena ipsa, convenienter adhibita, medicamenta in salubria vertuntur. » (S. August. *De civ. Dei*, l. xi, c. 22).

42. Nos autem de multis rebus mundanis sincerè judicare non valemus, sive quia scientia nostra de illarum naturâ fineque manca est admodum; sive quia in uno temporis ac spatii puncto constituti, ipsam universi rationem nexumque variarum rerum non callemus. Sicut enim de alicujus gentis moribus vel historiâ planè judicare nequit qui partem ejus duntaxat notam habet, ita, imò a fortiori, de orbe universo, qui plura de ipso ignorat quàm cognoscit. — Cæterum, quò magis proficit humana scientia, eo magis rerum mundanarum rationem ac finem invenit.

Si ergo, ut clarè argumentatur S. Augustinus, supremi artificis peritiam non habemus, at saltem habeamus considerationem hominis; nec vituperet ignorantia nostra divinam artem quæ ultra ipsam excedit. « Si intrares forte in officium fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem, nescientem quid, quare sit, et omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, et habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? non sine causâ folles hoc loco positi sunt; artifex novit quare, etsi ego non novi. In officinâ non audeo vituperare fabrum, et audeo reprehendere in hoc mundo Deum. » (*De Genes., ad litt., I. 3, c. 21*) (1).

(1) Quidam negant res mundanas et earum organa aptari, vel saltem decenter aptari ad finem. Quatuor præsertim movere solent objectiones: 1° Sæpe idem organum plures functiones implet, aut vicissim, plura or-

§ IV. — De argumentis in gratiam existentia Dei moralibus.

43. Argumentum morale duplex distinguitur, prout sumitur ex populorum consensu, vel ex lege morali.

44. Assertio 1^a: Consensu populorum probatur existentia Dei.

gana unam functionem. — R. Hoc non fit casu, sed ex certâ intentione; quamdiu enim unum sufficit medium vel organum, paucis per immutatum, æquum est (id enim œconomica lex postulat) ut illud ad functiones plures adhibeat natura; cum e contra, novæ conditiones functionis alicujus difficultatem majorem faciunt, par est ut ad eam plura media vel organa adhibeantur.

2° Sunt quædam organa, alia quidem completa, alia autem incompleta, quæ ad nullos usus prosunt. — R. Priora, in recenti scientiæ statu, sunt quàm paucissima; multa autem, etsi animalis vitæ haud necessaria, aliquam tamen ei utilitatem afferunt; nec satis, ut jure notat Darwin, nota nobis est intima ejusque viventis œconomia, ut decernere semper liceat quæ mutationes majoris, quæ minoris momenti sint. Imò nonnullæ proprietates, ut color, quæ primùm tenues erant habitæ, re maturiùs observatâ, re ipsa certis entibus utiles probatæ fuerunt. Quare, si lex utilitatis et organorum accommodationis in *infinitis* casibus manifestam se præbet, exceptiones, si quæ forte esse videntur, ignorantia nostræ debent imputari.

— Quòd attinet ad organa posteriora, nempe *incompleta et inchoata*, numerosiora quidem sunt quorum latere videtur finis; sed invocari potest *unitas typi*, ut proponit Geoffroy-Saint-Hilaire; typum enim eundem servando, natura vel amplificare, vel invertere potest, vel proportionem immutare, ut variè accomodet. — Cæterum, in certis casibus, recurrere licet, cum Darwin, ad *atrophiâ* organorum, exercitio deficiente.

3° Quædam organa viliosum aut noxium in modum videntur aptata. — R. Aliquando aptatio illa potius incompleta, quàm nulla dici debet. — In aliis casibus manifesta est, sed mutari potuerunt circumstantiæ vel conditiones. — Præterea, viventia pendent a conditionibus externis physicis in quibus versantur, nec potest natura solam eorum utilitatem propriam spectare, sed attendere etiam debet ad leges generales quæ interdum, per accidens obstat queunt exclusorio viventium commodo. Quare entis organici conditio mediâ, ut ita dicam, se habet inter entis illius commodum, quod talem structuram postularet, et leges generales causarum et effectuum, quæ structuram hanc possibilem faciunt; inde accidit in ipso vivente, mixtio quædam *mechanismi* et *finalitatis*.

4° Alia objectio sumitur ex *monstris*. — R. Ipsa monstra dividuntur in certa genera vel species, sicque formant ordinem quemdam *teratologicum*, juxta ordinem consuetum quem intendit natura. — Nascuntur

Sic enim argumentari licet : Populi omnes in admittendâ existentia Dei semper convenerunt et conveniunt etiam nunc. Sed talis consensus non potest esse nisi veritati consentaneus.

1° In *majore* probandâ, quæstio non agitur utrùm populi nihil unquam erroris admiserint circa *naturam* Dei infinitè perfectam, sed utrùm receperint *existentiam* entis cujusdam supremi, æterni, a seipso existentis, mundi conditoris aut saltem gubernatoris, cui ab hominibus adoratio debeatur.

Porrò, hoc sensu accepta *majore* historicè constat sive ex scriptorum diversorum tempore ac regione, sive ex viatorum concordia testimonio. — Famosiora tantùm, et ea maxime quæ *veterum* populorum religionem declarant, testimonia referemus, propterea quòd tum prædicatores Evangelii, tum plurimi qui gentes cunctas *recentes* adierunt, certissimam hæc de re faciunt fidem. — « Si terras obeas, ait Plutarchus ad-
« versus Coloten, invenire possis urbes muris, litteris, legi-
« bus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum
« et theatrorum nescias; urbem templis, diisque carentem,
« quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bono-
« rum causâ sacrificet, non mala sacris avertere nitatur,
« nemo unquam vidit. » — Tullius autem hæc habet : « Nulla
« gens est tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum
« haberi deceat, tamen habendum sciat. » (*De Legibus*, l. 1, c. 8). — Ad hunc etiam consensum appellant Patres et Ecclesiæ scriptores, ac præsertim Clemens Alexandrinus (*Strom.*, l. v, n. 260); Tertullianus (*Adv. Marcion* l. 1, c. 10); Lactantius (*Div. Institut.*, l. 1, c. 2); Augustinus (*Tract.* 106 in *Joann.*, n. 4); Chrysost. (*in psalm.* XIII).

monstra ex conflictu qui occurrit inter entia organica et agentia externa physica; unde accidit ut quædam a normâ sua deviant. — Insuper, si natura foret, ut volunt quidam, indifferens inter ordinem et ejus perturbationem, monstrorum numerus non esset exceptio insolita, sed eventus *frequentis* haberet rationem. — Demùm, complexio illa diversorum entium, quæ causa est cur nonnulla monstra per accidens oriantur, cedit ipsa in bonum majus, nempe in legum naturæ simplicitatem atque universalitatem. (Cf. P. Janet, *Les causes finales*, l. 1, c. 5, et opus nostrum *Le Kantisme et le Positivisme*, c. vii, p. 235 et ss.)

Accedit testimonium vel *poetarum*, vel *historicorum*, qui ubi variarum gentium exordia aut facta describunt, declarant eas in asseverandâ existentia Dei convenire, tametsi quoad alia pleraque discrepent vehementer.

Porrò ista consensio pro *unanimitate* hodie tenenda est, siquidem populi *singuli* demum explorati fuerant.

Id quoque mirum est quòd etiam illæ gentes quæ aliquo tempore perturbationibus sceleratissimis actæ fuerunt, ut olim Gallia, ne tunc quidem ideam Dei abdicaverint.

2° Jam de *minoris* veritate dubitari nequit, siquidem prædictus consensus dotes omnes implet in Logicâ requisitas. — Est quippe *unanimitas*; nec aliquid ex ejus vi minueretur, etiamsi *una et altera* colonia vel tribus ignoraret Deum (1); tunc enim haberetur adhuc *moralis* unanimitas, quæ ad thesim satis est. — Præterea, versatur circa dogma *gravissimi* momenti necnon cupiditatibus *adversum*. Enimvero existentia supremi numinis et incorrupti judicis mortales admonet ut, refrenatis passionibus, justitiam colant, dicente Virgilio :

Discite justitiam moniti et non temnere divos.
(*Æn.*, l. VI, v. 620).

45. *Solvuntur objectiones.* Asserunt quidam fidem hominum in Deum vel ex *præjudiciis* aut *educatione*, vel ex *timore*, vel ex *legum* laboribus aut *sacerdotibus* vel ex *ignorantiâ* causarum naturalium promanare.

At verò 1° *præjudicia* et *educatio* pro variis hominibus varia sunt, dum fides in Deum est *unanimitas*. — 2° Non timere duntaxat, sed amare etiam et adorare Deum solent homines, eique agere gratias pro beneficiis acceptis. — Cæterùm, timor existentiam Dei subaudit, nedum eam faciat; quippe non est timori locus, si Deus non existit. — 3° *Legum* laborum et *sacerdotum* præscripta religionem populorum præsupponunt; ac præterea, vel jugum istud *gravissimum* imponi minimè

(1) Revera *nulla* gens inventa est quæ Deum penitus ignoraret. Si qui viatores aliter senserunt, causa est quod temerè pronuntiaverunt de aliqua gente, nec satis attenderunt ad ejus linguam et sacrificia; quæ qui propius vel diutius observaverunt, in his invenerunt fidem divinitatis.

potuisset, vel ex longo jam tempore fuisset solum. — 4^o Scientiarum naturalium progressus non auferunt, sed contra præclare confirmant existentiam Dei, cum ordinem hujus mundi adspectabilis, sive in magnis, sive in exiguis rebus apertius in dies declarant. (Supra, n. 39, 40).

Ex aliâ parte, observatum est civilem populorum cultum, præsertim quod spectat ad mores et artes, respondere conceptioni quam de Deo habent, et pro illius perfectione vel imperfectione crescere vel minui.

Merito igitur Tullius concludit non rationem solum, sed et historiam omnem et sapientissimos vel doctissimos quosque cum populo convenire in prædicandâ existentia Dei.

« Si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, « si Græci, si barbari, si denique hoc semper ita putatum « est; si summi philosophi, si poetæ, si sapientissimi viri « qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt; an « dum bestia loquantur exspectamus, hominum consentiente « auctoritate contenti non sumus? » (De divinatione, l. 1, c. 39).

46. Assertio 2^a : *Lege morali probatur Dei existentia.*

Conscientia nobis manifestat obligationem absolutam boni faciendi et mali vitandi, sive servandæ legis moralis. Sed conscientia in tantum obligandi vim habet, in quantum loquitur nomine entis superioris, infinitè sancti, quod sit legis moralis lator ac vindex. — Probatur, quia lex moralis exhibet sese universalem et absolutam, ab omni ente rationali colendam, ac proinde nequit oriri a conscientia humanâ, quæ est particularis, contingens, imò fallibilis, et ipsi legi morali subjecta, nedum eam constituat. — Quod quidem argumentum interim insinuavisse sit satis; quippe fusiùs evolvetur in Ethicâ, ubi de dependentiâ moralitatis ab ideâ Dei.

47. Scholium. Innumera illa in gratiam existentia Dei argumenta, valent omnino, etiam sumpta sigillatim; sed comparata simulque, ut par est, accepta, ingentem vim habent præbentque de Deo notionem maximè variam et copiosam.

THEOLOGIÆ NATURALIS SECUNDA PARS DE NATURA DEI

48. Quæstio quid res sit quæstionem an res sit subsequitur. Probata igitur existentia Dei, de illius naturâ sermo habendus est. Porrò de naturâ entis alicujus tria solent inquiri: 1^o quâ ratione a nobis agnoscat? 2^o quæ sit ejus perfectio? 3^o quodnam attributum illius constitutivum dici debeat? — Triâ hæc de naturâ Dei investigabimus, et 4^{am} quæstionem agemus de incommunicabilitate naturæ Dei, sive de ipsius unicitate.

CAPUT I

DE RATIONE QUA NATURA DEI A NOBIS COGNOSCITUR

49. Prænotanda de viâ causalitatis, remotionis et eminentiæ. Ex dictis, in Dei notitiam venimus ope creaturarum quæ ab eo conditæ sunt. Jam hæc viâ causalitatis nomen habet, quoniam principio causalitatis innititur. Illius vi, nobis licet omnes rerum creaturarum perfectiones in Deo reponere, quia nihil perfectionis est in effectu, nisi a causa derivetur.

Attamen quædam creaturarum perfectiones in suo conceptu aliquid imperfecti involvunt, v. g. facultas ratiocinandi; quare a Deo removeri vel negari debent, nisi quod habet Deus quidquid positivi ipsis inest. Porrò hæc viâ remotionis vel negationis nuncupatur.

potuisset, vel ex longo jam tempore fuisset solum. — 4^o Scientiarum naturalium progressus non auferunt, sed contra præclare confirmant existentiam Dei, cum ordinem hujus mundi adspectabilis, sive in magnis, sive in exiguis rebus apertius in dies declarant. (Supra, n. 39, 40).

Ex aliâ parte, observatum est civilem populorum cultum, præsertim quod spectat ad mores et artes, respondere conceptioni quam de Deo habent, et pro illius perfectione vel imperfectione crescere vel minui.

Merito igitur Tullius concludit non rationem solum, sed et historiam omnem et sapientissimos vel doctissimos quosque cum populo convenire in prædicandâ existentia Dei.

« Si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, « si Græci, si barbari, si denique hoc semper ita putatum « est; si summi philosophi, si poetæ, si sapientissimi viri « qui republicas constituerunt, qui urbes condiderunt; an « dum bestia loquantur exspectamus, hominum consentiente « auctoritate contenti non sumus? » (De divinatione, l. 1, c. 39).

46. Assertio 2^a : *Lege morali probatur Dei existentia.*

Conscientia nobis manifestat obligationem absolutam boni faciendi et mali vitandi, sive servandæ legis moralis. Sed conscientia in tantum obligandi vim habet, in quantum loquitur nomine entis superioris, infinitè sancti, quod sit legis moralis lator ac vindex. — Probatur, quia lex moralis exhibet sese universalem et absolutam, ab omni ente rationali colendam, ac proinde nequit oriri a conscientia humanâ, quæ est particularis, contingens, imò fallibilis, et ipsi legi morali subjecta, nedum eam constituat. — Quod quidem argumentum interim insinuavisse sit satis; quippe fusiùs evolvetur in Ethicâ, ubi de dependentiâ moralitatis ab ideâ Dei.

47. Scholium. Innumera illa in gratiam existentia Dei argumenta, valent omnino, etiam sumpta sigillatim; sed comparata simulque, ut par est, accepta, ingentem vim habent præbentque de Deo notionem maximè variam et copiosam.

THEOLOGIÆ NATURALIS SECUNDA PARS DE NATURA DEI

48. Quæstio quid res sit quæstionem an res sit subsequitur. Probata igitur existentia Dei, de illius naturâ sermo habendus est. Porrò de naturâ entis alicujus tria solent inquiri: 1^o quâ ratione a nobis agnoscat? 2^o quæ sit ejus perfectio? 3^o quodnam attributum illius constitutivum dici debeat? — Triâ hæc de naturâ Dei investigabimus, et 4^{am} quæstionem agemus de incommunicabilitate naturæ Dei, sive de ipsius unicitate.

CAPUT I

DE RATIONE QUA NATURA DEI A NOBIS COGNOSCITUR

49. Prænotanda de viâ causalitatis, remotionis et eminentiæ. Ex dictis, in Dei notitiâ venimus ope creaturarum quæ ab eo conditæ sunt. Jam hæc viâ causalitatis nomen habet, quoniam principio causalitatis innititur. Illius vi, nobis licet omnes rerum creaturarum perfectiones in Deo reponere, quia nihil perfectionis est in effectu, nisi a causa derivetur.

Attamen quædam creaturarum perfectiones in suo conceptu aliquid imperfecti involvunt, v. g. facultas ratiocinandi; quare a Deo removeri vel negari debent, nisi quod habet Deus quidquid positivi ipsis inest. Porrò hæc viâ remotionis vel negationis nuncupatur.

Perfectiones autem creaturarum, quarum conceptus nihil imperfecti subaudit, Deo *formaliter* attribuendæ sunt, sed *eminentius* atque creaturis, siquidem quatenus creaturis insunt, imperfectè participantur, in Deo verò plenissimam suam rationem habent. Hanc tertiam viam *eminentiæ vel affirmationis* viam dicunt.

50. Assertio : *Triplex causalitatis, remotionis et eminentiæ via, ad acquirendam aliquam naturæ divinæ notionem nobis necessaria est et sufficiens.*

PROB. 1^a PARS. Etenim, demptâ viâ causalitatis, ipsa Dei existentia nos lateret; demptâ viâ remotionis, attribuerentur Deo quæ ipsius naturam dedecent, nec, ut par est, a rebus mundanis distingueretur; demptâ autem viâ eminentiæ, ignoraretur a nobis excessus divinæ perfectionis.

PROB. 2^a PARS. Rem aliquam dignoscimus, ubi scimus *quòd sit, quid non sit, et quid sit*. Porrò triplicî hac viâ duo priora planè, tertium inadæquatè cognoscimus de naturâ divinâ.

51. Corollarium. Porrò via *remotionis* cæteris est *potior*, spectatâ hominis conditione, ad naturam Dei cognoscendam. Nam 1^o multæ ex mundanis perfectionibus a Deo sunt removendæ, scilicet quæcumque aliquid imperfecti includunt; — et 2^o eas ipsas quas habet communes cum rebus creatis aliter atque illæ possidet, nempe infinitâ ratione, quæ immensitate suâ excedit formam omnem quam attingit intellectus humanus. Potius itaque, ut notat D. Thomas, de Deo cognoscimus *quid non sit, quàm quid sit*.

Nihilominus, via remotionis summam Dei perfectionem proclamât; nam ille perfectissimus est dicendus, a quo imperfectio quævis amoveri debet. — Et rursus, per eam Deum ab aliis maximè *secernimus*, et ita veriùs cognoscimus: « tantò enim, ait S. Thomas, unumquodque perfectius cognoscimus, quantò differentias ejus ad alia plenius intuemur; habet enim res unaquæque in seipsâ esse proprium, ab omnibus aliis distinctum. » (*Cont. Gent.*, l. I, c. 14).

CAPUT II

DE PERFECTIONE NATURÆ DEI

52. Status quæstionis. Perfectio Dei duplex distingui solet, *absoluta* scilicet et *relativa*, prout Deus consideratur in seipso, vel ad alia entia comparatur. Quamobrem quæri potest 1^o utrum Deus sit perfectissimus *relativè*, sive utrum omnes omnium entium perfectiones possideat et quomodo? 2^o utrum possideat omnes etiam *possibiles* perfectiones, et ita quidem ut sit *absolutè* infinitus?

ARTICULUS I

De perfectione Dei relativâ.

53. Assertio 1^a : *Deus possidet omnes omnium entium perfectiones, ac proinde est perfectissimus relativè.*

Probatur 1^{um}, quia causa continet omnes perfectiones effectûs. Porrò, ex probatis in Cosmologiâ, Deus est causa efficiens omnium rerum. Ergo perfectiones omnes omnium rerum possidet.

Probatur 2^{um}, quia Deus habet varias et propemodum infinitas perfectiones omnium entium numero penè infinitorum.

54. Assertio 2^a : *Inter perfectiones creaturarum, alias possidet Deus virtualiter et eminenter solum, alias autem formaliter simul et eminenter.*

1^o *Explicatur assertio.* Proprietates creaturarum duplicis distinguuntur generis: alias vocant *simpliciter simplices*, alias autem *simplices secundum quid*. — Priores in suo conceptu nihil imperfectionis innuunt, nec pugnant cum aliâ nobiliori perfectione; unde, juxta S. Anselmum, « *meliores sunt ipsæ quàm non ipsæ* »; e. g. vivere, intelligere, velle. — Pos-

teriores autem, quamvis aliquid *positivum* præ se ferant, in suo tamen conceptu aliquid imperfectionis involvunt et cum aliâ nobiliori perfectione pugnant: e. g. corporeitas, et facultas ratiocinandi.

2^o *Probatur*. Porro perfectiones simplices secundum quid in Deo non reponi possunt *formaliter*; siquidem imperfectionem aliquam implicant, quam a Deo remove oportet, utpote qui omnem a se imperfectionem excludat, ut jamjam probaturi sumus.

Nihilominus conveniunt Deo *virtualiter et eminenter*; virtualiter quidem, cum Deus ipse illas rebus creatis largitus sit; eminenter etiam, cum illas contineat ut causa superior, scilicet meliori ratione. E. g. Deus vim *ratiocinandi* non habet formaliter, sed nobiliori modo; non enim ratiocinio, at *intuitivè* veritatem intelligit. Item extensionem materiæ non habet formaliter, sed ejus perfectionem in suâ *immensitate* eminenter continet, sicut suâ *æternitate* habet eminenter quidquid positivi est in tempore. At perfectiones simpliciter simplices Deo conveniunt *formaliter* simul et *eminenter*. Formaliter quidem, scilicet secundum ipsam rationem ac vim sui conceptus, quia secundum seipsas inspectæ, nihil imperfecti includunt; v. g. Deus dicitur formaliter sapiens, bonus, sanctus. — Eminenter etiam; quia v. g. Deus non dicitur sapiens vel bonus, vel sanctus *ut homo*, sed multo nobilior. Et ratio est quia homo non habet totam hanc nobilitatem quam perfectiones istæ in conceptu suo inveniunt, sed *partem* solum, quia perfectiones omnes, eo ipso quod *in homine* ponuntur, certis circumscribuntur limitibus. Merito igitur S. Thomas: « Oportet quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniatur in Deo nobilissimo modo, et sine aliquâ imperfectione. » (In I *Sent.*, dist. 2, q. 1, a. 2, sol).

ARTICULUS II

De perfectione Dei absolutâ.

55. *Assertio*: Deus est simpliciter et absolutè infinitus.

— I. *Probatur argumento physico* (1).

1^o *Ex creatione*. Ex dictis in Cosmologiâ, mundus a Deo creatus est. Atqui, ut ibi etiam ostensum fuit, creatio ex postulat ex parte creantis infinitam virtutem (n. 21).

2^o *Ex ordine mundi*. Ut enim omittamus miram cujusque entis pulchritudinem et universitatis rerum harmoniam, necnon simplicitatem secundam legum universalium quibus mundana entia viget, res moderatur mutabiles, caducas naturâ, dissimiles, quin imò contrarias et secum pugnantes; et tamen in hac tantâ rerum mutabilium varietate et pugna constantissimus perseverat. Porro, antequam mundi conditor ordinem hunc instituit, nullis unquam collisionibus labefactandum, *prævidere* debuit omnes *possibiles* rerum contrariarum collisiones, omnes *possibiles* eventus et concursus ex activitate causarum diversarum, cum singularum, tum universarum secuturos; debuit etiam prævidere futuras easdemque *liberas* hominum actiones; ipsi enim non mediocrem partem habent in ordine mundano, multaque vel ex libero eorum pendent *concursu*, vel eorum *dominio* subjecta permittuntur, ita ut juxta verbum Tullii « in rerum naturâ quasi alteram naturam efficere conentur (2). » Sed *prævisio* illa cum

(1) *Invenitur* etiam argumento *moralis*. Licet enim populi multi circa notionem infiniti *abstractam*, et proin circa naturam Dei erraverint, tamen ei attribuerunt quidquid conceperunt melius. « Si qui forte homines, ait Augustinus, sensibus nimis dediti, aut ipsum cælum, aut quod in celo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum Deum crediderunt esse, non alia causa fuit nisi quod his rebus nil melius esse opinarentur. Nam omnes certatim pro excellentiâ Dei dimicant, nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Haque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. » (*De doct. christ.*, l. I, c. 7, n. 7).

(2) Quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum scien-

omnium *possibilium* eventuum et variarum collisionum, tum *liberarum* hominis actionum, infinitæ intelligentiæ sapientiam subaudit; nam omnia *possibilia* præ se ferunt numerum infinitum et indeterminatum; futura autem libera, cum in suâ causâ proximâ non sint determinata, non nisi infinitæ intelligentiæ, quæ omnia tempora complectatur, pervia esse possunt.

Accedit quod intelligentia *ordinatrix* eadem esse debet ac potentia *creatrix*; non enim ei liceret pro arbitrio ordinare mundum a se non creatum, et proinde independentem.

II. Probatur argumento metaphysico.

Deus est ens subsistens. Ergo et infinite perfectus.

Prob. ant. Jam ex iis quæ circa Dei existentiam disputavimus, sequitur ipsum esse ens primum, necessario et a se existens. Porro inde colligitur in illo non distingui existentiam ab essentia. Si enim essentia illius ab existentia distingueretur, vel existentiam sibi largiri deberet, vel eam ab extrinseco principio recipere. Sed neutrum asseri potest. — *Non 1^{um}*; quia jam foret sui ipsius causa, seipso prius ac posterius, quod repugnat. — *Non 2^{um}*; quia tunc non esset ens primum, a seipso existens.

Rursus, ex eo quod in Deo existentia non distinguitur ab essentia, ultro defluit eum esse *ens subsistens*. Dicitur quippe ens subsistens, cujus esse non recipitur in aliqua essentia. Atqui ens illud in quo essentia idem est ac existentia non habet esse in essentia receptum; alioquin existentia jam ab essentia distingueretur, ut v. g. virtus, quæ recipitur in homine virtuoso, ab illo distinguitur. Ergo essentia Dei cum ipsius esse confunditur, ac proinde est ipsum *esse subsistens*.

Prob. conseq., scilicet Deum, utpote *ens subsistens*, infinitum dici debere.

tiam... Terrenorum iterum commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur; nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores; nos aquarum inductionibus, terris fecunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris denique manibus, in rerum naturâ, quasi alteram naturam efficere conamur. » (*De naturâ Deorum*, l. II, n. 609).

Infinitum dicitur quod non est finitum, sive quod nullo limite circumscribitur. Porro tale est ens subsistens. Si enim limitaretur, vel quatenus ens, vel quatenus subsistens. Sed neutrum dici potest.

1^o *Non limitatur quatenus ens*. Ens enim est perfectio, siquidem importat aliquid positivum; imò, ut argumentatur D. Thomas, « ipsum *esse* (existentia) est *perfectissimum* omnium; comparatur enim ad omnia ut *actus*; nihil enim « habet actualitatem, nisi in quantum est; unde ipsum esse « est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum *formarum*. « Unde non comparatur ad alia ut *recipiens* ad *receptum*, « sed magis sicut *receptum* ad *recipiens*; cum enim dico esse « hominis vel equi, vel cujuscumque alterius, ipsum esse « consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud « cui competit esse » (1^a, q. 4, a. 1, ad 3).

Quin etiam notio entis nullum *ex se* limitem includit. — Sanè, omnis proprietas *singularis* vel *modus* essendi includit aliquem limitem: v. g. sapientia non præ se fert fortitudinem, nec fortitudo bonitatem, et ita porro de variis rerum attributis. Ens autem non est aliquis *modus* essendi, sed ipsum *esse*; quare implicat aliquid *universale*, sine ullâ restrictione positum, et ideo, ex se perfectum. Nam ut ait D. Thomas, « omnium perfectiones pertinent ad perfectionem essendi; secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo esse habent » (1^a, q. 4, a. 2, c). Unde Marsilius Ficinus: « Sicut ipsum quod dicitur *nihil*, occurrit nobis ut *expers* « omnino essendi, ita *esse* occurrit ut *expers* penitus non « essendi. » (*Theolog. Platon.*, XII, 7).

2^o *Non limitatur quatenus subsistens*.

Nullum ens limitatur nisi vel ab *extrinseco*, vel ab *intrinseco*: ab extrinseco quidem, nempe a causâ suâ efficiente, si quam habeat, eaque sit deficiens; ab intrinseco verò, quoties nimirum in altero recipitur. Si enim *recipiens* limitatum fuerit, non poterit aliquid recipere nisi cum limitibus, et ei quod in se recipit, propriam formam imponere. E. g. sapientia in se spectata nullos limites involvit, quatenus sapientia; idemque diceres de bonitate, sanctitate et aliis id genus.

At sapientia, si non in se subsistat, sed in aliquo recipiatur, v. g. in homine, eo ipso proprios recipientis limites accipit.

Porrò ens subsistens nec ab extrinseco, nec ab intrinseco limitatur. *Non ab extrinseco*, scilicet a causâ suâ, cum non habeat sui causam, sitque ens primum. — *Nec ab intrinseco*, nempe ex essentiâ suâ; siquidem ens subsistens in nullâ essentiâ recipitur ex quâ limitari possit, ac proinde totam illimitatamque essendi plenitudinem possidet (1).

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT III
DE CONSTITUTIVO NATURÆ DIVINÆ

56. I. — *Status quæstionis.* In omni ente creato est perfectio quædam principalis quæ in illo prima concipitur, per quam constituitur in suâ specie et a cæteris distinguitur, ex quâ demum cætera illius attributa defluunt. Perfectio illa constitutiva naturæ dicitur.

Quæritur jam utrùm in Deo hujusmodi perfectionem invenire sit. — Porrò, si Deus in seipso ac physicè consideretur, quæstio negativè solvi debet. Nam quæcumque Deo conveniunt, ad ipsius essentiam spectant, nullumque attributum ante alia existit, aut fons est unde cætera defluant.

At Deus considerari potest non jam physicè, seu in substantiâ suâ, sed logicè, prout nimirum a nobis cognoscitur; et sub eo respectu, nihil vetat inter varia Dei attributa unum

(1) Clarè D. Thomas: « *Ipsium esse, absolute consideratum, infinitum est.* Si igitur alicujus esse sit finitum, oportet quòd limitetur esse illud per aliquid aliud, quod sit aequaliter causa illius esse, vel receptivum ejus. Sed esse divini non potest esse aliqua causa, quia Ipse est necesse esse per seipsum; nec esse ejus est receptivum, cum ipse sit suum esse. Ergo esse suum est infinitum, et ipse infinitus. » (*Cont. Gent.*, l. 1, c. 43, n. 5; 1^a, q. 7, a. 1, c).

a nobis primùm apprehendi, quod concipiatur ut constitutum ipsius naturæ, et ex quo reliqua ejus attributa defluere intelligamus.

57. II. — *Varia philosophorum opiniones.*

Philosophi penè omnes asserunt quidem existere in Deo, logicè inspecto, perfectionem quamdam constitutivam; sed in illâ assignandâ non conveniunt. Alii putant essentiam divinam constitui ex *aggregatione actuali* omnium perfectionum possibilium. — Alii cum Scoto docent essentiam Dei constitui non actuali quidem cumulo, sed *radicali exigentiâ* omnium possibilium perfectionum. — Alii, cum Billuart et nonnullis scholasticis, tenent attributum constitutum Dei esse *intelligentiam actu exercitam*. Nam, ut aiunt, alicujus entis constitutum in potissimâ ejus perfectione consistit. Sed inter quatuor gradus, essendi, vivendi, sentiendi et intelligendi, potissimus est intelligere. Ergo constitutum naturæ divinæ reponi debet in intelligentiâ actu exercitâ. — At philosophorum communior sententia est, eaque plures scholasticos patronos habet, constitutum naturæ divinæ consistere in *aseitate*, sive in eo quòd Deus est a se.

58. **Assertio**: *Constitutivum essentiæ Dei, logicè inspecti, in aseitate reponi debet.*

Thesis probatur directè et indirectè.

1. *Prob. directè*, quia *aseitas* implet tres dotes requisitas ad perfectionem essentiæ constitutivam.

1^o In Deo a nobis *prima* concipitur. Nam Deum ex creaturis cognoscimus. Ergo illud attributum in Deo primum concipere debemus, quod ut causa *ultima* creaturarum apprehenditur. Atqui aseitas Dei apprehenditur ut causa *ultima* creaturarum. Etenim creaturæ, utpote contingentes, suâ rationem existentiam in Deo habent, proximam quidem in ejus intelligentiâ et voluntate, remotam autem et ultimam in necessariâ ejus existentia, quæ nihil aliud est nisi aseitas.

2^o *Aseitate* Deus constituitur absolute et a cæteris rebus cunctis *distinguitur*; siquidem res omnes, præter Deum, existunt ab alio. — 3^o Ex *aseitate* omnia Dei attributa deducere possumus. Ut enim suprâ demonstratum fuit, ex eo

quòd Deus est a se, est ens subsistens et ex eo quòd est ens subsistens, est infinitè perfectus; quippe habet plenitudinem essendi quæ omnes perfectiones amplectitur.

Confirmatur verbis quibus Deus ipse Moysi quis sit declarat: « *Ego sum qui sum...* sic dices filiis Israel: *Qui est, misit me ad vos.* » (*Exod.*, c. III, v. 14) (1). Porro verba hæc proprium essentiali esse a seipso significare videntur. Ut enim argumentatur D. Thomas, non significant, aliquam formam, sed ipsum esse subsistens, illud scilicet quo Deus est a seipso. Eodem sensu loquuntur S. Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 36), S. Hilarius (init. lib. 1, *de Trinit.*) et S. Hieronymus (*Epist.* 1, *ad Damas.*).

II. *Indirectè, ex falsitate cæterarum opinionum.*

Prima opinio, quæ reponit naturam Dei in aggregatione

(1) Præclare D. Thomas: « Hoc nomen *qui est* triplici ratione est maximè proprium nomen Dei. — Primo quidem propter sui *significationem*. Non enim significat aliquam formam, sed ipsum esse. Unde, cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, et hoc nulli alii conveniat, manifestum est quòd inter alia nomina, hoc maximè propriè nominat Deum. Unumquodque enim denominatur a sua formâ. — Secundò propter ejus *universalitatem*. Omnia enim alia nomina vel sunt minus communia, vel si convertantur cum ipso, tamen addunt aliquid supra ipsum, secundum rationem. Unde quodammodo informant et determinant ipsum. Intellectus autem noster non potest ipsam Dei essentiam cognoscere, in statu viæ, secundum quòd in se est. Sed quemcumque modum determinat circa id quod de Deo intelligit, deficit a modo quo Deus in se est. — Et ideo, quantò aliqua nomina sunt minus determinata, et magis communia et absoluta, tantò magis propriè dicuntur de Deo a nobis. Unde et Damascenus dicit (*Orth. fid.*, l. I, c. xii) quòd principaliter ex omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus, est *qui est*. Totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantiæ infinitum et indeterminatum. — Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis *modus* substantiæ rei; sed hoc nomen *qui est*, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes... Tertio verò ex ejus *consignificatione*; significat enim esse in præsentia. — Et hoc maximè propriè de Deo dicitur, cujus esse non novit præteritum et futurum, ut dicit Augustinus. » (1^a, q. 12, a. 11, c).

Qui constitutum essentiali Dei in intelligentiâ reponunt, afferunt frustra locum in quo D. Thomas (1^a, q. xiv, a. 4) dicit « ipsum Dei intelligere esse ejus essentiam. » Hic enim S. Doctor probat solum intelligentiam et intelligere Dei non realiter distingui ab ejus essentiali (quod etiam docet de aliis attributis), sed ne attingit quidem quæstionem circa metaphysicam Dei essentiam.

actuali omnium perfectionum, vera est si Deus consideretur in seipso, quia in eo sensu omnes perfectiones pertinent ad illius essentialiam; sed nequaquam solvit quæstionem impræsentiarum agitatam. Quærimus enim quænam ex omnibus perfectionibus, in modo nostro cognoscendi Deum, haberi debeat ut essentiali divinæ constitutiva.

Idem dixeris de Scoti sententiâ. Et insuper, *exigentia radicalis* omnium perfectionum essentialiam Dei jam constitutam supponit, nedum constituat. Ideo enim divina essentialia omnes perfectiones exigit, quòd præsupponitur infinita.

Quòd attinet ad opinionem quæ essentialiam Dei intelligentiâ constitui contendit, rejici etiam debet, quanquam primo aspectu verior videatur. Etenim falso innititur fundamento, cum supponit intelligentiam Dei esse, in Ipso, cæteris proprietatibus perfectiorem. Nam singula Dei attributa æquè perfecta sunt, utpote infinita singula. Equidem, in rebus creatis, intelligentiâ cæteris omnibus proprietatibus perfectior est, sed causa est quòd, in illis, simplex *gradus essendi*, utpote participatus, non importat cæteros realitatis gradus. In Deo verò *gradus essendi* est *subsistens*, ac propterea includit infinitatem fonsque est cunctarum perfectionum. — Insuper, intelligentiâ divina non præ se fert dotes ad constitutum essentiali requisitas. Non est enim id quod primò de Deo concipimus, aut quod ipsum a rebus cæteris cunctis secernit, cum plures creaturæ intelligentiâ quoque perficiantur, et eâ actu exercitâ. — Denique, ex intelligentiâ Dei plura ejus attributa inferre non valemus; v. g. eternitatem, immensitatem, aliaque id genus.

CAPUT IV

DE INCOMMUNICABILITATE NATURÆ DEI, SIVE DE ILLIUS
UNICITATE

59. *Status questionis.* Entia hujus mundi adspectabilis ab unitate deficiunt sive quoad *essentiam*, sive quoad *individuum*. Scilicet in certas species dividuntur; quævis autem species pluribus individuis communis est. — Insuper, licet quodque individuum unitate polleat, pluribus tamen partibus aut saltem principiis componitur. — Deus contra, si consideretur *in seipso*, est maximè *unus*, utpote simplicissimus omnemque excludens compositionem. Si autem spectetur *relative* ad alia entia, est *unicus*, quia eam habet naturam quæ pluribus communicari nequit.

60. *Assertio: Deus est unicus.*

Prob. 1º ex summa Dei simplicitate. — « Manifestum est, ait « D. Thomas, quod illud unde aliquid singulare est *hoc aliquid* (individuum), nullo modo est multis communicabile. « Illud enim unde Socrates est *homo*, multis communicari potest; sed id unde est *hic homo*, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset *homo*, per quod est *hic homo*, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit « Deo. Nam ipse Deus est sua natura. » (1ª, q. 11, a. 3, c). Quare in Deo, ob absolutam illam quæ pollet simplicitatem, idem est *abstractum et concretum*, idem *divinitas et Deus*.

2º *Ex infinità perfectione Dei.* — Deus est infinitus. Sed ens infinitum non potest esse nisi unicum. Si enim plura supponantur infinita, vel sunt inæqualia perfectione, vel æqualia. — Si prius, in altero est aliqua perfectio, quæ in altero desideratur. Illud autem quod aliquâ perfectione caret non est in

finitè perfectum, proindeque nec Deus. — *Si posterius*, 1. sequitur ea, quod est absurdum, non similia tantum, sed etiam *identica* fore; eandem enim haberent naturam, easdem qualitates, et eandem individuationis rationem.

2. Etiam si possibilia fingerentur, nullum ex his foret infinitè perfectum. Nam Deus est id quo majus esse aut cogitari nequit. Porro aliquid cogitari potest majus duobus infinitis; quippe ad ens infinitum pertinet ut sit *summum in omni ordine*, tum naturæ dignitate, tum actionis præcellentiâ, et ita non habeat aliquid æquale sibi, sed omnibus antecellat. — Si ergo forent plures dii omnino æquales, uterque haberet aliud ens æquale sibi, neuter esset omnibus aliis major, ac proinde neuter esset infinitè perfectus. Ad rem Tertullianus: « Summum magnum, ex defectione *æmuli, solitudinem* « quamdam de *singularitate* præstantiæ suæ possidens, uni « cum est. » (*Cont. Marcion.*, l. 1, c. 3, n. 4).

3º *Ex conceptu entis subsistentis.* Ex probatis (n. 55). Deus est ipsum esse subsistens. Porro ens hujusmodi non potest esse nisi unum. Enimverò, cum nihil aliud sit nisi esse, si existerent duo entia hujusmodi, nullâ jam ratione distingui valerent, nam nihil haberent nisi unum et indistinctum esse. Quippe ens ipsum nec accipere potest aliquid per additionem, nec amittere per imminutionem; alioquin non esset jam ipsum esse subsistens.

4º *Ex conceptu entis necessarii.* Deus est ens absolutè necessarium. Atqui ens absolutè necessarium unicum est. Nam illud solùm absolutè necessarium dicitur cujus non-existentia repugnat. Porro repugnat quidem non-existentia entis cujusdam necessarii, non autem multorum. Siquidem non admissio uno ente necessario, mundus explicari nequit; at, uno admissio, cuncta explicantur.

5º *Ex unitate ordinis mundi* (1). Deus est conditor et gubernator mundi. Porro hæc est ordinis mundi unitas, quæ ordinatorem atque gubernatorem unicum demonstrat. Ut enim in Cosmologiâ probatum fuit, innumeræ dispaesque creaturæ

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2º part., c. 2, § 3, p. 229 et seq.

ex quibus machina mundi conflatur, ita aliæ aliis *respondent*, ut *singulæ cum singulis et universis aptent se*. Omnes ergo ab uno et eodem conditore ordinatæ sunt.

Insuper, *constantia ipsa unitatis ordinis mundi stare haud posset*, pluribus admissis diis. Vel enim unus eorum tantum *administrationem rerum gerit*, quin alii possint in eas facere *quidquam*; vel alii in aliorum opus valent attentare; vel *singuli mundum regunt*, sed conveniunt *pacto unam eandemque gerendam sibi esse gubernationis rationem*. In 1^a *hypothesi*, unus tantum est summus, cum aliis non subjiçiantur omnia; in 2^a *verò*, solvetur mundi necnon gubernationis unitas, quia *singuli dii propriis consiliis utentur omniaque ad proprium arbitrium conabuntur trahere*; in 3^a *demum*, nullus erit *infinite potens aut independens*, quia necessaria ista *pactio subjectionem singulorum imbecillitatemque demonstrat* (1).

(1) Hinc decretum illud concilii Vaticani: « Si quis unum verum Deum, « *visibilem et invisibilem Creatorem et Dominum negaverit, anathema « sit.* » (Canon. n. 1, can. 1).

THEOLOGIÆ NATURALIS TERTIA PARS

DE ATTRIBUTIS DIVINIS

61. *Notio divinorum attributorum*. In creaturis, attributorum nomine intelliguntur *proprietates quæ extra essentiam entis positæ sunt, et ab eâ naturaliter promanant*. — Cum autem quæcumque in Deo sunt, ad essentiam Ipsius pertineant, nomine attributorum divinorum eas proprietates intelligimus quæ, *juxta nostrum concipiendi modum, essentiam illius consequi videntur*.

62. *Distinctio divinorum attributorum*. In creaturis, cum ab essentia, tum alia ab aliis attributa *realiter* distinguuntur. In Deo verò, *attributa idem sunt ac essentia, et inter se non quidem realiter sed virtualiter differunt*.

Probatur 1^{um}, quia attributa Dei essentiam ejus ingrediuntur. Hæc enim, utpote infinita, per seipsam omnes perfectiones, ac proinde omnia attributa comprehendit.

Probatur 2^{um}, quia realiter inter se non possunt attributa secerni, si ab essentia non secernuntur; nam essentia Dei est una et simplex. — Præterea, si attributa Dei realiter distincta forent, *perficerentur ac proinde limitarentur* alia ab aliis; quod infinite illius perfectioni adversatur. Merito igitur a concilio Remensi (1148) damnatus est Gilbertus Porretanus, qui essentiam ab attributis Dei, et ipsa attributa realiter ab invicem distingui volebat.

Probatur 3^{um}. Nam ea virtualiter differunt quæ diversos exprimunt conceptus, diversos effectus producunt, et idem valent ac diversæ potentia. Porro hujusmodi sunt attributa Dei. Quippe nomina divina unam quidem naturam signifi-

ex quibus machina mundi conflatur, ita aliæ aliis *respondent*, ut *singulæ cum singulis et universis aptent se*. Omnes ergo ab uno et eodem conditore ordinatæ sunt.

Insuper, *constantia ipsa unitatis ordinis mundi stare haud posset*, pluribus admissis diis. Vel enim unus eorum tantum administrationem rerum gerit, quin alii possint in eas facere quidquam; vel alii in aliorum opus valent attentare; vel singuli mundum regunt, sed conveniunt *pacto unam eandemque gerendam sibi esse gubernationis rationem*. In 1^a hypothesis, unus tantum est summus, cum aliis non subjiçiantur omnia; in 2^a verò, solvetur mundi necnon gubernationis unitas, quia singuli dii propriis consiliis utentur omniaque ad proprium arbitrium conabuntur trahere; in 3^a demum, nullus erit infinite potens aut independens, quia necessaria ista *pactio subjectionem singulorum imbecillitatemque demonstrat* (1).

(1) Hinc decretum illud concilii Vaticani: « Si quis unum verum Deum, « visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema « sit. » (Canon. n. 1, can. 1).

THEOLOGIÆ NATURALIS TERTIA PARS

DE ATTRIBUTIS DIVINIS

61. *Notio divinatorum attributorum*. In creaturis, attributorum nomine intelliguntur *proprietates quæ extra essentiam entis positæ sunt, et ab eâ naturaliter promanant*. — Cum autem quæcumque in Deo sunt, ad essentiam Ipsius pertineant, nomine attributorum divinatorum eas proprietates intelligimus quæ, *juxta nostrum concipiendi modum, essentiam illius consequi videntur*.

62. *Distinctio divinatorum attributorum*. In creaturis, cum ab essentiâ, tum alia ab aliis attributa *realiter* distinguuntur. In Deo verò, attributa *idem sunt ac essentia, et inter se non quidem realiter sed virtualiter differunt*.

Probatur 1^{um}, quia attributa Dei essentiam ejus ingrediuntur. Hæc enim, utpote infinita, per seipsam omnes perfectiones, ac proinde omnia attributa comprehendit.

Probatur 2^{um}, quia realiter inter se non possunt attributa secerni, si ab essentiâ non secernuntur; nam essentia Dei est una et simplex. — Præterea, si attributa Dei realiter distincta forent, *perficerentur ac proinde limitarentur* alia ab aliis; quod infinite illius perfectioni adversatur. Merito igitur a concilio Remensi (1148) damnatus est Gilbertus Porretanus, qui essentiam ab attributis Dei, et ipsa attributa realiter ab invicem distingui volebat.

Probatur 3^{um}. Nam ea virtualiter differunt quæ diversos exprimunt conceptus, diversos effectus producunt, et idem valent ac diversæ potentia. Porro hujusmodi sunt attributa Dei. Quippe nomina divina unam quidem naturam signifi-

cant, at diversâ ratione; non enim idem intendimus cùm Deum dicimus æternum, justum et bonum. — Nec justitia ejus eosdem effectus producit atque bonitas. — Demum attributa Dei eos exerunt effectus, quos exercere solent causæ realiter distinctæ.

Quamobrem distinctio quæ viget inter attributa divina non in solâ ratione *ratiocinante* fundamentum habet, ut volebat Eunomius arianus, sed in ipsâ Dei essentiâ, quæ, etsi una realiter, tamen, utpote infinita, *virtualiter* est multiplex et æquè valet ac multæ potentiæ realiter distinctæ.

63. Corollarium. Hinc sequitur attributa quæ Deo et rebus creatis conveniunt, ut sunt perfectiones *simpliciter simplices*, non *univocæ*, sed *analogâ* ratione de Deo et rebus creatis prædicari. Nimirum quatenus de creaturis prædicantur, significant aliquam perfectionem ab earum essentiâ, existentiâ cæterisque notis realiter distinctam; v. g. hoc nomen *sapiens*, cùm de homine prædicatur, designat aliquam perfectionem *particularem* ab aliis hominis proprietatibus distinctam. — In Deo contrâ, nomen *sapiens*, relinquit rem significatam « incomprehensam et excedentem nominis significationem. » (1^a, q. 13, a. 5, c).

Attamen perfectiones Deo et rebus creatis communes, non habendæ sunt ut omnino diversæ, sed convenientiam *analogicam* præ se ferunt (1).

64. Divisio attributorum Dei primaria est in *absoluta* et *relativa*, prout præscindunt ab *actuali* existentiâ creaturarum, ut simplicitas, æternitas; vel ordinem implicant ad creaturas *actu* existentes, ut providentia, concursus. — Sed attributa absoluta quadrifariâ dividuntur, nimirum 1^o in *negativa* et *positiva*, prout viâ *remotionis*, ut immutabilitas, vel *eminentiæ*, ut intellectus, a nobis apprehenduntur. —

(1) « Est quædam *similitudo dissimilium*, quando videlicet forma invenitur in aliquo verè, et in aliquo per remotam participationem; et sic istud est simile illi, non quia habeat eandem formam, sed quia accedit ad hoc secundum debilem participationem. Et sic quæ de Deo et homine dicuntur similia, de homine dicuntur per remota. » (S. Thomas, in *psalm. 4*).

2^o In *incommunicabilia* et *communicabilia*, prout soli Deo propria sunt, vel creaturis quadamtenus possunt communicari. E. g. immensitas est attributum divinum incommunicabile, potentia autem communicabilis est. — 3^o In *metaphysica* et *moralia*, quatenus referuntur ad naturam ac substantiam Dei, ut simplicitas, vel relationem habent ad mores, ut sanctitas vel intelligentia. — 4^o In *operativa* et *quiescentia*, prout habent vel non habent ordinem ad operationem; v. g. intelligentia et voluntas inter operativa, simplicitas autem et immutabilitas inter quiescentia attributa computantur.

His porrò notatis, duplicem tantum majoris momenti attributorum divinatorum divisionem sequemur, nempe in absoluta et relativa, in negativa et positiva. — Unde triplex caput in tertiâ parte Theologiæ naturalis: 1^{um} de attributis absolutis negativis; 2^{um} de attributis absolutis positivis; 3^{um} de attributis relativis.

CAPUT I

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS ET NEGATIVIS

65. Eorum notio et numerus. Attributa negativa dicuntur quæ remonent a Deo aliquam proprietatem creaturarum, naturâ suâ limitatam. Porrò, si mundanæ res inspiciantur, quatuor hujusmodi attributa præ se ferunt. Scilicet sunt quantæ, aut saltem compositæ, loco et tempore mensurantur, ac mutantur in diès. Quocirca, ne Deum imperfectum inducamus, quatuor ista removebimus ab Ipso, et Eum dicemus simplicem, immutabilem, æternum immensumque.

ARTICULUS I

De simplicitate Dei (1).

66. *Ejus notio.* Simplicitas Dei definiri potest *attributum illud ei cuius omnem a se compositionem excludit.* — Porrò triplex distingui solet species compositionis, videlicet compositio *physica, metaphysica et logica.* — Compositio physica vocatur quæ ex quantitate exurgit. — Compositio metaphysica in iis entibus invenitur, in quibus distinguuntur potentia et actus, substantia et accidentia, essentia et existentia, essentia et attributa. — Compositio logica prædicatur de rebus, prout genere et specie continentur. — Triplicem eam compositionem a Deo removeri debere probandum est.

67. *Assertio 1^a : A Deo removenda est omnis compositio physica.*

Enimvero si quæ hujusmodi compositio in Deo inveniretur, vel quia Deus ipse compositus esset ex partibus corporeis, vel quia in aliorum compositionem veniret. Sed neutrum dici potest.

Non 1^{am}, quia omne compositum, saltem *naturâ* posterius est suis componentibus et dependens ab eis; et ita nequit esse ens primum, absolutâ fruens independentiâ. — Præterea nullum corpus absolutâ perfectione pollet, cum intelligentiâ et voluntatè careat, nec habere possit molem aut virtutem infinitam, Deus autem est id quo majus cogitari nequit.

Non 2^{am}, quia tunc Deus foret forma corporis alicujus, vel saltem forma seu *anima mundi*, ut voluerunt Stoici et cum eis Amalricus Carnutensis. Porrò Deus nec est forma cujusdam corporis, nec totius mundi. — Forma quippe vel omnino, vel partim saltem a materiâ pendet eique commensuratur. Atqui Deus, utpote ens primum et perfectissimum, a nullâ re pendere potest, et a fortiori pendere nequit a materiâ.

Quòd autem non sit forma *mundi*, probatur quia mundum ipse condidit; si enim, ut in Cosmologiâ ostendimus, Deus

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^o part., c. 3, p. 247-250.

est causa efficiens mundi, non potest esse pars illius, neque cum eo in compositionem venire.

68. *Corollarium.* Hinc sequitur repudiandum esse errorem *Anthropomorphismi* qui, ut græcæ voces innuunt, *ἄνθρωπος, μορφή*, Deo adscribit hominis formam. — Is autem error fundari nequit nisi vel in sensualismo, qui nihil præter corporalia vult esse, vel in carnali interpretatione nonnullorum Scripturæ sacræ verborum, in quibus Deo attribuuntur oculi, brachia, pedes et alia id genus quæ ad corpus referuntur. — At 1^o Scriptura dicit etiam : « Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare » (I Joann., c. iv, v. 24), et alia sexcenta habet unde materia longissimè a Deo removeatur. — 2^o Scriptura *metaphoris* utitur, humanarum linguarum more, quia loquitur hominibus qui spiritualia nuda ægrè admodum capiunt, assequuntur autem proposita sub involucre sensibilibus. — Ad rem D. Augustinus : « Cum audimus *manus*, operationem intelligere debemus; et cum audimus *pedes*, præsentationem; et cum audimus *oculos*, visionem quâ cognoscit; et cum audimus *faciem*, notitiam quâ innotescit; et si quid aliud Scriptura « tale commemorat, puto *spiritualiter* intelligendum. » (Epist. 148 ad Fortunatianum, c. 4, n. 13).

69. *Assertio 2^a : A Deo removenda est omnis compositio metaphysica.*

I. *Deus non componitur ex essentiâ et existentia, ex naturâ et supposito seu individuo, ex essentiâ et attributis, neque ex attributis pluribus realiter distinctis*, ut suprâ declaravimus (n. 53, 60 et 62).

II. *Non componitur ex potentia et actu.*

1^o Quidquid componitur ex potentia et actu, non a seipso, sed ab alio ente jam in actu ex potentia ad actum reducitur; id suprâ probatum est (n. 19). Porrò Deus, utpote ens primum et independens, ab alio ente ex potentia ad actum reduci nequit. — 2^o Ens quod non est omnino in actu; infinitam perfectionem non habet, sed sensim perficitur quoties transit ex potentia ad actum; hoc autem infinitæ Dei perfectioni adversatur.

III. *Non componitur ex subjecto et accidentibus.*

1° Quidquid in Deo est, ad ejus essentiam pertinet, quæ, utpote infinita, omnes perfectiones in se amplectitur, ac proinde omne accidens a se repellit. — 2° « Accidens, ait D. Thomas, comparatur ad subjectum, sicut *actus ad potentiam*, cum sit quædam forma ipsius. » (*Qq. dispp. de potent.*, q. 7, a. 4, c.). Et ratio est quia accidens *determinat et perficit* subjectum. Porro, ex dictis, Deo repugnat compositio ex potentia et actu.

70. *Assertio 3^a: A Deo removenda est compositio logica*

Deus enim nullo genere continetur. — 1° In iis quæ pertinent ad aliquod genus, invenitur *perfectibile et perficiens*, sive compositio potentia et actus. Genus quippe se habet ad differentiam, sicut indeterminatum et perfectibile ad id a quo determinatur et perficitur. E. g. in homine, animalitas quæ est genus, perficitur ac determinatur differentia specificâ, nimirum rationabilitate. Sed in Deo, ex dictis, nihil est perfectibile aut perficiens, nulla actus et potentia permixtio.

2° Quæ certo genere continentur, limitantur ad ipsum, carentque perfectionibus reliquis generibus propriis. Porro Deus, utpote ens subsistens, habet plenitudinem essendi, et eminenter possidet quidquid perfectionis in variis rerum speciebus reperitur.

3° Si Deus aliquo genere comprehenderetur, vel genere *entis*, vel genere *substantia*. At neutrum dici potest:

Non 1^{um}; tum quia ens non est genus, ut ostendimus in Ontologia (n. 12), tum quia ens non *univoce*, sed *analogicè* tantum de Deo et creaturis prædicatur. Quippe ille est ens subsistens, et istæ habent esse ab alio, illudque receptum ac participatum.

Non 2^{um}; siquidem substantia non prædicatur univoce de Deo et rebus creatis. Enimvero creatæ substantiæ ab alio sunt, et essentia suæ necnon accidentibus substernuntur; Deus autem a seipso existit, in nullâ essentia recipitur, nullisve subjacet accidentibus. Unde quidam non *substantia*, sed *essentia* nomen adscribunt Deo.

74. *Corollarium 1^{um}*. Deus ergo est in *summo simplicitatis*

et immaterialitatis, seu, ut ait Origenes, ex omni parte *monas* et ενος. Nos verò, qui cunctis in rebus creatis innumeram invenimus compositionem, aut ex partibus quantitativis, aut ex principiis, elementis et attributis, simplicitatem divinæ naturæ capere haud possumus, sed mirari debemus. Hoc est enim culmen perfectionis, ut aliquid maximè unum et simplex æquè valeat atque omnis virium aut potentiarum multitudo.

72. *Coroll. 2^{um}*. *Deus propriè definiri nequit, licet ejus natura ratione quadam valeat declarari.*

Constat 1^{um}, quia ex dictis in Logica, definitio debet indicare genus et differentiam specificam entis; porro Deus nullo continetur genere, sed transcendit omnia genera.

Constat 2^{um}. Si enim Deo nulla prorsus, ne metaphysica quidem aut logica inest compositio, nullo aptius vocabulo quam *actus purus* potest designari. — Hæc autem vox *purus* non adhibetur ut aliquid addat actui seu enti subsistenti, cui nihil addi valet, sed ut *explicitè* a Deo excludat omne genus potentialitatis, atque declaret nihil in eo esse nisi actum.

Porro clarissima illa Dei nuncupatio, quam adinvenit Aristoteles (1), mirisque modis explanavit D. Thomas, Deum a cunctis cæteris rebus secernit et proclamat ipsius infinitudinem. Si enim actus denotat perfectionem, actus purus, qui omnem potentialitatem expellit, nihilque importat nisi actuale et perfectum, purissimam et absolutam perfectionem præ se ferat necesse est.

(1) « Ο οὐ κινούμενον κινεῖ, ἄιδιον, καὶ οὐσία, καὶ ἐνέργεια οὐσα (Metaph., XII, 7.) » Aristote n'eût-il ajouté à la théodicée que ces deux mots : *Dieu est acte pur*, formule si merveilleusement commentée, exploitée en tous sens par S. Thomas d'Aquin, il eût fait entrer dans l'esprit humain une « idée capitale. » (Gratry, *Connaiss. de Dieu*, Théodicée d'Aristote, IV).

ARTICULUS II

De immutabilitate Dei.

73. *Ejus notio.* Mutatio propriè dicta definitur transitus ex aliquo statu in alium, et proin importat aliquod ens aliter se nunc habere ac prius. Latiori significatione mutatio nuncupatur transitus ex non-esse ad esse, vel ex esse ad non-esse. — Quocirca immutabilitas excludit omne genus mutationis.

Sed triplici ratione aliquid mutari potest, vel quoad substantiam, vel quoad accidentia, vel quoad operationes. Primâ ratione mutabilis est substantia corporea, quatenus corruptibilis, secundâ et tertiâ omnes res creatæ.

74. *Assertio* : Deus est absolute immutabilis (1).

1^o Quoad substantiam; quia nulla nisi corporalis substantia mutationem corruptionemve patitur.

2^o Quoad accidentia, cum nullum accidens in Deo admittatur (n. 69). — Cæterum, quidquid mutatur, transit ex aliquo statu in alium, ac proinde ex potentiâ ad actum, simul ac amittit aliquam formam, novamque acquirit. Omne igitur ens mutabile componitur ex potentiâ et actu, et in dies perficitur; quod a summa Dei simplicitate et perfectione abhorret.

3^o Quoad operationes, et ipsa voluntatis decreta.

Enimverò Deus, ex dictis, non transit ex potentiâ ad actum, sed est semper in actu; quin etiam operationes ipsius ab essentiâ realiter non distinguuntur. — Insuper, nulla causa est cur voluntatis divinæ decreta mutari valeant. Quòd enim voluntas entis creati mutetur, ex duobus oriri solet, nimirum ex mutatione quadam physica subjecti volentis, unde bonum incipiat ei esse quod antea bonum non erat; vel ex defectu cognitionis circa rem aliquam, quæ postea perfectiùs nota habeatur. Porrò nihil horum in Deum cadere potest.

(1) « Ego enim Dominus, et non mutor. » (Mal. III, 6).

75. *Obj.* 1^o Quidquid movet seipsum, mutatur. Atqui Deus, utpote vivens, movet seipsum.

R. dist. maj. et min. — Quidquid movet seipsum motu propriè dicto, ita ut ex potentiâ ad actum transeat, *conc.*; motu impropiè dicto, qui in merâ actione consistit, *neg.* Porrò Deus aliter sese non movet quàm agendo; nam actio et vita illius est æterna et semper eadem.

76. *Obj.* 2^o Deus mundum condidit in tempore, et exhinc ei certæ relationes cum creaturis accesserunt, quibus antea carebat. Hujusmodi sunt relationes quibus dicitur dominus, conservator, gubernator. Sed hæc mutationem inducunt.

R. neg. min. (1). — Deus quidem mundum condidit in tempore, at æterno voluntatis actu; ac proinde, si temporalis est effectus productus, non temporalis actio producens.

Quòd attinet ad relationes illas quæ Deo ex creatione accedunt, nullam ex his novam entitatem accipit, et ita nullam mutationem patitur. Nam creatæ res ab actione divinâ pendent, perficiuntur ac mutantur, sed non vicissim. Quare istæ relationes sunt reales quidem in creaturis, at logicæ tantum in Deo, qui ex ipsis nullum novum essendi modum accipit.

ARTICULUS III

De æternitate Dei.

77. Æternitas luculenter a Boetio definitur « interminabilis vite tota simul et perfecta possessio. » (*De consol. philos.*, l. V, prosa 6). Duplex ergo includit elementum, aliud scilicet materiale, nempe sempiternitatem; aliud verò formale, nimirum simultaneitatem durationis.

78. *Assertio* : Deus est æternus.

Enimverò duratio ejus est sempiterna et simultanea. Probatur 1^{um}, quia Deus initium non habuit, neque habiturus est finem.

1^o Non habuit initium. Deus, ex probatis, est ens necessa-

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, 2^o part., c. 3, p. 253-255.

rium ac primum. Porrò quidquid incipit, dici debet contingens et secundarium. Quod enim incipit, priusquam inciperet, non erat. — Rursus, quidquid incipit, ab alio incipit; ac proinde non est ens primum.

2^o *Non habebit finem.* Enimvero quod esse desinit, habet existentiam contingentem, imò et labilem, quæ pugnant cum naturâ entis necessarii ac summè perfecti.

Probat 2^{um}, quia omnis successio adversaretur immutabilitati et infinitæ perfectioni Dei. Nam ens successivum acquirit quod non habebat, vel quod habebat amittit; ideoque mutabile est et imminutionis capax. « In Deo ergo, ait « S. Thomas, non cadit præteritum et futurum; sed quidquid est in Eo, est totum in præsentia æternitate, quæ præsentialiter totum temporis decursum attingit et transcendit. » (*Qq. disp. de Pot.*, q. 1, a. 5, ad 2).

79. *Corollarium.* Licet, ut notat D. Augustinus, immutabilis Dei natura « non recipiat fuit et erit, sed tantum est, ... « tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas et nostra mutabilitas, non mendaciter « dicimus et fuit (Deus), et erit, et est. Fuit in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper « est. » (*Tract. 39 in Evang. S. Joann.*, n. 5).

Hinc Deus, quatenus sempiternus et immutabilis, æquè præsens est omnibus sæculis et diversis rebus quæ incredibili mobilitate sibi succedunt. Mirabilis illa æternitas assimilari valet immoto et permanenti centro quod, ob lineas inde ductas, respondet omnibus punctis circuli qui circa ipsum volvi supponitur.

ARTICULUS IV

De ubiuitate et immensitate Dei.

80. *Notio immensitatis et ubiuitatis.*

1^o Immensum vocatur quod *mensurari nequit*, utpote mensuram omnem *excedens*. Propterea, immensitas nihil est aliud nisi *attributum vi cuius Deus exquirat ut rebus omnibus*

et singulis, vel infinitis, si dari possent, immediatè præsens esse valeat per suam operationem et essentiam.

2^o Immensitas ab *ubiuitate* secernenda est; ubiuitas enim illa est præsentia quæ Deus *rebus ac locis existentibus omnibus adest*; unde significat attributum quoddam *relativum, temporaneum*, consequens immensitatem, nec strictè tamen infinitum, quoniam res existentes non sunt infinitæ. — Immensitas autem est quid *æternum, infinitum et absolutum*, quatenus ad *omnia possiblea* ordinem habet, simulque præscindit ab *actuali rerum existentia*.

81. *Assertio 1^a : Deus est ubique tum potentia, tum substantia suâ (1).*

PROB. 1^a PARS ex actione Dei. Ubiue Deus operatur. Ergo ubique adest præsentia virtutis. — *Antecedens* probatur, quia Deus res mundanas *singulas* non creavit solum, verum etiam, ut infra ostendetur, *jugi influxu conservat*, et ad omnes earum actiones concurrat.

PROB. 2^a PARS ex simplicitate Dei. In Deo enim nec operatio a potentia, nec potentia distinguitur ab essentia. Ergo ubique operatio, ibi potentia; ubi potentia, ibi etiam essentia vel substantia divina.

82. *Assertio 2^a : Deus est immensus.*

Deus potis est immediatè adesse rebus omnibus non solum existentibus, verum et possibilibus, quoquoque fingi possint. Ergo est immensus. — *Antecedens* constat ex infinita potentia Dei, quæ ad omnia possiblea porrigitur. Sed quanta est potentia divina, tanta immensitas; si ergo infinita potentia, infinita quoque præsentia admittatur oportet.

83. *Corollarium.* Licet nonnisi *peractâ* creatione, rebus mundanis adsit Deus, tamen *ab æterno* immensus est, cum ab essentia suâ habeat ut rebus cunctis possibilibus adesse possit. — Et quanquam reipsa non adsit nisi entibus aut locis numero finitis, tamen ex parte Ipsius nihil deest cur adsit infinitis locis, si illi existerent. Ergo ita creatis rebus præ-

(1) « Numquid non cælum et terram ego impleo, dicit Dominus? » (*Jer. XXIII, 24*).

sens est, ut eas *impleat et transcendat*, et in se contineat immensitatis suæ excessum.

Propterea, si quæras *ubi erat Deus antequam mundum conderet*, ad rem respondet Tertullianus: « Ante omnia Deus erat solus. *Ipse sibi mundus, et locus, et omnia.* (Cont. Prax., c. 5).

84. Obj. Immensitas stare nequit cum immutabilitate. Quod enim est in aliqua re, vicissitudines illius sequitur. Si ergo Deus præsens est rebus mundanis mutabilibus, perinde atque ipsæ mutabilis inducitur.

R. dist. ant., neg. cons. Si enim aliquid sit in altero veluti pars illius, aut saltem ab illo pendeat, debet quidem illius sequi vicissitudines. Si autem nec sit pars illius in quo est, nec ab illo pendeat, nihil est cur subijci debeat illius mutationibus. Porro hac tantum ratione creatis entibus præsentem dicimus Deum; et quemadmodum sol non mutatur ex mutatione rerum diversarum quas illuminat, ita nec Deus ex rerum vicissitudine afficitur.

CAPUT II

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS ET POSITIVIS

85. *Attributa Dei absoluta et positiva ea sunt quæ de Ipso prædicant perfectionem aliquam simpliciter simplicem, sed excellentiori ratione atque in creaturis inveniunt.* Porro tria præ aliis famosiora occurrunt, nempe intelligentia, voluntas et potentia. De iis sigillatim disputandum est.

ARTICULUS I

De intelligentiâ et scientiâ Dei.

Dicendum est 1° de illius existentiâ; 2° de illius objecto; 3° de illius medio; 4° de illius proprietatibus.

§ I. — De existentiâ intelligentiæ et scientiæ Dei.

86. Assertio: *Deo attribuenda est intelligentiâ.*

1° Attribuenda est Deo perfectio simpliciter simplex, quin etiam excellentissima. Porro intelligentia talis est. — 2° Eâ insignitur omnis substantia immaterialis, et ratio immaterialitatis est etiam ratio potentiæ intellectualis; quia quod a materiâ non pendet non determinatur ad unum, sed universale potest amplecti, quod est intelligere (1). (Cf. *Anthrop.*, n. 83). Porro Deus immaterialis est, imò verò in summo immaterialitatis, utpote in summo *simplicitatis* (Supra, n. 74). — 3° Demum, intelligentiam Dei publicam faciunt singula Ejus vel minima opera.

§ II. — De objecto scientiæ divinæ.

87. Objectum divinæ scientiæ *primarium*, aut *secundarium* vocatur, quatenus Deum ipsum, aut cætera entia respicit.

88. Assertio 1^a: *Deus intelligit et comprehendit seipsum.*

PROB. 1^a PARS, quia, ex unâ parte, Deus est intelligens, et, ex alterâ parte, est intelligibilis sibi quæ immediatè præsens, propterea quòd immaterialem naturam habet, eamque ab intelligentiâ suâ non distinctam. Quare immediatè seipsum apprehendit, cum idem sint in Ipso intellectus, intelligere et essentia intelligibilis.

PROB. 2^a PARS. Scilicet Deus ita seipsum amplectitur, ut nihil Ipsius Eum lateat, ac tantum se intelligat, quantum intelligibilis est. — Ad hoc enim duo sufficiunt: 1° ut pos-

(1) « Immunitas a materia est causa intellectualitatis, cujus signum est quod formæ materiales efficiuntur intelligibiles actu per hoc quod abstrahantur a materiâ et a materialibus conditionibus. » (S. Thom., *Compend. theol.* c. 27).

sens est, ut eas *impleat et transcendat*, et in se contineat immensitatis suæ excessum.

Propterea, si quæras *ubi erat Deus antequam mundum conderet*, ad rem respondet Tertullianus: « Ante omnia Deus erat solus. *Ipse sibi mundus, et locus, et omnia.* (Cont. Prax., c. 5).

84. Obj. Immensitas stare nequit cum immutabilitate. Quod enim est in aliqua re, vicissitudines illius sequitur. Si ergo Deus præsens est rebus mundanis mutabilibus, perinde atque ipsæ mutabilis inducitur.

R. dist. ant., neg. cons. Si enim aliquid sit in altero veluti pars illius, aut saltem ab illo pendeat, debet quidem illius sequi vicissitudines. Si autem nec sit pars illius in quo est, nec ab illo pendeat, nihil est cur subijci debeat illius mutationibus. Porro hac tantum ratione creatis entibus præsentem dicimus Deum; et quemadmodum sol non mutatur ex mutatione rerum diversarum quas illuminat, ita nec Deus ex rerum vicissitudine afficitur.

CAPUT II

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS ET POSITIVIS

85. *Attributa Dei absoluta et positiva ea sunt quæ de Ipso prædicant perfectionem aliquam simpliciter simplicem, sed excellentiori ratione atque in creaturis inveniuntur. Porro tria præ aliis famosiora occurrunt, nempe intelligentia, voluntas et potentia. De iis sigillatim disputandum est.*

ARTICULUS I

De intelligentiâ et scientiâ Dei.

Dicendum est 1° de illius existentiâ; 2° de illius objecto; 3° de illius medio; 4° de illius proprietatibus.

§ I. — De existentiâ intelligentiæ et scientiæ Dei.

86. Assertio: *Deo attribuenda est intelligentiâ.*

1° Attribuenda est Deo perfectio simpliciter simplex, quin etiam excellentissima. Porro intelligentia talis est. — 2° Eâ insignitur omnis substantia immaterialis, et ratio immaterialitatis est etiam ratio potentiæ intellectualis; quia quod a materiâ non pendet non determinatur ad unum, sed universale potest amplecti, quod est intelligere (1). (Cf. *Anthrop.*, n. 83). Porro Deus immaterialis est, imò verò in summo immaterialitatis, utpote in summo *simplicitatis* (Supra, n. 74). — 3° Demum, intelligentiam Dei publicam faciunt singula Ejus vel minima opera.

§ II. — De objecto scientiæ divinæ.

87. Objectum divinæ scientiæ *primarium*, aut *secundarium* vocatur, quatenus Deum ipsum, aut cætera entia respicit.

88. Assertio 1^a: *Deus intelligit et comprehendit seipsum.*

PROB. 1^a PARS, quia, ex unâ parte, Deus est intelligens, et, ex alterâ parte, est intelligibilis sibi quæ immediatè præsens, propterea quòd immaterialem naturam habet, eamque ab intelligentiâ suâ non distinctam. Quare immediatè seipsum apprehendit, cum idem sint in Ipso intellectus, intelligere et essentia intelligibilis.

PROB. 2^a PARS. Scilicet Deus ita seipsum amplectitur, ut nihil Ipsius Eum lateat, ac tantum se intelligat, quantum intelligibilis est. — Ad hoc enim duo sufficiunt: 1° ut pos-

(1) « Immunitas a materia est causa intellectualitatis, cujus signum est quod formæ materiales efficiuntur intelligibiles actu per hoc quod abstrahantur a materiâ et a materialibus conditionibus. » (S. Thom., *Compend. theol.* c. 27).

sit comprehendi; 2^o ut possit seipsum comprehendere. Atqui hæc duo constant. — *Comprehendi potest*, utpote qui est omnino in actu, nec quidquam habet potentiale aut futurum, sed est actus purus. — *Potest seipsum comprehendere*, quia tantus est Dei intellectus, quanta essentia, ex quâ non discernitur. Atqui infinita est essentia divina; ergo et intellectus divini acies. Sed intellectus infinitus comprehendere valet quicquid est comprehensibile.

89. Corollarium. Hinc intellectus divinus humanum intellectum longè vincit; nos enim *nullam* vel minimam quidem rem, nec ipsam animam nostram possumus *comprehendere*. Nullum enim ens creatum est totaliter in actu, sed sensim ex potentia ad actum transit. Quocirca entis cujusvis alia pars est in præsentia, alia præterit, alia autem futura est; ac proinde nullius entis vel ipsa phænomena aut potentias comprehendere nobis licet.

90. Assertio 2^a: *Deus seipsum primariò, et alia secundariò intelligit.*

Propositio non id sibi vult quòd *duplici* actu se et alia a se Deus cognoscat, sed quòd ipsius essentia sit principale objectum ejus scientiæ, alia autem secundarium.

Probatum quia cum intelligentia Dei perfectissima sit, debet habere pro objecto primario illud quod est maximè intelligibile, et per quod cætera participant intelligibilitatis propriæ rationem. Porrò essentia divina, utpote infinita, magis intelligibilitatis habet quàm omnes res aliæ simul acceptæ, et aliæ res omnes ab eâ intelligibilitatis suæ rationem participant.

Assertio 3^a: *Deus cognoscit omnia actualia, præterita, singularia, futura etiam libera, merè possibilìa, mala ipsa et infinita.*

91 I. Deus cognoscit omnia actualia et præterita (1).

Sic enim profundè argumentatur D. Thomas: « Necesse est Deum cognoscere alia a se. Manifestum est enim quòd

(1) « Non est ulla creaturâ invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus. » (*Hebr. iv, 13*).

« seipsum perfectè intelligit; alioquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfectè aliquid cognoscitur, necesse est quòd virtus ejus perfectè cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfectè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quòd ipsa est *prima causa effectiva omnium* entium, necesse est quòd Deus alia a se cognoscat. » (1^a, q. 14, a. 5, c).

Porrò argumento D. Thomæ constat cognosci a Deo sive actualia, sive præterita, cum utrorumque pariter sit « prima causa efficiens. »

92. Cognoscit singularia, et quidem cum suis notis individualis. Probatum contra quosdam qui voluerunt singularia non cognosci a Deo nisi *communi* seu *generali* quadam ratione.

1^o Essentia Dei, utpote infinita, in se habet quicquid perfectionis inest cuicumque rei; propria enim cujusque rei natura in eo est ut aliquâ ratione divinam perfectionem participet. Ergo Deus *potest* in seipso omnes res cognoscere *propria* cognitione.

2^o Deus, quatenus ens subsistens, *debet* perfectè cognoscere naturam essendi. Porrò eam imperfectè cognosceret, nisi sciret *omnes* et *singulos* essendi modos. At singularia nihil aliud sunt nisi varii essendi modi, imò varii modi secundum quos Dei perfectio ab aliis participari potest.

93. Corollarium. *Plures ideæ in mente divinâ ponendæ sunt*, ut clare argumentatur Aquinas noster: « Ipse enim (Deus) essentiam suam perfectè cognoscit. Unde cognoscit secundum omnem modum quo cognoscibilis est. Potest autem cognosci non solum secundum quòd in se est, sed secundum quòd est *participabilis* secundum aliquem modum similitudinis a creaturis. Unaquæque autem creatura habet propriam speciem, secundum quòd aliquo modo participat divinæ essentiæ similitudinem. Sic igitur, in quantum Deus cognoscit suam essentiam, *ut sic imitabilem a tali creaturâ, cognoscit eam ut propriam rationem et ideam hujus creaturæ*; et similiter de aliis. Et sic patet quòd Deus

« intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quæ sunt plures ideæ. » (1^a, q. 13, a. 2, c).

94. III. *Cognoscit futura* (1) *etiam libera*. Probatur contra Ciceronem qui Deo negavit cognitionem futurorum libero- rum, ne forte actus humani sic prævisi libertate destituerentur. (*De Divinat.*, l. II, c. 8).

1^o Deus, ipsâ vi æternitatis suæ, *ambit* omnia tempora et cuique tempori præsens est. Itaque, ut ait S. Thomas, intuitus divinus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in suâ præ- sentialitate. — 2^o Tullii opinio Deo subtrahit gubernationem actuum humanorum; hoc autem philosophicè necnon theo- logicè hæreticum est. Merito igitur S. Augustinus: « Dum vult homines facere liberos, facit sacrilegos. » (*De civit. Dei*, l. V, c. 9).

95. *Cognoscit merè possibilìa*. Merè possibilìa dicuntur quæ esse possent, sed tamen nunquam erunt. Hæc igitur vel Dei, vel creaturarum potentiâ continentur. Unde cum Deus tum suam, tum creaturarum potentiâ cognoscat, varia cognoscit possibilìa.

96. *Cognoscit mala et peccatâ*. Ut enim cum D. Thomâ loquamur, « quicumque perfectè cognoscit aliquid, oportet quod cognoscat omnia quæ possunt illi *accidere*. Sunt au- tem quædam bona quibus accidere potest ut per mala cor- rumpantur. Unde Deus perfectè non cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. — Sic autem est cognoscibile unumquodque secundum quod est. Unde cum hoc sit esse mali, quod est *privatio* boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. » (1^a, q. 14, a. 10, c).

97. *Cognoscit infinita*. Id quippe sequitur ex probatis. Ex unâ enim parte, Deus perfectè cognoscit potentiâ suam quæ ad infinita porrigitur; et, ex alterâ parte, cognoscit omnium et singularum creaturarum motus omnes et actus

(1) « Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. » (*Rom.* IV, 17),
« Intellexisti cogitationes meas de longe... et omnes vias meas prævidisti. » (*Ps.* CXXXVIII, 3, 4).

sive præsentis, sive futuros, quorum numerus in infinitum multiplicabitur.

§ III. — De medio scientiæ divinæ.

98. *Status questionis*. Probavimus omnia cognosci a Deo; sed in quonam medio ea cognoscat, et num medium hoc unum sit, an multiplex, in præsentia inquiritur.

Deus seipsum in essentiâ suâ cognoscit, nec in eo ulla est difficultas, cum in Illo essentiâ, intellectus, intelligibile, intelligere et species intelligibilis non reipsa distinguantur.

Porrò in eodem quoque medio alia a se cognoscit.

99. *Assertio*: Deus alia a se cognoscit in suâ essentiâ.

Potest in suâ essentiâ alia a se cognoscere, propterea quod Ipsius essentiâ rerum omnium similitudinem continet. Enimvero, artifex in mente suâ intelligere potest quæcumque fecit, quin se convertat ad ea in seipsis considera- randa. Atqui Deus est causa efficiens rerum omnium, nihilque aliud sunt mundanæ res nisi diversæ participationes aut similitudines essentiâ divinæ.

2^o Deus *debet* in suâ essentiâ alia a se cognoscere. Si nam- que varias res in seipsis cognosceret, multa incommoda se- querentur, quæ admitti haud possunt. Jam enim divina scientia hauriretur ac proinde penderet et perficeretur ab ipsis rebus creatis. — Præterea, non *una*, sed multiplex foret, cum ipsæ res cognitæ sint diversæ et plurimæ numero. Et quidem hi duo defectus in humanâ scientiâ occurrunt. At verò, *una* remanet scientia Dei, licet ad infinita extendatur, quia in *uno medio* perficitur, nimirum in Illius essentiâ.

100. *Corollarium*. Quanquam autem Deus varias res in suâ essentiâ cognoscit, tamen eas cognoscit *prout sunt in seipsis*, quia essentiâ ejus est similitudo omnium quæ sunt in ipsis rebus.

101. *Divisio scientiæ divinæ*. Divina scientia dividitur a S. Thoma in scientiam *visionis*, et *simplicis intelligentiæ*.

Prior respicit *omnes res quæ fuerunt, sunt in præsentia, vel future sunt*; quidquid enim existit in aliquo temporis puncto,

a Deo utcumque *videri* potest, quatenus *præsens* Illius æternitati. — Posterior autem respicit *res merè possibilis et quæ nunquam erunt*; has enim Deus videre nequit, cum actualitate careant, sed potest *intelligere*, quia fruuntur intelligibilitate.

102. A nonnullis philosophis ac theologis admittitur adhuc scientia, ut vocant *media*, eo quod media sit inter scientiam visionis et simplicis intelligentiæ. Et ea versatur circa *futura libera vel conditionata quæ fierent, si talis impleretur conditio*, i. e., si causa in *cærtis circumstantiis* poneretur.

Sed illa non debet admitti, ut a scientia visionis et simplicis intelligentiæ distincta. Nam conditionata hæc seu libera, vel eventura supponuntur, quia implebitur conditio, vel non eventura, quia non implebitur. *Si prius*, Deus ea, sicut omnia futura, colligit scientiâ visionis; *si posterius*, jam sunt merè possibilis et concluduntur scientiâ simplicis intelligentiæ.

103. *Quomodo Deus amplecti possit futura libera scientia visionis?*

Duplex eâ de re potissima est sententia, Molinistarum scilicet et Thomistarum.

1^o *Expositio sententiæ Molinistarum.* Deus *perfectè* scit quidquid facere valeat causa omnis creata, *absolutè sumpta*; novit enim omnem potentiam quam cuique rei largitus est.

— Scit etiam quidquid facere valeat in *tali vel tali circumstantiâ* posita, ac *tali vel tali prædita auxilio*. Nam *perfectè* cognoscit quem influxum determinatæ circumstantiæ exercere possint in actiones hominum. Unde, si homines ipsi *probabiliter* colligere possunt quid talis homo in talibus circumstantiis acturus sit, Deus id ob infinitam perspicacitatem suam certitudinaliter colligit.

Non ergo in suis decretis, sed *ante omne suæ voluntatis decretum*, certò novit Deus quid creaturæ liberæ facturæ sint, postquam decrevit eas in talibus circumstantiis ponere, in tali ordine rerum et sub tali auxilio (1). Itaque plena ma-

(1) Cum Suarezio quidam molinistæ recentes dicunt futura libera co-

net hominis libertas; non enim, *id futurum est, quia Deus prævidit, sed ideo prævidit, quia futurum est.*

2^o *Expositio sententiæ Thomistarum.* Thomistæ, nimirum plurimi scholastici, et plures philosophi recentiores, inter quos Bossuetius et Fenelonius (*Exist. de Dieu*, 2^o part. c. 4, a. 3, n. 114-117), sic argumentantur: Causa libera, ipsâ vi suæ libertatis, potest agere altero vel altero modo, ac proinde effectus producere æquè ac non producere; et illud valet de causâ liberâ, in omnibus *circumstantiis tum objectivis, tum subjectivis* positâ; cum enim libera sit, positis etiam his circumstantiis, potest in alteram vel alteram partem sese determinare. Unde qui effectum futurum liberum non nisi in causâ ejus cognoscit, non potest habere nisi *conjecturalem* illius prævisionem. Atqui Deus habet futurorum liberorum cognitionem non conjecturalem, sed certissimam. Ergo ea videre nequit in eorum causâ, sed tantum *in decretis suis*, quibus scilicet ab æterno *determinat, vel permittit* quædam libera futura esse. — Non ea, inquam, videt in suâ *essentiâ*, ut essentia est; hæc enim est exemplar omnium possibilium, ac proinde vel omnia jam possibilis contingere deberent, vel saltem nulla foret ratio cur alia præ aliis ad existentiam adducerentur. — Et quidem *bona* futura videt in suis decretis *approbativis et positivis*, mala autem in decretis *permissivis*, quibus nimirum permittit ista liberè fieri.

In summâ igitur, *quæ futura sunt non prævidet Deus, quia futura sunt, sed ideo futura sunt, quia prævidet.*

104. Licet utraque opinio tum in Ecclesiâ catholicâ, tum in philosophiâ liberè controvertatur, *nobis tamen multo probabilior videtur Thomæ sententia*, tum ratione jam dictâ quam

gnosci a Deo in suâ veritate *objectivâ*, quia ex duabus contradictoriis, v. g. Petrus, in his circumstantiis positus, peccabit, Petrus non peccabit, una est ab æterno vera et determinatè futura. At sic refelli possunt ex D. Thomâ: « Illud quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quia in causâ suâ erat ut fieret. Unde, sublata causâ, non esset futurum illud fieri; sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causâ sempiternâ fuit ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est. » (1a, q. 16, a. 7, ad 3).

ipse egregiè exponit (1), tum quia, in adversâ opinione, Deus videtur cognoscere futura *in seipsis*, jamque oportet ut scientia Ejus a rebus hauriatur, perficiatur et pendeat, ac sit multiplex, quatenus fit in medio multiplici. — Cæterum, hæc sententia confirmabitur ex dicendis infra de concursu divino et physicâ præmotione.

105. *Objiciunt* molinistæ a Thomistis humanam libertatem pessumdari, quia Deus res futuras in decretis suis videt, et eadem ideo futuræ sunt quia prævidit Deus.

At responderi potest futura libera *infallibiliter* quidem, non

(1) « Unumquodque hoc modo cognoscitur in aliquo, quo est in eo. Quædam igitur futura in causis suis proximis determinata sunt hoc modo, ut ex eis *necessario* contingant, sicut solem oriri eras; et tales effectus futuri in suis causis cognosci possunt. Quidam verò futuri effectus in causis suis non sunt determinati, ut aliter evenire non possint, sed tamen eorum causæ magis se habent ad unum quàm ad alterum; et ista *contingentia* sunt, quæ ut in pluribus vel paucioribus accidunt; et hujusmodi effectus in causis suis non possunt cognosci *infallibiliter*, sed cum quadam certitudine conjecturæ. Quidam autem effectus futuri sunt quorum causæ indifferentes se habent ad utrumque; hæc autem vocantur *contingentia* ad utrumlibet, ut sunt illa præcipue quæ dependent ex libero arbitrio. Sed quia ex causâ ad utrumlibet, cum sit quasi *in potentia*, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad unum quàm ad aliud, ideo hujusmodi effectus in causis quidem ad utrumlibet nullo modo cognosci possunt *per se acceptis*; sed si adiungantur causæ illæ, quæ causas ad utrumlibet inclinant magis ad unum quàm ad aliud, potest aliqua certitudo *conjecturalis* de effectibus prædictis haberi; sicut de his quæ ex *libero* arbitrio dependent, aliqua futura conijcimus ex consuetudinibus et complexionibus hominum, quibus inclinatur ad unum. Omnes autem hujusmodi effectus, qualescumque sint eorum causæ proximæ, *tamen in causâ primâ omnes sunt determinati*, quæ suâ præsentia omnia intuetur, et suâ providentiâ omnibus modum imponit. » (Qq. disp. de Verit., q. viii, a. 2, c.).

Ex hoc textu sicut ex textu allato, n. 104, nota, et ex aliis quos afferemus infra, ubi de concursu divino, patet quam falsò asserant quidam molinistæ recentes, non propugnari à D. Thomâ sententiam quam thomistarum diximus. Alterum interea textum recitemus perquam lucidum: « Oportet ostendere quòd Deus *cogitationes mentium et voluntates cordium* cognoscit in virtute causæ, quum ipse sit *universale* essendi principium... *Omnia* igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua *causalitas* extenditur. Extenditur autem ad operationes intellectus et voluntatis... Et sic remanet causalitas in causâ primâ, quæ Deus est, respectu motuum *voluntatis*, ut sic Deus, seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit. » (Cont. Gent., 1, 68).

autem *necessario* ad existentiam perventura esse. Et inter utrumque ingens est discrimen. Nam quæ futura sunt *necessario*, erunt a causâ omni libertate destitutâ. Quæ autem *infallibiliter* dundaxat evenient, erunt quidem, sed erunt liberè, quia erunt a causâ sese determinante liberè. — Res exemplo declarari potest: Pone duplicem actionem a duobus agentibus diversis exeri in *præsenti*, quorum unum, ut animal brutum, libertate careat, aliud verò, ut homo, libertate fruatur; sanè utrumque agit certò et infallibiliter, sed aliud *necessario*, aliud *contrà* liberè. — Idem porrò de actibus *futuris* dicendum est. Quippe tanta est vis scientiæ divini, ut prævideat non solum *res* quæ futuræ sunt, sed etiam *modum* quo futuræ sunt, scilicet earum necessitatem aut libertatem. Et tanta est vis divini voluntatis ut res fiant in tempore sicut ab æterno decrevit vel permisit. Unde non possunt non evenire liberè quæ Deus prævidit et ordinavit liberè eventura (1).

§ IV. — De proprietatibus scientiæ divini et multiplici ejus discrimine a scientiâ humanâ

106. Ut diximus, perfectiones *simpliciter simplices* tum Deo, tum creaturis conveniunt, eminentius tamen Deo. Nil igitur mirum si intelligentia vel scientia quæ Deo et hominibus communis habetur, in Illo et istis habeatur diversâ ratione. Porrò ex quadruplici capite differentia potest accipi, videlicet ex parte objecti, subjecti, medii et efficacitatis.

1º *Ex parte objecti*. Scientia divina omnia colligit, utpote quæ capit præterita, præsentia et futura, etiam libera. Humana autem scientia præteritorum obliviscitur, præsentia plurima ignorat, nulla futura libera certò prævidet.

2º *Ex parte subjecti*. Scientia Dei est *substantialis*, et ideo

(1) Ad rem D. Thomas: « Si Deus providit hoc futurum, hoc erit sicut Deus providit illud esse futurum; providit autem illud esse futurum contingenter; sequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, non necessario. » (Cont. Gent., l. iii, c. 91; cf. S. Aug., De Civit. Dei, l. v, c. 10).

immutabilis et æterna, quippe quæ ab ejus essentiâ non distinguitur. — In nobis autem scientia est accidentalis ac mobilis, cum intellectus noster nullis nascatur instructus ideis, sed pedetentim ex potentiâ transeat ad actum.

3^o *Ex parte medii.* Scientia Dei una est et *intuitiva*, siquidem Deus in essentiâ suâ, vel in suis decretis omnia cognoscit; at scientia hominis *multiplex* est, quia res diversas in seipsis cognoscit, ac deficit a scientiarum *synthesi*. Ex quo fit ut potius *scientias* quàm *scientiam* assequatur. — Insuper hominis scientia *discursiva* est, quia homo lente, ope *comparationis* ac *reflexionis* assequitur scientiam.

4^o *Ex parte efficacitatis.* Nostra scientia, utpote quæ accipitur a rebus, earum minimè causa est, sed e contrario, ab ipsis mensuratur et partim efficitur, eisque debet sese conformare. — At scientia Dei prorsus est independens, quia rebus non indiget ut eas in seipsis cognoscat; res contra indigent Deo ut sint. Enimvero scientia Dei est causa et mensura rerum, quatenus ad eas se habet ut scientia *artificis* ad res quas ipse concinnat. Deus enim omnia fecit secundùm exemplaria mentis suæ. — Attamen, ut artificis, sic etiam Dei scientia non est causa rerum, nisi quatenus conjunctam habet *voluntatem*.

ARTICULUS II

De voluntate Dei.

Quatuor licet inquirere: 1^o utrum voluntas Deo conveniat? 2^o quodnam sit illius objectum? 3^o quomodo illius libertas cum immutabilitate possit componi? 4^o quænam sint illius proprietates?

§ I. — De existentiâ voluntatis divinæ.

107. *Assertio: Deo competit voluntas.*

1^o Ex dictis, Deo attribuenda est omnis perfectio *simpliciter simplex*, quæ scilicet nihil imperfecti in conceptu suo præ

se fert. Porrò hujusmodi est voluntas, quæ sanè melior est ipsa quàm non ipsa. — Quinimo principium est nullarum perfectionum quas vehementer mirari solemus, quales sunt, v. g. potentia, bonitas, justitia, fidelitas, sanctitas.

2^o Deus intellectu pollet; ergo et voluntate. Nam appetitus cognitionem *sequitur* et ab eâ *generatur*; simul quippe ac quiddam cognoscitur ut bonum vel malum, appetitum incitat ad se vel repellit. — Unde, ut cognitio sensitiva trahit appetitum sensitivum, ita cognitio intellectualis appetitum rationalem seu voluntatem.

§ II. — De objecto voluntatis divinæ.

108. Objectum voluntatis divinæ aliud est *primarium* et *necessarium*, aliud *secundarium* et *liberum*, prout Deum ipsum, vel cætera entia respicit.

109. *Assertio 1^a: Deus vult seipsum primario et necessario amore.*

PROB. 1^a PARS, quia divinus amor, ne inordinatus dici velit, debet primariò terminari ad summum bonum. Atqui Deus solus est summum bonum.

PROB. 2^a PARS. Deus non potest non velle summum bonum, suum finem et suam beatitudinem. Porrò Deus est summum bonum, suus finis et sua beatitudo. Ut enim argumentatur D. Thomas, « nihil sub nomine beatitudinis intelligitur « nisi *bonum perfectum intellectualis naturæ, cujus est suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet...* Utrumque « autem istorum excellentissimè Deo convenit, scilicet perfectum esse et intelligentem. » (1^a, q. 26, a. 1, c.)

110. *Assertio 2^a: Deus vult alia a se, sed secundariò et liberè.*

PROB. 1^a PARS. Deus possidet quidquid perfectionis inest creaturis. Porrò creaturæ non tantùm sui boni studiosæ sunt, sed etiam pronæ ad suum bonum aliis communicandum. Quapropter ad rationem bonitatis pertinet ut sui sit *diffusiva*, et eò magis aliquod ens est diffusivum sui, quò majorem perfectionem habet. Ergo a fortiori infinitam boni-

immutabilis et æterna, quippe quæ ab ejus essentiâ non distinguitur. — In nobis autem scientia est accidentalis ac mobilis, cum intellectus noster nullis nascatur instructus ideis, sed pedetentim ex potentiâ transeat ad actum.

3^o *Ex parte medii.* Scientia Dei una est et *intuitiva*, siquidem Deus in essentiâ suâ, vel in suis decretis omnia cognoscit; at scientia hominis *multiplex* est, quia res diversas in seipsis cognoscit, ac deficit a scientiarum *synthesi*. Ex quo fit ut potius *scientias* quàm *scientiam* assequatur. — Insuper hominis scientia *discursiva* est, quia homo lente, ope *comparationis* ac *reflexionis* assequitur scientiam.

4^o *Ex parte efficacitatis.* Nostra scientia, utpote quæ accipitur a rebus, earum minimè causa est, sed e contrario, ab ipsis mensuratur et partim efficitur, eisque debet sese conformare. — At scientia Dei prorsus est independens, quia rebus non indiget ut eas in seipsis cognoscat; res contra indigent Deo ut sint. Enimvero scientia Dei est causa et mensura rerum, quatenus ad eas se habet ut scientia *artificis* ad res quas ipse concinnat. Deus enim omnia fecit secundum exemplaria mentis suæ. — Attamen, ut artificis, sic etiam Dei scientia non est causa rerum, nisi quatenus conjunctam habet *voluntatem*.

ARTICULUS II

De voluntate Dei.

Quatuor licet inquirere: 1^o utrum voluntas Deo conveniat? 2^o quodnam sit illius objectum? 3^o quomodo illius libertas cum immutabilitate possit componi? 4^o quænam sint illius proprietates?

§ I. — De existentiâ voluntatis divinæ.

107. *Assertio: Deo competit voluntas.*

1^o Ex dictis, Deo attribuenda est omnis perfectio *simpliciter simplex*, quæ scilicet nihil imperfecti in conceptu suo præ-

se fert. Porrò hujusmodi est voluntas, quæ sanè melior est ipsa quàm non ipsa. — Quinimo principium est nullarum perfectionum quas vehementer mirari solemus, quales sunt, v. g. potentia, bonitas, justitia, fidelitas, sanctitas.

2^o Deus intellectu pollet; ergo et voluntate. Nam appetitus cognitionem *sequitur* et ab eâ *generatur*; simul quippe ac quiddam cognoscitur ut bonum vel malum, appetitum incitat ad se vel repellit. — Unde, ut cognitio sensitiva trahit appetitum sensitivum, ita cognitio intellectualis appetitum rationalem seu voluntatem.

§ II. — De objecto voluntatis divinæ.

108. Objectum voluntatis divinæ aliud est *primarium* et *necessarium*, aliud *secundarium* et *liberum*, prout Deum ipsum, vel cætera entia respicit.

109. *Assertio 1^a: Deus vult seipsum primario et necessario amore.*

PROB. 1^a PARS, quia divinus amor, ne inordinatus dici velit, debet primariò terminari ad summum bonum. Atqui Deus solus est summum bonum.

PROB. 2^a PARS. Deus non potest non velle summum bonum, suum finem et suam beatitudinem. Porrò Deus est summum bonum, suus finis et sua beatitudo. Ut enim argumentatur D. Thomas, « nihil sub nomine beatitudinis intelligitur « nisi *bonum perfectum intellectualis naturæ, cujus est suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet...* Utrumque « autem istorum excellentissimè Deo convenit, scilicet perfectum esse et intelligentem. » (1^a, q. 26, a. 1, c).

110. *Assertio 2^a: Deus vult alia a se, sed secundariò et liberè.*

PROB. 1^a PARS. Deus possidet quidquid perfectionis inest creaturis. Porrò creaturæ non tantum sui boni studiosæ sunt, sed etiam pronæ ad suum bonum aliis communicandum. Quapropter ad rationem bonitatis pertinet ut sui sit *diffusiva*, et eò magis aliquod ens est diffusivum sui, quò majorem perfectionem habet. Ergo a fortiori infinitam boni-

tatem decet ut velit alia a se, et illis aliquid sui largiatur (1).

PROB. 2^a PARS. 1^o Deus secundariò ac liberè alia a se vult, quia cum sit perfectissimus sibi que sufficientissimus, nullis rebus externis eget, easque ob suam bonitatem *communendam* duntaxat, non autem *augendam* condidit. (*Cosmol.*, n. 30). 2^o Libertas est perfectio *simpliciter simplex*; quippe vi ejus aliquis est dominus sui actûs, et quò est liberior, eò magis est ab aliis independens. Quare Deus est liberior homine et *liberrimus*; utpote qui ab omni prorsus ente omnino independens est.

111. *Scholia.* 1^o In thesi sermo est de creaturarum *existentiâ*; nam illarum *essentiæ*, quatenus merè possibles, non realiter ab *essentiâ Dei* distinguuntur, et ideo Deus vult eas necessariò, cum sint ipsæ *necessariæ*.

2^o « Sicut intelligere divinum unum est, quia multa non videt nisi in uno, ita velle divinum est unum et simplex, quia multa non vult nisi per unum quod est bonitas sua. » (S. Th. 1^a, q. XIX, a. 2, ad 4). Nimirum Deus vult alia a se *in ordine ad se*, cum ea velit propter se, scilicet propter suam bonitatem. (*Cosmol.*, n. 30).

3^o Deus quidem omnia entia diligit, sed non æqualiter; licèt enim omnibus suam ipse bonitatem seu perfectionem dederit ac jugiter conservet, tamen magis diligit creaturas perfectiores aut meliores, quippe quibus meliorem earum perfectionem ipse velit atque conservet. (Cf. S. Th. 1^a 2^a, q. 98, a. 4, ad 2).

§ III. — De concordia libertatis cum immutabilitate Dei.

112. *Status questionis.* Ex unâ parte, nihil contingens est in Deo; quia quidquid in eo est, ab Ipsius *essentiâ* non dis-

(1) Pulchrè Contenson : « Deus bona sua effusissimè emittit; nam quod magnum est, omnibus beneficia donat; quod majus est, donat indignis; quod maximum est, donat ingratis; quod maximo majus, donat invitis; quod divinum est, post dona sua donat seipsum. » (*Theol. mentis et cordis*, t. II, dissert. 3, c. 2, specul. 3).

tinguitur; ex alterâ autem parte, Deus liberè mundum condidit, et proinde exercuit actum a quo abstinere potuisset. Jam verò hæc duo secum stare posse non videntur, quum necessitas excludat libertatem.

Utrumque tamen firmissimis argumentis probatur, proinde pro certo haberi debet, etiamsi alterum cum altero ars nostra non posset componere. Nunquam enim certa neganda vel pro dubiis habenda sunt, propterea quòd occurrunt fortè quædam obscura. Quum autem veritas aliqua cum alterâ veritate, aliunde certâ, componi a nobis nequit, id neutri, sed ignorantia nostræ duntaxat imputetur, et uterque interim extremus catenæ annulus firmiter tenendus est, quanquam mediorum annulorum continuatio nos lateat (1).

113. At difficultas ista libertatis cum immutabilitate Dei componendæ, etsi planam solutionem haud ferat, explicationem tamen omnem non renuit, si maturius exploremus naturam actûs liberi quo Deus mundum condidit. — Porrò actus creationis sub duplici aspectu considerari potest, prout nimirum *in Deo est*, et prout ad creaturas *terminatur*. Sub primo aspectu, actus divinus, perinde ac divina essentia, est aliquid necessarium; sub altero aspectu, est aliquid liberum, quia dicit liberam relationem ad creaturas.

Quâ in re duplex nobis cavendus est scopulus, ne scilicet libertatem Dei ut aliquid merè extrinsecum inducamus, aut in Deo ponamus aliquid contingens et mutabile.

114. *Assertio* : *Libera volitio Dei non est denominatio extrinseca, neque perfectio realiter distincta ab essentiâ divinâ, sed ipsa volitio necessaria quâ Deus amat seipsum, quatenus ita ad creaturas terminatur, ut possit ad eas non terminari.*

PROB. 1^a PARS. Deo extrinsecum dici nequit id quod est in Ipso actus vitalis et immanens. Sed talis est libera volitio

(1) « La première règle de notre logique, c'est qu'il ne faut jamais abandonner les vérités une fois connues, quelque difficulté qui survienne quand on veut les concilier; mais qu'il faut, au contraire, pour ainsi parler, tenir toujours fortement comme les deux bouts de la chaîne, quoiqu'on ne voie pas toujours le milieu par où l'enchaînement se continue. » (BOSSUET, *Traité du libre arbitre*, c. IV).

Dei. — Præterea, libera volitio Dei est æterna; ergo esse nequit denominatio externa, quæ a re temporaneâ oriatur, scilicet a productione creaturarum.

PROB. 2^a PARS. Libera volitio Dei non est perfectio realiter distincta ab essentiâ divinâ, quia quidquid in Deo est, ad Ejus essentiam pertinet.

PROB. 3^a PARS. Si enim libera volitio Dei non reapse distinguitur a divinâ essentiâ, restat ut nihil aliud sit nisi ipsa volitio necessaria quâ Deus amat seipsum. — Si autem volitio necessaria, quâ talis, libertatem non dicit, restat ut libera volitio Dei sit ipsa volitio necessaria, quatenus indifferens est ut terminetur, vel non terminetur ad creaturas.

115. *Explicatur natura libertatis divinæ.* Volitio Dei simplex, utpote infinita, æquè valet ac plures volitiones distinctæ, et propterea libera dici potest ex liberâ terminatione ad tale vel tale objectum, quin additio novæ realitatis in ipsâ requiratur. — Non est ergo, uti fit in libertate hominis, indifferentia libertatis divinæ in ordine ad actus internos, sed in ordine ad actus externos duntaxat, seu potius ad objecta externa, quia Deus est actus purissimus, potentialitatem omnem excludens, dum libertas hominis est mera potentia. — At quemadmodum, si voluntas humana ens necessarium foret, posset nihilominus actus ab eâ elicitus liberè fieri, si, stante hac necessitate, conservaret indifferentiam quam habet ad agendum vel non agendum; ita fermè, volitio Dei, etsi necessaria quoad entitatem, libera meritò dicitur, quia indifferenter se habet ut sese terminet vel non terminet ad creaturas, et ad talem vel talem creaturam.

Quæ, ut quantum fas est, capiantur, sedulò secernendum est id quod pertinet ad essentiâ actûs liberi, ab eo quod ad eum pertinet, quatenus in creaturis fit. Porro libertas necessariò requirit indifferentiam voluntatis relative ad objectum ad quod terminatur; oportet enim ut illud liberè eligat, et possit indifferenter illud velle aut nolle. — Sed necessariò non postulat ut actus quo voluntas aliquid vult, consideratus ex parte volentis, realiter differat ab actu quo illud non vult; neque ut actus iste potiùs sit contingens quàm necessarius.

Equidem in homine, alius est, etiam intrinsecè, actus quo aliquid vult, ab eo quo aliquid non vult; sed illud spectat ad naturam imperfectam hominis, in quo plures actus realiter distinguuntur, non verò ad naturam libertatis. Et contrà, Deus est liberior homine, quia magis independens est quàm homo ab objectis externis, ad quæ suam terminat voluntatem.

Quare Deus uno eodemque actu quo existentiam rerum decrevit, potuisset earum non-existentiam decernere. Objectum igitur externum voluntatis divinæ mutatum fuisset, sed non actus divinæ voluntatis; et actus ille, necessarius ex parte Dei, quia non distinguitur realiter ab Ejus essentiâ, est verè liber, imò liberrimus, quia non tantum potuisset sese ad res producendas non terminare, verùm etiam ad eas intrinsecè indifferens est, ab iis minimè pendet et minimè fuit sollicitatus.

§ IV. — De proprietatibus voluntatis divinæ et multiplici ejus discrimine a voluntate humanâ.

116. Voluntas humana multis vitiis laborat quæ a divinâ voluntate removenda sunt. Itaque voluntas divina ab humanâ voluntate differt ratione subjecti, objecti, efficacitatis et puritatis.

1^o *Ratione subjecti;* voluntas Dei est semper in actu, imò est substantialis, quia non realiter differt ab ejus essentiâ; contra voluntas hominis est accidentalis; est enim mera potentia seu facultas quæ transit ex potentiâ ad actum, imò tendit ad bonum absens, scilicet ad finem suum nondum possessum.

2^o *Ratione objecti;* voluntas Dei est universalis, quatenus, ex dictis, omnia et singula bona amplectitur, dum voluntas hominis non fertur nisi ad bona sibi ab intellectu exhibita.

3^o *Ratione efficacitatis;* voluntas Dei est propriè causa rerum; unde amor ejus est summe activus, caretque omni passione quâ hominum amor afficitur, qui a bonitate rerum tanquam ab objecto moventur, nedum eam efficiant amando.

4^o *Ratione puritatis;* homines enim ut plurimum, ob ali-

quam utilitatem propriam vel delectationem plus minusve diligunt; « solus autem Deus est maximè liberalis, quia non agit propter suam utilitatem (cùm sit agens tantùm), sed solum propter suam bonitatem. » (1^a, q. 44, a. 4, c).

ARTICULUS III

De potentiâ Dei.

117. *Notio potentiæ divinæ.* 1^o Ex dictis in Ontologia (n. 24), potentia est facultas recipiendi vel faciendi aliquid. Unde in passivam et activam dividitur; prior, scilicet capacitas recipiendi vel patiendi aliquid ab altero, Deo convenire nequit, cùm defectum præ se ferat. Posterior autem, nempe facultas agendi in aliud, Deum maximè decet, cùm « unumquodque in quantum est actu et perfectum, intantum sit principium activum alicujus. » (Ontolog., n. 28).

2^o Porrò Dei potentia est substantialis, quippe quæ, ut alia attributa, ab ejus essentiâ non realiter.

Et propterea non realiter differt ab ejus intellectu et voluntate, sed in Eo quidem solo, *idem est velle ac posse.*

Attamen viget discrimen rationis inter intellectum, voluntatem ac potentiam Dei, quatenus, docente D. Thomâ, potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit » (1^a q. 25, a. 1, ad 4). Potentia igitur est principium immediatum actuum externorum seu effectuum qui a Deo producentur, intellectus autem ac voluntas principium mediatum.

Attamen, ut patet, Deo conveniret potentia, etiam si nihil ad extra ageret.

118. Dei potentia dividitur in absolutam et ordinariam; prior consideratur in se solum et independenter ab aliis divinis attributis; unde est facultas faciendi quidquid in se non repugnat. Posterior autem minus extenditur, quia comparatur cum aliis attributis, v. g. cum sapientiâ et bonitate et est propriè facultas faciendi id omne et solum quod alia permittunt attributa.

119. II. *Potentia Dei est infinita.*

Prob. 1^o a priori quia, ex dictis, potentia Dei non distinguitur ab ejus essentiâ, quæ est infinita; quamobrem si divina potentia non esset tanta quanta intelligentia aut voluntas, esse divinum esset seipso majus simul et minus; quod repugnat.

2^o A posteriori; nam Deus creavit mundum; creatio verò infinitæ potentiæ opus est (Cosmol., n. 21). — Præterea Deus exercet potentiam illimitatam in omnia mundi entia, in cælum, mare ac terram, quæ regit pro libitu et quorum legibus derogat miracula patrando; imò ipsam regit hominis libertatem.

120. III. *Potentia Dei porrigitur ad omnia possibilium, non autem ad ea quæ contradictionem vel aliquem defectum præ se ferunt.*

PROB. 1^a PARS. — 1^o Potentia Dei, prout infinita, extendi debet ad omnia quæ fieri queunt. Atqui omnia possibilium, ex ipsâ suâ definitione, habent ut possint fieri. Unde S. Thomas: « Cùm potentia dicatur ad possibilium, cùm Deus omnia posse dicitur, nihil rectius intelligitur quàm quòd possit omnia possibilium, et ob hoc omnipotens dicatur » (1^a, q. 25, a. 3, c). — 2^o Præterea, quidquid possibile est, habet rationem entis, ac proinde in Deo contineri debet, in quo ipsa plenitudo entis invenitur.

Quâ in re notanda est mirabilis altitudo divinæ potentiæ: hæc enim, eo ipso quòd est infinita, creatione possibilium exhauriri haud potest, et quæcumque creaverit, alia iterum atque iterum creare valet. Enimvero, quantacumque entium creatorum multitudo fingatur, tamen finitum numerum exhibet, qui adhuc augeri potest jacetque infra infinitam potentiam Dei. — Itaque potest Deus efficere omnia possibilium sigillatim et distributive sumpta, non autem totam possibilium collectionem.

PROB. 2^a PARS. Nam quæ involvunt contradictionem, absurdum quiddam significant, ac proinde sub possibilibus non continentur, quia non habent rationem entis; talis foret, v. g. circulus quadratus. Ea igitur non subduntur omnipotentiae

Dei, non propter defectum illius, sed eo quòd non habent rationem *factibilis* aut *possibilis*. — Unde, ut notat D. Thomas, « convenientiùs dicitur quòd ea non possunt fieri, quàm quòd « ea Deus non possit facere. » (1^a, q. 25, a. 3, c).

Item nequit Deus facere quæ aliquem defectum præ se ferunt, v. g. peccatum. Cum enim hæc a potentiâ *deficiente* oriantur, « sic hæc non potest, ait D. Augustinus, ut potiùs, si posset, minoris esset potestatis. » (De Civ. Dei, l. V, c. 10).

CAPUT III

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS

121. *Attributa relativa dicuntur quæ habent ordinem ad creaturas actu existentes.* — Differunt igitur multiplices ex parte ab attributis absolutis, quæ Deo ab æterno conveniunt, ad Ipsius essentiam spectant quam etiam constituunt, nullamque præ se ferunt relationem ad creaturas, quatenus existentes. — At contra, attributa relativa de Deo prædicantur in tempore, non sunt Ei essentialia, nec Ei quidquam perfectionis adjiciunt, sed potiùs denotant *externam* exercitationem attributorum quorundam absolutorum, imprimis potentie, sapientie, bonitatis, sanctitatis ac justitiæ.

122. *Ista porro quatuor numero distinguuntur.* Quippe vel referuntur ad *esse* rerum mundanarum, vel ad earum *operationem* : si prius, vel ut earum esse *incipiat*, vel ut *permaneat*; si posterius, vel ut Deus eas *dirigat* ad finem, vel ut eas ad *agendum juret*. Hinc necessitas *creationis*, *conservationis*, *providentiæ* et *concursum*. — In præsentia tamen de creatione non dicemus, quum de illâ satis in Cosmologiâ disputaverimus.

ARTICULUS I

De divina rerum conservatione.

123. *Ejus notio ac species.* 1^o *Conservatio est actus potentie Dei quo res creatas in existentia retinet.*

2^o Porro duplex conservatio distinguitur, altera *positiva* et *directa*, altera autem *negativa* et *indirecta*. Prior sibi vult res creatas in existentia non perseverare, nisi ope *realis influxus* Dei a quo in esse *sustentantur*. Posterior autem sibi vult res creatas ex *propria vi* in existentia perseverare, modo eas Deus non destruat.

124. Jam patet creatas res conservatione saltem *negativa* et *indirecta* egere; siquidem planum est eas a Creatore suo in hoc saltem sensu pendere, quòd eas annihilare possit. — Eam paucissimi iique mediocres philosophi sufficere asserunt : ita Bayle et Galluppi. — Sed philosophorum theologorumque communis sententia requirit etiam conservationem *directam* et *positivam*.

125. *Assertio* : *Creaturas omnes Deus conservat conservatione directa et positiva.*

PROB. I. *ex parte Dei.* Triplex quippe fingi potest status Dei adversus creaturas : aut vult eas conservare, aut vult non conservare, aut indifferens supponitur. Atqui duo posteriora dici nequeunt : ergo restat 1^{um}. — Si enim Deus vult creaturas non conservare, in nihilum abeant necesse est. — Sed nec indifferens ad eas asseri potest; alioquin ejus sapientia in discrimen veniret, cum indifferens etiam foret ad illarum finem et bonum; nec ulla ratio est cur, postquam creaturas voluit, ad eas deinde indifferens evadat. — Imò indifferencia ista quamdam *pristinæ voluntatis retractationem* præ se ferre videtur (1).

Confirmatur naturâ conservationis; ut enim argumenta-

(1) « Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? » (Sap. xi, 26).

Dei, non propter defectum illius, sed eo quòd non habent rationem *factibilis* aut *possibilis*. — Unde, ut notat D. Thomas, « convenientiùs dicitur quòd ea non possunt fieri, quàm quòd « ea Deus non possit facere. » (1^a, q. 25, a. 3, c).

Item nequit Deus facere quæ aliquem defectum præ se ferunt, v. g. peccatum. Cum enim hæc a potentiâ *deficiente* oriantur, « sic hæc non potest, ait D. Augustinus, ut potiùs, si posset, minoris esset potestatis. » (De Civ. Dei, l. V, c. 10).

CAPUT III

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS

121. *Attributa relativa dicuntur quæ habent ordinem ad creaturas actu existentes.* — Differunt igitur multiplices ex parte ab attributis absolutis, quæ Deo ab æterno conveniunt, ad Ipsius essentiam spectant quam etiam constituunt, nullamque præ se ferunt relationem ad creaturas, quatenus existentes. — At contra, attributa relativa de Deo prædicantur in tempore, non sunt Ei essentialia, nec Ei quidquam perfectionis adjiciunt, sed potiùs denotant *externam* exercitationem attributorum quorundam absolutorum, imprimis potentie, sapientie, bonitatis, sanctitatis ac justitiæ.

122. *Ista porro quatuor numero distinguuntur.* Quippe vel referuntur ad *esse* rerum mundanarum, vel ad earum *operationem* : si prius, vel ut earum esse *incipiat*, vel ut *permaneant*; si posterius, vel ut Deus eas *dirigat* ad finem, vel ut eas ad *agendum juvet*. Hinc necessitas *creationis*, *conservationis*, *providentiæ* et *concursum*. — In præsentia tamen de creatione non dicemus, quum de illâ satis in Cosmologiâ disputaverimus.

ARTICULUS I

De divina rerum conservatione.

123. *Ejus notio ac species.* 1^o *Conservatio est actus potentie Dei quo res creatas in existentia retinet.*

2^o Porro duplex conservatio distinguitur, altera *positiva* et *directa*, altera autem *negativa* et *indirecta*. Prior sibi vult res creatas in existentia non perseverare, nisi ope *realis influxus* Dei a quo in esse *sustentantur*. Posterior autem sibi vult res creatas ex *propria vi* in existentia perseverare, modo eas Deus non destruat.

124. Jam patet creatas res conservatione saltem *negativa* et *indirecta* egere; siquidem planum est eas a Creatore suo in hoc saltem sensu pendere, quòd eas annihilare possit. — Eam paucissimi iique mediocres philosophi sufficere asserunt : ita Bayle et Galluppi. — Sed philosophorum theologorumque communis sententia requirit etiam conservationem *directam* et *positivam*.

125. *Assertio* : *Creaturas omnes Deus conservat conservatione directa et positiva.*

PROB. I. *ex parte Dei.* Triplex quippe fingi potest status Dei adversus creaturas : aut vult eas conservare, aut vult non conservare, aut indifferens supponitur. Atqui duo posteriora dici nequeunt : ergo restat 1^{um}. — Si enim Deus vult creaturas non conservare, in nihilum abeant necesse est. — Sed nec indifferens ad eas asseri potest; alioquin ejus sapientia in discrimen veniret, cum indifferens etiam foret ad illarum finem et bonum; nec ulla ratio est cur, postquam creaturas voluit, ad eas deinde indifferens evadat. — Imò indifferencia ista quamdam pristinae voluntatis retractationem præ se ferre videtur (1).

Confirmatur naturâ conservationis; ut enim argumenta-

(1) « Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? » (Sap. xi, 26).

tur D. Thomas : « Oportet quòd idem sit causa rei et con-
« servationis ipsius, nam *conservatio rei non est nisi conti-*
« *natio esse ipsius.* Ostensum est autem quòd Deus est
« causa essendi omnibus rebus; igitur conservat res omnes
« in esse. » (*Cont. Gent.*, l. III, c. 65).

Hinc *effatum* obtinuit, *conservationem esse creationem con-*
tinuatam. Hoc porro sibi vult res creatas in esse conservari
continuatione actionis quã conditæ fuerunt, non autem no-
vis atque repetitis actionibus. Scilicet Deus uno eodemque
actu existentiam simul ac durationem creaturarum decrevit.

Attamen id est discriminis inter creationem et conserva-
tionem, quòd prior ad existentiam rebus *infundendam* spec-
tat, posterior autem ad eam solùm *retinendam*, et proinde
creatio nihil præsупponit ex parte creaturarum nisi meram
earum possibilitatem, dum conservatio præsупponit earum
existentiam.

PROB. II. *Ex parte creaturarum.*

1º *Ex contingentia creaturarum.* Etenim si creaturæ pares
esse possent ad continuandam sibi propriã virtute existen-
tiam, id postularent vel naturæ suæ vi, vel ratione connexio-
nis quæ foret inter existentiam earum actualem ac futuram.
Sed neutrum dici potest. — *Non 1^{um}*; quia creaturarum na-
tura non postulat existentiam, sed est contingens, ac proinde
indifferens ad existendum et ad non existendum. Porro contin-
gentia illa seu indifferentia creaturarum ad existendum rema-
net eadem quovis durationis momento, et tanta est post existen-
tiam semel acceptam quanta ante. — *Non 2^{um}*; quia nulla
est necessaria connexio inter existentiam creaturarum actua-
lem ac futuram, inter momentum præsens ac futurum; alio-
quin duratio creaturarum dici deberet necessaria, Deusque
illam ab ipsis jam subtrahere non posset per annihilationem.

Confirmatur quia factum existentia non influit in ejus
continuationem, a quã discrepat omnino; existentia semel
datæ continuatio ejus *succedit* quidem, sed ab eã non *defluit*,
et sicut possibilitas existentiam actualem ex se non fert, ita
nec rei prima productio vel actualis existentia infert ejus
permanentiam.

2º *Ex dependentia creaturarum a Deo.* Inest essentia om-
nis entis creati, ut a Creatore *immediatè* pendeat. Porro, si
entia creata propriã vi existentiam suam servarent, hæc jam
a Deo non penderet, siquidem *independentè* ab Ipso, ac sine
ullo Ipsius influxu persisteret. — Ad vivum rem illustrat
D. Thomas (1º, q. 8, a. 1, c), ducta ex aere ad solem compa-
ratione : Ut aer, quia non ex seipso, sed ex sole lumen ha-
bet, tamdiu luminosus est, quamdiu influentiam solis acci-
pit, ac statim concidit in tenebras ac deficit solis activa
præsencia, ita creatura omnis, quia non a seipsa, sed a Deo
vim habet existendi, statim in nihilum laberetur, nisi con-
ditoris vis perpetua sustentaret.

426. *Corollarium.* Ex dictis sequitur tantam requiri vir-
tutem ad res in existentia *conservandas*, quantam ad easdem
creandas, nec magis divinam potentiam declarari productione
creaturarum, quàm earum conservatione. Itaque Dei exis-
tentia tam evidentè ex creaturarum conservatione, quàm
ex earum primã effectione colligitur.

427. *Obj.* Opera hominum stant sine artificis sui influxu :
v. g. stat domus, abscedente ædificatore. Ergo et opera Dei
permanere possunt sine positivã illius conservatione.

R. neg. conseq. ob defectum paritatis. Nam, ut ait S. Tho-
mas « omnis effectus dependet a suã causã secundum quòd
« est causa ejus. Sed considerandum est quòd aliquod agens
« est causa sui effectus secundum *fieri* tantum, et non di-
« rectè secundum *esse* ejus... Ædificator enim est causa do-
« mūs quantum ad ejus *fieri*, non autem directè quantum ad
« *esse* ejus... Sicut igitur *fieri* rei non potest remanere,
« cessante actione agentis quod est causa ejus secundum
« *fieri*, ita nec *esse* rei potest remanere, cessante actione
« agentis quod est causa effectus non solum secundum fieri,
« sed etiam secundum esse. » (1º, q. 104, a. 1, c). Porro Deus
est causa ipsius esse rerum creaturarum, et omnis realita-
tis quæ ipsis inest.

Sanè quidem variæ partes quibus constat aliqua domus,
aptare se cohærenter non potuerunt absque ædificatoris
operã; at semel aptatæ, non jam ab eo habent conjunctionis

suæ permanentiam, sed a propriis viribus, gravitatis nempe, attractionis et aliarum id genus, quæ in ipsis a summo duntaxat omnium artifice conservantur.

ARTICULUS II

De concursu divino.

128. Concursus divinus est *actus ille quo Deus efficienter influit in omnes operationes rerum creaturarum.*

129. Porro concursus *mediatus et immediatus distinguitur.* Prior significat Deum *remotè* in actiones creaturarum influere, quatenus illis eas vires largitus est et conservat, unde ipsæ actiones suas eliciunt, quin tamen illas ultra inter agendum efficienter adjuvet. — Posterior præ se fert influxum realem quo Deus ipse agat cum agentibus creaturis, et eos *omnes* effectus producat ceu causa *prima*, quos ipsæ producant ceu causæ *secundæ*.

Rursus, concursus immediatus vel est *physicus ac prævius*, vel duntaxat *simultaneus*.

Prior dicitur *prævius*, non quia *temporis*, sed quia *naturæ* prioritate præcedit actioni causæ secundæ quæcum operatur. Scilicet illo influxu Deus *movet et applicat potentiam agentis ad agendum.* — Dicitur etiam *physicus*, non quòd sit materialis, sed quòd *immediatè et directè* influat in actionem agentis secundi; sicque distinguitur a concursu *moralì*, quo quis alterum ad agendum *incitat suadendo et alliciendo.*

Concursus simultaneus, quem etiam *collateralem ac parallelum* dices, est *auxilium quoddam creaturæ oblatum a Deo, ut ipsa eo, si voluerit, utatur ad actionem suam exercendam;* hoc modo, ut exemplo utamur quod affert Molina, duo equi viribus junctis simul curram trahunt.

130. Assertio 1^a: *Non sufficit concursus mediatus, sed immediatus exigitur.*

Probatum contra Durand aliosque paucissimos, qui res creatas propriâ vi et independentem a Dei concursu agere docuerunt. Sed in gratiam concursus immediati eadem ar-

gumenta militat atque in gratiam conservationis positivæ.

1^o Ex probatis, ad essentiam entis secundi et creati spectat ut immediatè pendeat ab ente primo et creatore. Ergo, a *pari*, ad essentiam *agentis* secundi spectat ut immediatè pendeat a primo agente. Porro, si creaturæ ex se solis actiones suas elicerent, Deo in eas efficienter non influente, jam a Deo non penderent quatenus causæ *secundæ*. — Idem argumentum aliâ formâ sic exhibet D. Thomas: « Cum actio... sit ens quoddam..., sequeretur, si actiones... a Deo non sunt, quòd aliquod ens essentiam habens, a Deo non esset; et ita Deus non esset *universalis* causa omnium entium; quod est contra perfectionem primi Entis. » (*In II Sent. dist. 37, q. 2, a. 2, sol.*)

2^o Creaturæ suis actibus meliores evadunt, quum agendo ad finem suum obtinendum properent. Atqui repugnat eas ex propriâ vi et independentem a Deo sese meliores efficere quàm a Deo conditæ sint. — *Confirmatur*, quia perfectio quam creaturæ ex actibus suis assequuntur, longè antecellit existentiam nudam a Deo ipsis collatam.

Porro quod *generatim* dicitur de actibus causarum secundarum, *speciatim* dicendum est de actibus *liberis* creaturarum rationabilium; nisi enim Deus ad eos concurreret efficienter, bonus liberi arbitrii usus, in quo est nobilissima et ultima creaturæ rationalis perfectio, a Deo minimè fluere.

3^o Et verò, quidquid movetur, ab alio moveatur oportet, ut probavimus ubi de existentia Dei (n. 18). Atqui moventur creaturæ inter agendum; siquidem ex merâ potestate agendi ad actum transeunt. Ergo a motore quodam immobili moveri debent, quem non nisi Deum esse jam satis ostensum fuit. — Et sanè, si ex se solis ex potentia agendi ad actum transirent, id sibi largirentur quod non habent, quippe sibi largirentur actum quem non habent, cum ante actum in merâ potentia versentur.

131. Nec *objiciatur*, posito immediato Dei concursu ad creaturarum operationes, earundem operationem extenuari. Non enim extenuatur, sed tantum necessario roboratur auxilio. Deus nempe ad actiones agentium secundorum non

concurrit nisi ut causa *prima*; et proinde, ut monet D. Thomas, « propter hoc non superfluit operatio secundorum « agentium. » — Quamobrem, potentiæ causarum secundarum jure dicuntur actuosæ potentiæ, non quòd per se solas pares sunt ad agendum, sed quòd agunt reipsa; quin etiam *in ordine suo sunt completae*, tametsi auxilium divini concursus exigant.

134. Assertio 2^a : *Non videtur satis esse concursus exclusivè simultaneus, ac proinde requiritur concursus prævius, sive præmotio physica* (1);

Hanc sententiam tenent D. Augustinus, D. Thomas (2),

(1) Cf. Bossuet : *De libero arbitrio*; P. Monsabrè, Confér. de N.-D., carême 1876, 23^e conf.

(2) Recentes quidam volunt mentem D. Thomæ, eâ in quæstione, aut præmotiõni adversam esse, aut saltem dubiam. Sed falluntur opinione, ut non uno et altero, sed sexcentis textibus ostendi potest.

Et sanè quidem, in molinistarum systemate, Deus *cooperatur* ad actiones nostras, non autem voluntatem nostram *movel* aut *applicat* ad agendum. Porro, Angelico docente, Deus *omnes* creaturas, in primis voluntatem humanam, *movel, efficaciter movet, applicat* ad agendum, et actiones ejus *totaliter*, non autem *partialiter*, ut molinistæ volunt, efficit, quatenus agens primum. « Motio moventis *præcedit* motum mobilis ratione et causâ. » (*Cont. Gent.*, III, 149). — « Deus est causa actionis *cujuslibet*, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum *applicat* actioni. » (*Qq. disp. de Pot.*, q. III, a. 7.) — « Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, et *applicat* eas ad agendum, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum. » (1^a, q. 105, a. 5. ad 3 et c.) — « Quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in actum suum procedere, nisi *moveatur* a Deo. » (1^a 2^a, q. 109, a. 1.) — « Sub Deo, qui est primus intellectus et volens, ordinantur omnes intellectus et voluntates, sicut *instrumenta* sub principali agente. » (*Cont. Gent.*, III, 147, et IV, 41). « Oportet quòd Deus comparetur ad omnia sicut movens ad motum, et activum ad id quod est in potentiâ, » (*Cont. Gent.*, III, 100.) — « *Efficacior* est impressio divinæ motionis in substantiis intellectualibus, quam in substantiis aliis naturalibus » (*Ibid.*, c. 95.) — « Non sic idem effectus causæ naturalis et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed *totus* ab utroque, secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus. » (*Cont. Gent.*, III, 70.) — Porro nil aliud sibi volunt præmotiõnis defensores. — Præterea (et hoc summi quidem momenti videbitur) D. Thomas, in explicandâ hominis libertate, sub motione Dei, nunquam affert solutionem molinistam, etsi admodum facilem, sed ipsammet concursus physici responsionem.

scholastici plurimi, necnon multi philosophi ac theologi recentes, inter quos Bellarminus et Bossuetius; negant autem Molina et Suarez cum aliis recentioribus.

1^o Omnis creaturarum, etiam liberarum activitas subordinari debet influxui causæ primæ ab eâque pendere. Nam sicut omne ens secundum pendet ab Ente primo secundum *totam* suam *entitatem*, ita agens secundum pendere debet a primo agente secundum *totam* suam *activitatem*. Porro id fieri nequit, nisi stante præmotione physica. Quippe, admissio concursu duntaxat simultaneo, voluntas humana ex se solâ sese determinat ad acceptandum vel non acceptandum concursum Dei; proinque determinatio illa *tota* exeritur a creaturâ, non pendet a Deo, qui non jam efficienter influit in *omnes* et *singulas* operationes creaturarum.

Confirmatur, quia jam Deus non regit aut subjicit sibi nostram voluntatem, nisi forte in casibus extraordinariis.

2^o Nihil transit ex potentiâ ad actum, nisi per ens aliquod jam in actu, sive nulla res sine locupletioris causæ auxilio largiri sibi potest id quo ditior fit in realitate. Porro humana voluntas, ubi ad agendum se determinat, ex potentiâ ad actum transit. Si ergo, ut aiunt concursus merè simultanei fautores, ipsa *propria* vi se determinet ad acceptandum aut recusandum concursum Dei, quin Deus eam moveat ad istam determinationem, jam ex seipsâ de potentiâ in actum transit, sibi que largitur id quo ditior fit in realitate, sine locupletioris causæ auxilio (1).

3^o Actio causæ primæ non potest admitti *ex se indeterminata*, ab actione causæ secundæ *determinanda*. Porro talis actio Dei admittitur in concursu merè simultaneo; nam tunc

(1) Quidam molinistæ recentes concedunt voluntatem humanam a Deo præmoveri *ad bonum in genere*, sed asserunt eam, vi hujus motionis generalis, seipsam determinare ad bona *particularia*, seu ad varios actus *particulares*, sine ullâ alterâ Dei motione. At verò varii actus particulares præ se ferunt entitatem realem ac novam, quæ minimè continetur in motione generali ad bonum; includunt quoque transitum ex potentiâ ad actum, quia voluntas, etiam in actu quoad bonum in genere, est in potentiâ relativè ad bona particularia, nec ad ea se quit determinare, nisi ope actus *novi*, ad quem a Deo moveatur, ut fert thesis.

Dei concursus, licet forte determinatus quoad *speciem*, tamen est indeterminatus quoad *exercitium actûs*, cum causa determinans actionis non sit nisi creatura libera, quæ pro suo libitu concursum Dei oblatum accipit, vel rejicit, ac proinde movet et determinat ad actum, nedum ab eo moveatur.

4º Accedit auctoritas catechismi concilii Tridentini dicentis : « Non solum Deus universa quæ sunt providentiâ suâ tuetur atque administrat, verum etiam quæ moventur et agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque operationem ita impellit, ut, quamvis causarum secundarum efficientiam non impediât, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad intima pertineat, et quemadmodum Sapiens testatur (viii, 1) attingat a fine usque ad finem fortiter et omnia disponat suaviter. » (Pars 1ª, in 1º art. symboli, n. 24.)

135. *Obj.* 1º Stante præmotione physicâ, pessumdatur hominis libertas, quum is semper sequatur præviam Dei motionem, naturâ suâ efficacem.

R. *nego assertum*; nam licet certò et infallibiliter, non tamen necessariò voluntas hominis a Deo præmoveretur. Porrò, quoniam homo est causa *secunda*, ad ejus libertatem non spectat ut nullo modo a causâ primâ moveatur, dummodo seipsum etiam moveat, nullamque vim aut necessitatem patiat. Jam verò ita se res habet. « Deus enim, ut profundè disputat Doctor Angelicus, est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. » (1ª, q. 83, a. 1, ad 3).

Et propterea, « ex causis necessariis, per motionem divinam nam sequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Nam voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit

« naturæ ipsius. Et ideo, magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. » (1ª 2ª, q. 40, a. 4, c. et ad 1). Cf. Bossuet, *De liber. arbitr.*, c. 8.

136. *Obj.* 2º Si Deus homines ad singulos actus præmoveret, ergo habendus est auctor peccati.

R. *Nego assertum*; siquidem in actu malo duo sunt distinguenda, nimirum id quod habet *entitatis et perfectionis*, et id quod habet *defectûs et obliquitatis*. Jam Deus concurrat ad actus hominis malos, quatenus entitatem ac perfectionem habent, non autem quatenus afficiuntur malitiâ. Sub eo respectu, actus mali sunt merè deficientes, ac proinde oriri haud possunt a principio indeficiente, quale est Deus; ab homine autem oriuntur, *mediatè* quidem ab ejus imaginatione et appetitu sensitivo, *immediatè* verò ab ejus ratione et voluntate. (Cf. S. Th., 1ª 2ª, q. 75, a. 2).

Illud autem satis est ut a Deo removeri debeat omnis *cooperatio* ad peccatum. Nam, docente D. Thomâ, ille dicitur ad malum cooperari, qui inclinatur ad actionem malam, sub eo respectu quo mala est. Sed non ita concurrat Deus ad actionem hominis malam, « quamvis actionis illius causa sit, in quâ malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse et agere, et quidquid perfectionis in agendo est. » (In II Sent., dist. 37, q. 2, a. 2, ad 2, et 1ª 2ª, q. 79, a. 2).

Cæterum, advertere præstat eandem difficultatem fautoribus concursûs simultanei solvendam incumbere; nam et in eorum sententiâ, Deus ad actiones malas *immediatè* concurrat, nec refert sit concursus ejus simultaneus aut prævius. R.

ARTICULUS III

De providentiâ divinâ.

137. Providentia est *actus Dei quo universarum et singularum rerum ordinem ab æterno certâ prævisione decernit, et in tempore exequitur*. Quare Providentia universalis est quoad

Dei concursus, licet forte determinatus quoad *speciem*, tamen est indeterminatus quoad *exercitium actûs*, cum causa determinans actionis non sit nisi creatura libera, quæ pro suo libitu concursum Dei oblatum accipit, vel rejicit, ac proinde movet et determinat ad actum, nedum ab eo moveatur.

4^o Accedit auctoritas catechismi concilii Tridentini dicentis : « Non solum Deus universa quæ sunt providentiâ suâ tuetur atque administrat, verum etiam quæ moventur et agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque operationem ita impellit, ut, quamvis causarum secundarum efficientiam non impediât, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad intima pertineat, et quemadmodum Sapiens testatur (viii, 1) attingat a fine usque ad finem fortiter et omnia disponat suaviter. » (Pars 1^a, in 1^o art. symboli, n. 24.)

135. *Obj.* 1^o Stante præmotione physicâ, pessumdatur hominis libertas, quum is semper sequatur præviam Dei motionem, naturâ suâ efficacem.

R. *nego assertum*; nam licet certò et infallibiliter, non tamen necessariò voluntas hominis a Deo præmoveretur. Porrò, quoniam homo est causa *secunda*, ad ejus libertatem non spectat ut nullo modo a causâ primâ moveatur, dummodo seipsum etiam moveat, nullamque vim aut necessitatem patiat. Jam verò ita se res habet. « Deus enim, ut profundè disputat Doctor Angelicus, est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. » (1^a, q. 83, a. 1, ad 3).

Et propterea, « ex causis necessariis, per motionem divinam nam sequuntur effectus ex necessitate : ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. Nam voluntas divina non solum se extendit ut aliquid fiat per rem quam movet, sed ut etiam eo modo fiat quo congruit

« naturæ ipsius. Et ideo, magis repugnaret divinæ motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moveretur liberè, prout competit suæ naturæ. » (1^a 2^a, q. 40, a. 4, c. et ad 1). Cf. Bossuet, *De liber. arbitr.*, c. 8.

136. *Obj.* 2^o Si Deus homines ad singulos actus præmoveret, ergo habendus est auctor peccati.

R. *Nego assertum*; siquidem in actu malo duo sunt distinguenda, nimirum id quod habet *entitatis et perfectionis*, et id quod habet *defectûs et obliquitatis*. Jam Deus concurrat ad actus hominis malos, quatenus entitatem ac perfectionem habent, non autem quatenus afficiuntur malitiâ. Sub eo respectu, actus mali sunt merè deficientes, ac proinde oriri haud possunt a principio indeficiente, quale est Deus; ab homine autem oriuntur, *mediatè* quidem ab ejus imaginatione et appetitu sensitivo, *immediatè* verò ab ejus ratione et voluntate. (Cf. S. Th., 1^a 2^a, q. 75, a. 2).

Illud autem satis est ut a Deo removeri debeat omnis *cooperatio* ad peccatum. Nam, docente D. Thomâ, ille dicitur ad malum cooperari, qui inclinatur ad actionem malam, sub eo respectu quo mala est. Sed non ita concurrat Deus ad actionem hominis malam, « quamvis actionis illius causa sit, in quâ malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse et agere, et quidquid perfectionis in agendo est. » (In II *Sent.*, dist. 37, q. 2, a. 2, ad 2, et 1^a 2^a, q. 79, a. 2).

Cæterum, advertere præstat eandem difficultatem fautoribus concursûs simultanei solvendam incumbere; nam et in eorum sententiâ, Deus ad actiones malas *immediatè* concurrat, nec refert sit concursus ejus simultaneus aut prævius. R

ARTICULUS III

De providentiâ divinâ.

137. Providentia est *actus Dei quo universarum et singularum rerum ordinem ab æterno certâ prævisione decernit, et in tempore exequitur*. Quare Providentia universalis est quoad

extensionem, *æterna* quoad prævisionem ac determinationem, *temporalis*, ut res ipsæ, quoad executionem seu gubernationem. (Cf. S. Th., 1^a, q. 22, a. 1, ad 2).

138. Duplex est eorum genus qui Providentiæ *adversantur*; alii namque illam absolutè negant, alii verò illius extensionem minutam volunt. — Ut atheos prætereamus, materialistæ, fatalistæ, pantheistæ, fautores casûs aut progressûs infiniti, deistæ rigidi, ut Bayle, Voltaire, Diderot, diversis ex causis, providentiam ex medio tollunt.

Alii verò, nempe deistæ *mitigati*, admittunt quidem providentiam quamdam *generalem* quæ leges universales statuit quibus *natura* regitur, sed negant eam esse *immediatam* ac *specialem* pro rebus humanis aut vilioribus, ne aut hominis libertas, aut Dei majestas in discrimen veniat; ita Cousin, Saïsset, Damiron, Thiers, J. Simon plusminusve expressè.

139. **Assertio** : Deo attribuenda est Providentia, quatenus tam prævisionem, tum executionem ordinis aut gubernationem rerum universalem importat.

PROB. 1^a PARS. Omnè agens intellectuale non tantùm agit propter finem, sed etiam præconceptam habet rationem finis necnon mediorum. Atqui Deus est agens maximè intellectuale; omnia ergo creavit juxta certas consilii sui rationes, atque ab æterno universis et singulis rebus præfixit finem proprium, per certa media in temporum decursu obtinendum.

PROB. 2^a PARS. 1^o *A priori*. — Enimvero creaturæ sibi non sufficiunt, sed gubernatione *indigent*; quam Deus, utpote omnipotens, sapiens et bonus, eis negare non potest. — Eucleatius D. Thomas : « *Cum sit optimi optima producere, non* « *convenit summæ Dei bonitati quòd res productas ad per-* « *fectum non perducat. Ultima autem perfectio uniuscujus-* « *que est in consecutione finis. Unde ad divinam bonitatem* « *pertinet, ut sicut res produxit in esse, ita etiam eas ad* « *finem perducat : quod est gubernare. »* (1^a, q. 103, a. 1, c).

Confirmatur, quia « *invenitur hoc communiter in causis* « *producentibus aliquid, quod curam habent eorum quæ pro-* « *ducunt, sicut animalia naturaliter nutriunt fetus suos. Deus*

« *igitur curam habet eorum quorum causa existit. »* (S. Th. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 75).

2^o *A posteriori*, tum ex mundi ordine, tum ex consensione populorum, tum ex pravis consecrariis quæ sublata Providentiâ sequerentur.

Et sanè, ut certa domûs ordinatio demonstrat ordinatorem, ita quoque adspectabilis hujus mundi absoluta elegantia, necnon ordinata ac *perseverans* rerum omnium ac singularum *conspiratio* probat artem cuncta temperantis Dei (*Supra*, n. 28-39).

Itaque nulla gens tam fera extitit quæ non divinam Providentiam prædicaret. Omnes enim homines, si fortè paucissimos eosque aut moribus perditos, aut systematum ac præjudiciorum fallaciâ captos excipias, Deum *invocant* custodem sui, eique *gratias* agunt ob accepta in dies beneficia. Unde S. Thomas : « *Omnes loquentes de Deo, hoc intendunt nominare Deum, quod habet providentiam universalem de rebus. »* (1^a, q. XIII, a. 8, c).

Demum, negatâ Providentiâ, plurimi homines religionem omnem abdicarent, nec jam curarent Deum quem opinarentur remotum a rebus nostris, obliviosum nostri et incuriosum, nec custodem, nec judicem aut vindicem.

140. *Universalis est Dei providentia*; hanc enim exigunt vel publicam faciunt argumenta seu a ratione, seu ab experientiâ petita, non pro generalioribus tantùm *mundi* negotiis vel entibus præstantioribus, sed etiam pro *singulis*, vel *minimis*.

Confirmatur quia nulla ratio est quæ Deum movere possit ad abdicandam rerum minimarum curam. Quippe, quum sit infinitæ scientiæ, nulla quantulumque res eum potest præterlabi; quum sit infinitæ potentæ, nullo negotio fatigari potest; et quum sit infinitæ bonitatis, non indignam putat majestate suâ administrationem entium quæ ipse creavit (1) quæque faciunt ad ordinem mundi.

(1) Pia erga omnes vel minimas res Dei providentia mirum in modum Evangelio celebratur : « *Nonne quinque passeret veneunt dipondio, et*

Attamen, ut merito notat D. Thomas, « quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium sui actûs, « speciali modo subditur divinæ providentiæ, ut scilicet ei « imputetur aliquid ad culpam, vel ad meritum, et reddatur « ei aliquid ut *pæna*, vel *præmium*. » (1^a, q. xxii, a. 2, ad 5).

141. Scholium. At quanquam Deus omnia entia gubernat, non unâ tamen, sed diversâ ratione, prout cujusque naturæ ac nobilitati congruit. Quocirca immediatè quidem omnibus providet, quoad prævisionem et *determinationem ordinis* tum *generalis*, tum *particularis*, non autem quoad ipsam *gubernationem*. Sunt enim, ut ait D. Thomas, « aliqua *media* divinæ providentiæ, quia inferiora gubernat per superiora, « non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicaret. » (1^a, q. 22, a. 3, c). Sic, v. g. in ordine *physico* regit res singulares per universales causas, in ordine *sociali* domum per patremfamilias, et civitatem per regem.

At ex aliâ parte, providentia *particularis*, quod spectat ad res humanas, sæpe mysterio plena est, nec potest explicari nisi per rationes quasdam *generales*. « Quis enim hominum « poterit scire consilium Dei » (Sap. IX, 13). — « Non enim « cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, « viæ meæ, dicit Dominus. » (Is. IV, 8).

142. Obj. 1^o Sapiens provisor excludit malum ab iis quorum curam gerit. Atqui sunt plura mala physica in mundo.

R. *dist. maj.*, provisor *particularis, conc., universalis, subdist.* Excludit mala non ordinata in bonum commune, *conc.*, ordinata in bonum commune, *neg.* Et sanè qui curam habet

« unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capiti capitis « vestri omnes numerati sunt. » (Luc., xii, 6, 7); et 27 : « Considerate « lilia quomodo crescunt : non laborant neque nent. Dico autem vobis : « nec Salomon in omni gloriâ suâ vestiebatur sicut unum ex istis. » — Hinc mirabundus D. Augustinus : « Deus non solum cælum et terram, « nec solum angelum et hominem, sed nec exigui et contemptibilis animalis viscera, nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris « folium sine suarum partium convenientiâ dereliquit. » (De Civ. Dei, l. V, c. xi).

alicujus rei *particularis*, excludit defectum ab eâ, quantum potest, quia nulla ratio est cur malum aliquod in eâ esse sinat. — At provisor universalis, qui *directè* curam habet *totius, partium autem secundariò*, quatenus ad totum ordinantur, permittit « aliquid defectum in aliquo particulari accidere, « ne impediatur bonum totius... Cùm igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad Ipsius providentiam pertinet « ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. « Si enim omnia mala impedirentur, multa bona decissent universo. Non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. » Unde dicit Augustinus (*Enchir.*, c. 11) : « Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et « bonus, ut benè faceret etiam de malo. » (1^a, q. 22, a. 2, ad 2).

Præterea, particulares defectus oriuntur ex legibus mundi *universalibus*, quæ suo effectu frustrari non debent; omnis enim lex universalis non potest non habere quædam incommoda in casu aliquo particulari.

143. Obj. 2^o In mundo invenitur malum morale, seu peccatum. Porrò peccatum minimè permitti potest a provitore sanctissimo.

R. *neg. min.* Enimvero, quanquam peccatum lugendum est malum, tamen certis ex causis permitti potuit, ut multiplici ex parte probare licet (1).

1^o *Ex parte hominis*; etsi enim facultas peccandi non sit de *essentiâ* libertatis, nihilominus libertatem *sequitur*, qualis in creaturâ reperitur, ob innatam ipsius imperfectionem. Porrò decet Providentiam divinam ut varia mundi entia gubernet pro naturâ et indole cujusque, et ea sinat agere juxta modum cuique congruentem. Quare non posset Deus hominem a peccato arcere, nisi *usum* libertatis ejus perpetuo impediret miraculo.

(1) Cf. *L'Idee du Beau*, c. 2, § 4, p. 233-239.

2^o *Ex parte virtutis*; peccatum nempe locum præbet multis iisdemque eximiis virtutibus quæ, illo sublato, non florent; non enim esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum; nec probata esset bonorum virtus, si tentationi non subjaceret; ac satis tenuis foret ratio meriti, si homo non posset peccare.

3^o *Ex parte Dei*; multa enim attributa Dei inde commendantur, nimirum liberalitas erga viros bonos, patientia erga impios donec ad meliores fruges convertantur, benignitas, si a malo aversi fuerint, justitia autem, si protervè in profundum ruant.

4^o *Ex parte universi*; quia major perfectio accedit universitati rerum, ad quam Deus præcipuè attendere debet, ut notat S. Thomas: « Deus et natura et quodcumque agens « facit quod melius est in toto, sed non quod melius est in « unaquaque parte, nisi per ordinem ad totum; ipsum au- « tem totum, quod est universitas creaturarum, melius et « perfectius est, si in eo sint quædam quæ a bono deficere « possunt; quæ interdum deficiunt, Deo hoc non impe- « diente. » (1^a, q. 58, a. 2, ad 3.) — Ita quippe rerum *varietas* penitus efflorescit, et omnes bonitatis gradus implentur, dum reperire est entia quædam adeo perfecta, ut nunquam deficere queant, alia autem quæ possint deficere. « Qui « etiam gradus in ipso esse inveniuntur: quædam enim sunt « quæ suum esse amittere non possunt, ut incorruptibilia; « quædam verò sunt quæ amittere possunt, ut corruptibili- « lia. Sicut igitur *perfectio universitatis rerum requirit*, ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia; ita *perfectio universi requirit ut sint quædam quæ « a bonitate deficere possint: ad quod sequitur ea interdum « deficere.* » (Ibid.) — Hoc sensu accipi debet illud S. Bernardi: « *Ordinatissimum est minus interdum ordinatè aliquid fieri.* » (Epist. 271 ad Eugen. III).

Cæterum, nec *sanctitati*, nec *bonitati* Dei crimini verti potest *facultas* peccandi hominibus concessa. — Nam illius sanctitas exigit quidem ut peccatum odio interno infinito habeat, non autem ut *impediat* omne peccatum, sicut nec

omnia virtutis opera implenda præcipit, quamvis virtutem necessario amore prosequatur. — Cæterum, plurima auxilia homini largitur ut a peccato abstineat, eumque a malo tum mercede, tum minis, quantum potest, deterret.

Quòd attinet ad bonitatem Dei, vacat etiam ab omni culpâ. Et quidem Deus *prævidit* plures homines libertate malè usuros; nec tamen eis illam negare debuit. Nam libertas, *in se* inspecta, bona est, et est principium bonorum multorum et imprimis *meriti*, quod homo proprio labore in dies comparat. Quòd si homines haud rarò eà malè utantur, sibi solis dent crimen, non autem libertati aut libertatis auctori.

Cæterum, bonitas Dei non exigit ut omnia quæ potest beneficia largiatur, sed tantum ut bonus sit etiam erga malos. Porrò hac de re nemo est qui dubitare queat; siquidem eos pluribus auxiliis fovet ut malum vitent ac longâ patientiâ prosequitur.

Accedit quòd non tantum Deus est hominum pater, sed multis quoque aliis attributis decoratur quæ suas partes æquo jure ac bonitas vindicant; nec tantum curam hominum gerit, sed et quidem maximè universitatis rerum, quum sit provisor universalis. Jam verò permissio mali moralis plurimum confert ad perfectionem universi.

144. *Obj.* 3^o At Deus videtur indifferens erga bonos et malos: non enim æqua est bonorum malorumque distributio, et persæpè boni vitam duram agunt, dum mali affluunt deliciis.

R. neg. assertum, multaquæ suppetunt argumenta unde probatio ejus exsuffletur.

In antecessum falsò diceretur homines bonos vexari quatenus bonos, improbos contra florere quatenus improbos. Etsi enim boni nonnunquam ærumnis premantur, mali autem prosperas res agant, sæpe tamen contrarium contingit.

Quamobrem, quæstio huc non redit cur bonos mala, malos bona prosequantur, verum cur boni non vacent ærumnis quæ improbis debentur, et cur improbi careant prosperitate quâ boni frui possunt? Porrò quæstio sic posita, haud ægrè solvitur.

1° Etenim, si boni malique, prout homines, non autem propter bonitatem malitiamve suam prosperâ et adversâ fortunâ utuntur, id mirum non est, quum utrique teneantur humanâ conditione. Ita in bello milites indiscriminatim feriuntur, quæcumque sit cujusque vitæ ratio. — Nec posset Deus a justis capite vel agris mala semper avertere, et semper infundere in caput vel agros injusti, nisi naturalem rerum cursum inverteret, ac leges físicas subderet innumeris mutationibus et derogationibus. At contrâ, ea esse debet legum physicarum indoles ut, quàm maximâ fieri potest, universalitate ac simplicitate gaudeant.

Cæterum, nemo est tam impius qui non aliquos virtutis actus exercuerit, quique ob hanc rationem non aliquam mercedem mereatur. Ex aliâ parte, nemo est tam justus qui non aliquando deliquerit, nihilque habeat expiandum.

2° Virtus perinde ac vitium est res *moralis*, non *physica*, et proinde moralem potius quàm physicam vel temporaneam sanctionem expostulat.

Imò verò, si his in terris statim bonis merces, malis pœna rependeretur, jam pessumdaretur ipse ordo moralis. Quippe hominum plerique virtutem, non virtutis, sed mercedis amore colerent, et a malo abstinere non horrore vitii, sed formidine pœnæ. — Quin etiam usus libertatis aut penitus auferretur, aut nimio plus impediretur; homines namque vehementer movere solet merces, vel pœna actu præsens. —

Quum tamen divina Providentia rem opportunam ducit, palam vindicat pios, improbos autem manifestis plectit pœnis quæ ipsam omnium oculis publicam faciunt. « *Cum accipero tempus, ego justitias judicabo.* » (Ps. 74, v. 3) (1).

3° Præterea dici *generatim* potest sortem piorum impiorum sorte, his in terris, esse feliciorē, si tamen *omnia* matu-

(1) Ipsi scriptores pagani *speciales* eos Providentiæ interventus pro manifestis aliquando habuerunt :

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos (Juvenal).

Attamen eventus etiam extraordinarii cautè admodum ad *speciatem* Providentiam referendi sunt, quia oriri possunt a causis naturalibus et sæpe nos fallunt *viâ* Providentiæ.

rius perpendantur. Nam impii bonis quibusdam gaudent, sed terrenis iisque infimis, dum bonis carent quæ decent animum rationalem. At contrâ, bonis moralibus ac divinis fruuntur pii, etiamsi pauperem agant vitam; et ignorant avida consilia, et libidinem cæcam, et alieno imminentem avaritiam. Illorum conditionem clarè declarat sapiens : « *Secura mens, quasi jube convivium.* » (Prov. xv, 15).

Morbi autem, laboris defatigatio aliique dolores quibus affici possunt, cedunt ipsis in majus bonum, siquidem exercent virtutem, avertunt a perituris deliciis, trahunt ad bona semper mansura et afferunt magnam meritorum copiam, in amplam mercedem in alterâ vitâ convertendam (1).

145. *Obj.* 4° Admissâ Providentiâ divinâ, vana est jam sollicitudo vel cura hominis. Atqui hoc desideriam fovet.

R. neg. maj. In tantum enim vana foret sollicitudo vel cura hominis, in quantum Providentia divina humanam excluderet. Porrò contra eam juvat, nedum extenuet. Præclare D. Thomas : « Hoc divinæ dispositioni subjacet quid cuique ex actione suâ proveniat. Præcipit ergo Dominus nos non debere esse sollicitos de eo quod ad nos non pertinet, scilicet de *eventibus* nostrarum actionum, non autem prohibuit nos esse sollicitos de eo quod ad nos pertinet, scilicet de *nostro opere.* » (Cont. Gent., l. III, c. 135).

(1) « Divina providentia hoc non habet ut bonos ab adversitatibus et « vitæ præsentis laboribus magis eximat, sed quòd in fine eos magis re-
« muneret. » (S. Thomas, in Job). Et S. Augustinus : « Intelligat homo *medicum* esse Deum, et tribulationem *medicamentum* esse ad salutem...
Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas; non audit medicus ad *voluntatem*, sed audit ad *sanitatem.* » (In psalm. XXI, enarr. 2°). (R)

1° Etenim, si boni malique, prout homines, non autem propter bonitatem malitiamve suam prosperâ et adversâ fortunâ utuntur, id mirum non est, quum utrique teneantur humanâ conditione. Ita in bello milites indiscriminatim feriuntur, quæcumque sit ejusque vitæ ratio. — Nec posset Deus a justis capite vel agris mala semper avertere, et semper infundere in caput vel agros injusti, nisi naturalem rerum cursum inverteret, ac leges físicas subderet innumeris mutationibus et derogationibus. At contrâ, ea esse debet legum physicarum indoles ut, quàm maximâ fieri potest, universalitate ac simplicitate gaudeant.

Cæterum, nemo est tam impius qui non aliquos virtutis actus exercuerit, quique ob hanc rationem non aliquam mercedem mereatur. Ex aliâ parte, nemo est tam justus qui non aliquando deliquerit, nihilque habeat expiandum.

2° Virtus perinde ac vitium est res *moralis*, non *physica*, et proinde moralem potius quàm physicam vel temporaneam sanctionem expostulat.

Imò verò, si his in terris statim bonis merces, malis pœna rependeretur, jam pessumdaretur ipse ordo moralis. Quippe hominum plerique virtutem, non virtutis, sed mercedis amore colerent, et a malo abstinere non horrore vitii, sed formidine pœnæ. — Quin etiam usus libertatis aut penitus auferretur, aut nimio plus impediretur; homines namque vehementer movere solet merces, vel pœna actu præsens. —

Quum tamen divina Providentia rem opportunam ducit, palam vindicat pios, improbos autem manifestis plectit pœnis quæ ipsam omnium oculis publicam faciunt. « *Cum accipero tempus, ego justitias judicabo.* » (Ps. 74, v. 3) (1).

3° Præterea dici *generatim* potest sortem piorum impiorum sorte, his in terris, esse feliciorē, si tamen *omnia* matu-

(1) Ipsi scriptores pagani *speciales* eos Providentiæ interventus pro manifestis aliquando habuerunt :

Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque Deos (Juvenal).

Attamen eventus etiam extraordinarii cautè admodum ad *speciatem* Providentiam referendi sunt, quia oriri possunt a causis naturalibus et sæpe nos fallunt *viâ* Providentiæ.

rius perpendantur. Nam impii bonis quibusdam gaudent, sed terrenis iisque infimis, dum bonis carent quæ decent animum rationalem. At contrâ, bonis moralibus ac divinis fruuntur pii, etiamsi pauperem agant vitam; et ignorant avida consilia, et libidinem cæcam, et alieno imminentem avaritiam. Illorum conditionem clarè declarat sapiens : « *Secura mens, quasi jube convivium.* » (Prov. xv, 15).

Morbi autem, laboris defatigatio aliique dolores quibus affici possunt, cedunt ipsis in majus bonum, siquidem exercent virtutem, avertunt a perituris deliciis, trahunt ad bona semper mansura et afferunt magnam meritorum copiam, in amplam mercedem in alterâ vitâ convertendam (1).

145. *Obj.* 4° Admissâ Providentiâ divinâ, vana est jam sollicitudo vel cura hominis. Atqui hoc desideriam fovet.

R. neg. maj. In tantum enim vana foret sollicitudo vel cura hominis, in quantum Providentia divina humanam excluderet. Porrò contra eam juvat, nedum extenuet. Præclare D. Thomas : « Hoc divinæ dispositioni subjacet quid cuique ex actione suâ proveniat. Præcipit ergo Dominus nos non debere esse sollicitos de eo quod ad nos non pertinet, scilicet de *eventibus* nostrarum actionum, non autem prohibuit nos esse sollicitos de eo quod ad nos pertinet, scilicet de *nostro opere.* » (Cont. Gent., l. III, c. 135).

(1) « Divina providentia hoc non habet ut bonos ab adversitatibus et « vitæ præsentis laboribus magis eximat, sed quòd in fine eos magis re-
« muneret. » (S. Thomas, in Job). Et S. Augustinus : « Intelligat homo *medicum* esse Deum, et tribulationem *medicamentum* esse ad salutem...
Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas; non audit medicus ad *voluntatem*, sed audit ad *sanitatem.* » (In psalm. XXI, enarr. 2°). (R)

DISPUTATIO

DE PRÆCIPUIS ERRORIBUS ADVERSUS DEUM

146. Errores adversus Deum vel ad Illius existentiam, vel ad naturam, vel ad attributa referuntur. Quia verò errores de attributis divinis datâ occasione, satis excussimus, restat ut dicamus de erroribus circa existentiam et naturam divi-
nam.

CAPUT I

DE ERRORIBUS CIRCA EXISTENTIAM DEI, SIVE DE ATHEISMO

147. Atheismus est error eorum qui Deum esse negant, sive illum rejiciant omnino, sive nomen solum Dei admittant, abjudicatâ illius *personalitate*. Hinc duplex atheismi forma, *absoluti* nimirum et *logici*.

ARTICULUS I

De atheismo absoluto.

148. Athei dicuntur, ut græcæ voces α et $\Theta\epsilon\omicron\varsigma$ innuunt, homines *sine Deo*. Quamobrem atheismus definiri potest *ignorantia, vel negatio Dei*.

Inde atheismus *negativus*, si divinitas ignoretur, *positivus* autem, si inficietur. — Rursus, athei positivi vel *practici*,

vel *theoretici* nominantur; quorum priores, tametsi Deum agnoscant, non aliter se gerunt ac si Deus non esset; posteriores Deum non existere asserunt.

Porrò quæritur 1^o utrùm existant aut existere possint athei; 2^o quænam esse possint causæ atheismi?

§ I. — De possibilitate et existentia atheismi.

149. 1^o Indubium est existere atheos *practicos*, nempe homines corruptos qui, ut ait S. Paulus, « confitentur se nosse Deum, factis autem negant. » (*Ad Tit.*, c. I, v. 16).

150. 2^o Si agatur de atheis theoreticis *negativis*, distinctione opus est. Siquidem cognitio Dei potest esse vel *explicita* et *distincta*, quâ Deus intelligatur ut ens primum, necessarium, infinitè perfectum aliisque decoratum attributis quæ in Ipso reposuimus; vel *implicita* et *virtualis*, quâ Deus non quidem sub perfecto conceptu divinitatis representetur, sed tantùm sub conceptu entis cujusdam supremi et causæ supremæ.

Porrò negari nequit existere posse ac revera existere homines qui, ingenio tardi ac sensibilibus occupationibus et inclinationibus nimio plus dediti, confusam admodum et implicitam notionem habeant Divinitatis.

Sed homines fingi haud possunt, *adultâ* ætate, sanâ mente et pleno rationis usu pollentes, qui tamen penitus et *invincibiliter* Deum ignorent. Quanquam enim existentia Dei non est immediatè evidens, sed indiget demonstratione, tamen facili ratiocinio colligi potest. Nam, ex unâ parte, naturaliter inest homini desiderium quærendi causam quum effectum intuetur; et, ex alterâ parte, ea est contingentia rerum mundanarum evidentiâ, is adspectabilis hujus mundi ordo ac splendor, ut aspicientis animum non possit non erigere ad causam primam, ad ens quoddam necessarium et supremum. — Præterea, homo adultus ac pleno rationis usu præditus, naturâ ipsâ inclinatur ut in seipsum *reflexionis* vim intendat et inquirat secum *quis sit, unde venerit, aut quem tendat ad finem*. Hæc autem si fecerit, saltem aliqua *suspicio, dubium*

quoddam de Deo in mentem ejus cadet et eum quærere ultra coget; si autem *bonâ* fide quæsierit, non poterit invincibiliter Deum ignorare, sed pervenire saltem debebit ad *aliquam rudem ideam* supremi numinis, rerum gubernatoris, honorum remuneratoris ac judicis malorum.

151. Quæ quidem argumenta valent, ut opinamur, pro quovis homine sanæ et integræ mentis, etiamsi *solitariam* vitam ageret. Ac proinde, *a fortiori* vera sunt de homine in *societate* constituto, quippe quod societas omnis Deum colat. — Hæc omnia causâ sunt cur Scripturâ sacra eos *inexcusabiles* esse dicat qui non agnoscunt Deum rerum auctorem et moderatorem (supra n. 10).

152. 3^o Quamobrem nec sunt, nec esse possunt athei theoretici qui sincerâ mente *persuasum* habeant nullum Deum existere, aut *diu* saltem in istâ opinione versentur. In tantum enim persuasionem hanc habere valerent, in quantum argumenta invenirent ad explicandum mundum ac seipsum sine causâ primâ. Hoc autem impossibile est, ex dictis ubi de probationibus existentiae Dei (1). — Si qui fortè atheos sese appellant, vel non eas quas diximus tum in vitâ, tum in animo servant conditiones ac dispositiones, vel dubitatione, non intimâ persuasione tenentur, vel plus verbis loquuntur quam credunt animo, ut admonet Seneca: « *Mentiuntur* » qui dicunt se non *sentire* esse Deum: nam etsi tibi affirmant interdium, noctu tamen et soli dubitant. » (*De ira*, l. 1).

§ II. — De causis atheismi, præsertim recentis.

153. Inter *veteres* philosophos pauci admodum existentiam Dei *penitus* negaverunt: apud Indos Kapila, apud Græ-

(1) « Hæc est, ait S. Augustinus, vis divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò possit abscondi. » (*Tract. in Joann.*, 106, n. 4). « Non potest dari ignorantia invincibilis sive *positiva*, sive *negativa* de existentia Dei, ut authoris *naturalis*. » (Billuart, *Cursus theol.* t. 1, dissert. 1, a. 4.). — « Licet Deum esse non sit per se notum, quoad nos, est tamen ita facile cognoscibile, ut non possit dari ignorantia *invincibilis* de Dei existentia. » (Contenson, *Theol. mentis et cordis*, t. 1, l. 1, dissert. 2, c. 1.) Ita plerique theologi, inter quos Gonet, Berti et Gotti.

cos Strato, Diagoras, Melitus et Theodorus Cyrenæicus, apud Romanos Lucretius, soli sunt qui atheismum *dogmaticè* professi fuerint. In sæculo xvi, Vanini; recens autem d'Holbach et Lalande atheismi recoxère deliramenta. — At *hodie* multos patronos habet, in Germaniâ, Galliâ, Angliâ et Americâ, maximè ex sectâ *positivistarum*; inter famosiores nominare est Strauss, Michelet (de Berlin), Feuerbach, Moleschott, Vogt, Wagner, Büchner, Bruno Bauer, Max Stirner, Ruge, Schopenhauer, Comte, Taine, Viardot, Robin, Stuart-Mill, Bain, Herbert-Spencer.

Porrò quærere licet quænam esse possint tantæ aberrationis causæ.

154. Eas præsertim *morales* esse multis et merito quidem videtur. « Sunt quidam, ait D. Thomas, qui *naturalem* instinctum (quo Dei cognitio indita est omnibus) *pervertunt*; et isti cognitionem Dei *repellunt* (*Psal. xxx*): Nescierunt, i. e. nescire *voluerunt*, neque intellexerunt (1). *In psalm. viii*; si Bossuet (1^{er} *serm. sur le 1^{er} dim. de l'Avent*) et Massillon (2). Et ratio est quia, ex dictis, necesse est ut adultus, si sit pleno rationis usu præditus, ac bonâ fide et humiliter quærat Deum, hunc tandem inveniat.

Ad hunc sensum accommodari possunt Christi verba: « *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* » (*Joann. iii, 21*).

155. At moralibus causis *intellectuales* etiam, nostris præsertim diebus, adjici possunt. Sunt enim qui in materialibus aut saltem mundanis occupationibus toti esse videntur, ideoque nullum tempus dant meditationi ac reflexioni. — Sunt etiam qui student, sed physicis duntaxat aut mathematicis scientiis, negligunt prorsus res metaphysicas, *empiricam* solum vel *idealisticam* methodum usurpant; unde illis aut vana aut merè *subjectiva* videntur principia quæ ad *substantias* et *causas* pertinent. Hinc fit ut paulatim vel perverso, vel saltem mutilo judicio utantur, sicque impares evadant ad sincerè intelligenda quæ ad res divinas et causam primam spectant argumenta.

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^o part. c. 1, a. 4.

(2) « On commence par les passions, les doutes viennent ensuite. »

ARTICULUS II

De atheismo logico.

§ I. — De illius notione.

156. Hegeliani quidam philosophi tum germani, tum Galli, inter quos præcipue Renan (1), inauditam quamdam atheismi formam recens tenuere; quæ hæc propositionibus contrahi potest: Deus est ens purum absolutumque. Porrò ens purum et absolutum est etiam indeterminatum; quippe omnis determinatio est quædam negatio, ac proinde limitatio. Sed ens indeterminatum non est quid realiter existens; nihil enim existit nisi certis attributis determinetur. Attamen haberi debet ut *ideale* supremum, et quæ tale, ut infinite perfectum, utpote quod ab eo limitatio quævis amoveatur. At non existit in re, extra intellectum hominis, siquidem nihil aliud est nisi genus entis supremum, sive *suprema* hæc notio ad quam assurgimus, abstractione ac remotione omnis determinationis quam in rebus mundanis intuemur. Econtra quidquid in *naturâ* existit, imperfectione laboret necesse est, quippe quod omnis res in naturâ existens sit determinata, et idcirco limitata et imperfecta. In summâ, Deus non fit realis nisi in variis rebus mundanis; ideoque habendus est ut *idea* mundi, sicut mundus est *realitas* Dei.

At nemo non videt sophisticâ istâ ratiocinatione negari Dei existentiam, et induci *atheismum pantheisticum*; siquidem, ex unâ parte, Deus merè *idealis* admittitur, et, ex alterâ parte, mundo seu *Naturæ* attribuuntur divinæ dotes.

(1) Eandem opinionem olim propugnâvit Vacherot; at postea temperavit, et agnovit Deum esse mundi creatorem, non tamen absolutè infinitum. — At Renan passim hæc declarat: « Dieu sera toujours le résumé de nos besoins suprasensibles, la catégorie de l'idéal, c'est-à-dire la forme sous laquelle nous concevons l'idéal. » (*Études d'histoire relig.*, p. 419).

§ II. — Atheismus logicus falsitate laborat.

153. Enimverò pro fundamento habet duplicem istam assertionem: 1^o nos ad notionem Dei assurgere viâ remotio- nis et negationis duntaxat, proinque Deum a nobis concipi ut ens maximè abstractum; 2^o omne ens determinatum esse naturâ suâ imperfectum, sicque ideale pugnare cum reali. Porrò hæc duo falsò asseruntur.

Et quidem falsò asseritur nos ad Deum assurgere solâ viâ *remotionis*, siquidem ex dictis (n. 46), incipimus a viâ *causalitatis*, quam deinde perficimus viâ *eminentiæ* et *remotionis*. Nam postquam scimus Eum esse creatorem mundi, in Eum transferimus eminentiori ratione quidquid perfectionis creaturæ habent et ab Eo removemus quidquid habent imperfectionis. Non ergo ad Deum abstractum, indeterminatum aut merè idealem ex creaturis assurgimus, sed contrâ, ad ens *realissimum*, a quo entia omnia suam realitatem accipiunt.

Falsò etiam asseritur nomine determinationis limitationem aliquam necessariò includi, et omne ens determinatum eo ipso imperfectum esse. Nam determinatio non necessariò ponit ens quoddam in tali *categoria*, in tali *specie* vel *genere*, sed vult illud certis attributis frui, unde ab aliis omnibus entibus distinguatur; hoc autem nullam ei necessariam limitationem affert. — Equidem, determinatio creaturarum limitem fert secum; quippe vi ejus ita in certo entis genere collocantur, ut perfectionibus aliorum generum careant; e. g. lapis ad lapidis naturam modo *negativo* determinatur, quia eo ipso quod est lapis, perfectione plantæ, vel animalis privetur oportet. — Creaturæ autem non limitantur quatenus habent ens determinatum ac reale, sed quatenus continentur in *particulari* entis *categoria*, quæ plenitudinem essendi haud possidet.

154. Imò verò non tantùm *determinatio cum perfectione* non pugnat, sed eam *sequitur eique sese accommodat*. Nam, experientiâ teste, quò magis aliquod ens est perfectum, eo magis est determinatum; v. g., major est determinatio

plantæ quam physicæ atomi, animalis quàm plantæ, et hominis quàm animalis, præsertim animalis inferioris, in quo individualitas et organismus ipse habent quid satis vagum et minùs definitum. — Idem porrò diceres de variis individuis unius ejusdemque speciei. Quapropter ens maximè perfectum debet etiam esse maximè determinatum, et ab omnibus distinctum. Ita se habet Deus, quem diximus esse ipsum ens subsistens. Unde in eo *realitas* non pugnat cum *ideali*; quin etiam ejus *realitas* ideale perfectissimum comprehendit, cum omnem perfectionem eminenter amplectatur (1).

155. Corollarium. Deo attribuenda est *personalitas*, et quidem perfectissimè (2). Probatur quia Deus, ex dictis, est *substantia completa, sui juris, intellectu ac voluntate fruens*.

CAPUT II

DE ERRORIBUS ADVERSUS NATURAM DEI

Errores adversus naturam divinam sunt *pantheismus*, *polytheismus* et *manichæismus* seu *dualismus*.

ARTICULUS I

De pantheismo.

Dicendum est 1º de illius notione ac variis formis; 2º de illius refutatione.

(1) Appositè D. Thomas: « Aliquid dicitur determinatum dupliciter; » primo modo, ratione *limitationis*; alio modo, ratione *distinctionis*. « *Essentia* autem divina non est determinata primo modo, sed secundo modo. » (*Quodlib.*, 7, a. 1, ad 1).

(2) « Quia in comædiis et tragædiis repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen *persona*, ad significandum aliquos di-

§ I. — De notione et variis pantheismi formis (1).

156. Pantheismus, ex vocibus græcis πᾶν, Θεός, *omne Deus*, est error eorum qui dicunt *unicam in mundo substantiam esse, eamque divinam, quæ sese manifestat et evolvit sub variis formis quas in mundo cernimus*.

157. Duplex pantheismi *species* distingui potest, alia quidem *mitior*, alia autem *rigida*.

1º Juxta pantheistas mitigatos, duæ sunt admittendæ *realitates*, sic tamen unitæ ut imperfectè distinguantur, nimirum Deus et mundus. Huic systemati nomen est *emanatismus*, quoniam mundum habet ut quamdam emanationem divinæ substantiæ. Quod systema tenuerunt Scotus Erigenes, Amalricus Carnutensis, David de Dinan, Jordano Bruno, quorum placita sigillatim exponenda non ducimus.

2º Pantheismus *rigidus* unicam admittit *realitatem*, nomine *Absoluti*, cujus varia entia cum spiritualia, tum materialia varias exhibent manifestationes aut formas. Porrò hujusmodi pantheismus duplex distinguitur. Alius enim *idealisticus* est qui soli enti divino *realitatem* tribuit, entia autem mundana habet vel pro figmentis merè subjectivis, vel pro ideis seu cogitationibus divinæ substantiæ sese ad extra *evolventis*. Sic juxta plerasque indorum philosophorum sectas, solus Brahma reipsa existit, homo verò ad hoc tendere debet ut illi se arctissimè uniat, imo agnoscat se cum illo esse *identicum*. — Hanc pantheismi formam tenuit schola *cleanica*, cui adhæsit etiam schola *neoplatonica*. Huic verò Fichte Schelling et Hegel, ut mox ostendemus, absolutam formam imposuerunt.

Pantheismus autem *realisticus* vel etiam *naturalisticus* in *Naturâ* præsertim reponit *realitatem*, Deumque inducit vel

gnitatem habentes. Sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem, et secundum hoc maximè competit Deo nomen personæ. » (S. Th., 1ª, q. 29, a. 3, ad 2).

(1) Cf. *Histoire de la Philos.* 1º part. c. 1; 2º part. c. 2, XIIº siècle, n. 3; 3º part., c. 3, n. 4.

plantæ quam physicæ atomi, animalis quàm plantæ, et hominis quàm animalis, præsertim animalis inferioris, in quo individualitas et organismus ipse habent quid satis vagum et minùs definitum. — Idem porrò diceres de variis individuis unius ejusdemque speciei. Quapropter ens maximè perfectum debet etiam esse maximè determinatum, et ab omnibus distinctum. Ita se habet Deus, quem diximus esse ipsum ens subsistens. Unde in eo *realitas* non pugnat cum *ideali*; quin etiam ejus *realitas* ideale perfectissimum comprehendit, cum omnem perfectionem eminenter amplectatur (1).

155. Corollarium. Deo attribuenda est *personalitas*, et quidem perfectissimè (2). Probatur quia Deus, ex dictis, est *substantia completa, sui juris, intellectu ac voluntate fruens*.

CAPUT II

DE ERRORIBUS ADVERSUS NATURAM DEI

Errores adversus naturam divinam sunt *pantheismus*, *polytheismus* et *manichæismus* seu *dualismus*.

ARTICULUS I

De pantheismo.

Dicendum est 1º de illius notionem ac variis formis; 2º de illius refutatione.

(1) Appositè D. Thomas: « Aliquid dicitur determinatum dupliciter; » primo modo, ratione *limitationis*; alio modo, ratione *distinctionis*. « *Essentia* autem divina non est determinata primo modo, sed secundo modo. » (*Quodlib.*, 7, a. 1, ad 1).

(2) « Quia in comædiis et tragædiis repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen *persona*, ad significandum aliquos di-

§ I. — De notionem et variis pantheismi formis (1).

156. Pantheismus, ex vocibus græcis πᾶν, Θεός, *omne Deus*, est error eorum qui dicunt *unicam in mundo substantiam esse, eamque divinam, quæ sese manifestat et evoluit sub variis formis quas in mundo cernimus*.

157. Duplex pantheismi *species* distingui potest, alia quidem *mitior*, alia autem *rigida*.

1º Juxta pantheistas mitigatos, duæ sunt admittendæ *realitates*, sic tamen unitæ ut imperfectè distinguantur, nimirum Deus et mundus. Huic systemati nomen est *emanatismus*, quoniam mundum habet ut quamdam emanationem divinæ substantiæ. Quod systema tenuerunt Scotus Erigenes, Amalricus Carnutensis, David de Dinan, Jordano Bruno, quorum placita sigillatim exponenda non ducimus.

2º Pantheismus *rigidus* unicam admittit *realitatem*, nomine *Absoluti*, cujus varia entia cum spiritualia, tum materialia varias exhibent manifestationes aut formas. Porrò hujusmodi pantheismus duplex distinguitur. Alius enim *idealisticus* est qui soli enti divino *realitatem* tribuit, entia autem mundana habet vel pro figmentis merè subjectivis, vel pro ideis seu cogitationibus divinæ substantiæ sese ad extra *evolventis*. Sic juxta plerasque indorum philosophorum sectas, solus Brahma reipsa existit, homo verò ad hoc tendere debet ut illi se arctissimè uniat, imò agnoscat se cum illo esse *identicum*. — Hanc pantheismi formam tenuit schola *cleanica*, cui adhæsit etiam schola *neoplatonica*. Huic verò Fichte Schelling et Hegel, ut mox ostendemus, absolutam formam imposuerunt.

Pantheismus autem *realisticus* vel etiam *naturalisticus* in *Naturâ* præsertim reponit *realitatem*, Deumque inducit vel

gnitatem habentes. Sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem, et secundum hoc maximè competit Deo nomen personæ. » (S. Th., 1ª, q. 29, a. 3, ad 2).

(1) Cf. *Histoire de la Philos.* 1º part. c. 1; 2º part. c. 2, XIIº siècle, n. 3; 3º part., c. 3, n. 4.

ut animam mundi, vel ut formam ejus *abstractam*. Sic stoici adspectabilem hunc mundum *corpus* Dei, Deum verò *animam* mundi esse volebant. — Hujus tamen pantheistici systematis præcipuus fautor fuit Spinoza. Quo docente, substantia est *ens quod per se subsistit et per se concipitur*; hæc porrò duobus gaudet attributis, nimirum *infinita cogitatione et extensione*, quæ dum sese evolvunt, gignunt entia mundana sive *spiritualia*, sive *corporea*.

158. Interim præstat exponere systemata philosophorum germanorum, quæ licet absurda, non mediocrem famam nec mediocrem influxum habuere in philosophiam nostri temporis.

Isti porrò explicare præsertim conantur *transitum subjecti cognoscentis ad objectum cognitum*, qui fieri posse non videbatur juxta principia Kantii, eorum magistri. Quisque ad finem eundem devenit, etsi diverso principio innixus.

159. Fichte decrevit *solum subjectum* cogitans existere, et ex variis illius *evolutionibus* enasci omnia, quæ nil aliud sunt nisi varia *phænomena* subjecti cogitantis sive *τὸν ego*. Sed *τὸ ego* in triplici momento spectari potest: siquidem primò, vi activitatis spontaneæ et necessariæ seipsum *ponit* et evolvit sine ullâ sui conscientiâ; unde vocatur *τὸ ego purum*. — Mox tamen vi propriæ essentiæ in seipsum *reflectitur*, et advertit remanere partem quamdam *idealis* infiniti quam nondum perficere valuit, quæque ei occurrit velut objectum suæ cognitionis, sive *τὸ non ego*. — In tertio verò momento, habetur *synthesis τὸν ego*, et *τὸν non ego*; *τὸ non ego* non reipsa differt a *τὸν ego*, sed est ideale ab ipso conceptum, nondum plenè effectum.

160. Schelling principium *omnium rerum* reposuit in realitate quadam *objectivâ*, quam nomine *Absoluti* appellavit. Porrò, Absolutum non est *τὸ ego*, nec *τὸ non ego*, præ se fert in suo indifferenti sinu identitatem objecti et subjecti, *τὸν ego* et *τὸν non ego*, ordinis idealis et realis, cognitionis et existentiae, unitatis et multitudinis, materiæ ac formæ. Ut enim quantitas quævis, per seipsam multiplicata, non mutat naturam, ita etiam Absolutum idem sibi remanet sub variis

formis et conversionibus quas successivè induit sive in ordine *ideali*, sive in ordine *reali et objectivo*.

161. Hegel ratus est ex Absoluto *objectivo* non facilius educi posse *subjectum* cogitans, quàm *objectum* ex *subjecto*; unde principium omnium voluit esse neque *subjectum* cognoscens, neque *objectum* cognitum, sed *medium* aliquid omnino indeterminatum, quod vocat *Ideam*. Idea hæc est *idea entis in genere*, ad quam omnes *ideæ* resolvuntur.

Ens autem, prout rebus ipsis inest, sub formis *correlativis* simul et *oppositis* occurrit; v. g. finitum et infinitum, spirituale et materiale, unum et multiplex, se invicem supponunt simul et excludunt. Hinc sequitur ens, in seipso consideratum, nullâ ex iis notis indui, sed esse quid ita *indeterminatum*, ut nec substantia sit, nec accidens, nec finitum, nec infinitum, nec unum, nec multiplex.

At ens sic indeterminatum nulloque insignitum caractere, nihilo simile est; nec tamen est nihilum absolutum, quum in *potentiâ* sit ad *omnia*, et ex eo omnia fieri possint. Hoc est *τὸ fieri*, quod Hegel *Ideam* vocat, et ex cujus *evolutionibus* gignuntur omnia.

Porrò *evolutiones* istæ triplici momento continentur: in 1º quidem, *Idea* determinatur in ordine *ideali*; hinc *principia abstracta*. — In 2º, manifestat se in *naturâ*, et ea omnia gignit quæ in mundo cernere est. — In 3º demum, determinatur sub ratione *spiritûs*, et gignit Anthropologiam.

§ II. — De falsitate pantheismi.

162. Assertio: *Pantheismus, quocumque modo propagetur, est systema perabsurdum.*

1º *Falso innitur fundamento*. Nam pantheismus Spinozæ totus statuitur in gratuita et falsâ definitione substantiæ, quam in Ontologiâ (n. 127) jam confutavimus. — Pantheismus autem germanorum philosophorum fundatur in impossibilitate explicandi *transitum* ex *subjecto* cognoscente ad *objectum* cognitum. Porrò *transitus* ille satis explicatur in Anthropologiâ, ubi de sensitivâ et intellectivâ cognitione.

2° *Adversatur experientia et conscientia testimonio.*

Experimur enim corpora extra nos posita existere, quæ in nos et etiam *contra* nos sæpè agunt. Porrò varia ea corpora *substantiæ* sunt, quum non in nobis, verùm in seipsis existant et ex seipsis operentur. — Intimè quoque sentimus nos propriâ conscientia, propriâ individualitate et personalitate instrui, ac propriarum auctores esse operationum. Itaque quisque nostrum substantialitatem propriam vindicat sibi, ac proinde multiplex in mundo existit substantia tum corporea, tum spiritualis.

Confirmatur, quia experientia teste, varia entia mundana diversas omnino habent affectiones, suasque res agunt independenter ab invicem, ut notat Lepidi: « Quoad *esse*, quoad *operari*, quoad *pali*, una res corporea ab alterâ prorsus est *independens*; una nascitur dum altera moritur, una movetur dum altera quiescit, una calefit dum altera frigescit, una describitur ut circulus, altera ut quadratum; plerumque simul dum unum animal una sensatione afficitur, alterum animal omnino contrariâ tenetur; quæ omnia apertè demonstrant non unam eandemque numero esse substantiam corporalium. » (*Cosmol.*, l. II, sect. 1^a, c. 2, n. 2). Porrò idem omnino diceres de variis hominibus, in quibus non minor apparet diversitas et independentia.

3° *Adversatur rationi.* — Enimvero ex uno eodemque ente ac principio diversa et opposita educit attributa, v. g. cogitationem et extensionem. Imo verò non admittit realem distinctionem inter ordinem idealem et realem, subjectum et objectum, cognoscens et cognitum, unitatem ac multitudinem, contingens ac necessarium, immutabile ac mutabile, malum ac bonum; unde pessumdatur ipsummet principium *contradictionis*, quippe docetur contrariorum identitas sicque omnis perit certitudo.

4° *Aliud non est nisi larvatus atheismus.* Probatur quia Deus est ens supremum, absolutè necessarium, infinitè perfectum, spirituale, immutabile, distinctum a mundo, mundi que causa. Porrò pantheismus his omnibus notis Deum spoliât. Nam quotquot sunt pantheismi fautores, Deum a

mundo non secernunt, et Eum faciunt spiritualem simul et extensum, necessarium et mutabilem, subjectumque infinitis transformationibus. — Alii cum Schelling, fingunt Deum indeterminatum, absolutum simul et formis contingentibus innumeris vestitum. — Alii, ut Hegel, Dei nomine audiunt ens quoddam *potentiale*, non *reale*, non in *actu*, sed in *fieri*. — Demum, juxta multos, Deus existit primum ut *natura cæca*, donec tandem in homine adquirat conscientiam sui; unde homo ipse Dei loco subrogatur. — Sed placita ista, si Dei nomen servant, ejus tamen naturam ac proinde realitatem de medio tollunt.

5° *Hominis naturam ac morum vim evertit.* Homo enim quem pantheistæ Deum faciunt, caret jam *personalitate*, libertate et immortalitate, cum necessitate naturæ agat nec sit aliud ac fugax et peritura manifestatio Absoluti sese multifariam explicantis. Insuper, *omnis* actio humana habenda est ut sacra, cum sit divina, ideoque nulla realis distinctio vigere potest inter unius hominis vel diversorum hominum actiones, quantumvis diversæ sint et oppositæ.

Facilè præterea inducetur *socialismus*, et varii homines sicut et omnia bona transferentur ad *Statum*, ut volebat Hegel; Status verò divinæ substantiæ vicem gerens, *hominibus et rebus*, pro suo beneplacito, uti poterit et abuti (1).

163. *Obj.* Præter infinitum nihil existere potest. Atqui Deus est infinitus.

R. dist. maj. præter infinitum existere nequit aliud ens infinitum, *conc.*; finitum *neg.* Si enim Deus, quatenus infinitus, excludit aliud infinitum, non tamen excludit aliud ens finitum, quod indifferenter existere potest vel non existere.

(1) Varias pantheismi formas reprobavit concilium Vaticanum: « Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam, anathema sit. — Si quis dixerit res finitas, tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales, a divinâ substantiâ emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia, aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, anathema sit. » (*De fide cathol.*, can. 3 et 4).

164. *Inst.* 1^o Si præter Deum ponitur aliqua substantia vel finita, Deus ab eâ distinguatur, et proinde limitetur necesse est, quum non habeat quæ insunt isti substantiæ.

R. Deus non habet quidem *formaliter*, et, ut ita dicam, *materialiter*, quæ habet substantia finita, sed habet *eminenter*; et propterea, sic ab eâ distinguitur, ut minimè limitetur, maximè cum ea sit et pendeat ab Illo.

165. *Inst.* 2^o Si alia ponuntur entia realiter a Deo distincta, eî *superadduntur*, sicque est plus entis, quàm solo Deo posito. Sed repugnat infinito addi aliquid.

R. Adest plus entis *extensivè* seu *numericè, conc.*; *intensivè* et quoad *perfectionem, neg.* « Cum Deus sit ipsa essentia Bonitatis, omnia autem alia bona per *participationem*, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cujuslibet rei alterius bonitas continetur in Ipso. » (S. Thom., *Qq. disp. de malo*, q. v, a. 1, ad 4). Creatio igitur, in nostrâ sententiâ, tendit ad *manifestationem*, non autem ad *augmentum* divinæ Bonitatis.

ARTICULUS II

De polytheismo.

166. *Ejus notio.* Polytheismus est error quo plures dî admittuntur, sed numero indeterminato. Porrò error iste apud multas gentes olim viguit, multasque habuit *species*, prout cultus divinitatis dæmonibus, hominibus, astris, animalibus aut plantis exhibebatur; hinc dæmonolatria, anthropolatria, sabœismus, zoolatria et fetichismus.

167. Polytheismi *causæ* fuerunt morum corruptio, inordinatus amor carorum, effrenatus sensibilibus rerum appetitus, ignorantia virium naturæ et inepta admiratio; unde iis quæ majora videbantur, divina quædam vis attribui solebat. (Cf. S. Th. 2^a 2^a, q. 94, a. 1-4).

168. *Ejus intima natura.* Lamennais dixit polytheismum crimen fuisse *voluntatis*, non autem errorem intellectûs. At perperam; siquidem cultus ipse et amor gentium in suos

deos testatur apertè illarum fidem ac persuasionem. Hinc in Scripturâ sacrâ polytheismus vituperatur tanquam rudis error et supinus. (*Sapient.*, c. XIII-XVI).

169. *Polytheismus non fuit perpetuus.* Non enim ante *diluvium* originem duxit; et *prima* gentium fides *unum* Deum colebat; id ostendit de Chaldeis Berosus, de Phœnicibus Sanchoniaton, de Ægyptiis Robiou (*Science cathol.* nov. 1891); de Indis Lenormant (*Histoire anc.*); de Sinensibus M^{sr} de Harlès (*Religions de la Chine*); de Græcis Plato et Plutarchus, de Romanis idem Plutarchus, et alii scriptores de aliis populis. (Cf. Hooke, *Princip. relig. natural. et revel.*, t. 1, sect. 2, a. 2, et Franck, *Etudes Orientales*). — Errant igitur recentes fautores progressûs infiniti qui, ut Renan, asserunt primævos homines indulsisse *fetichismo*, cui successisset *monotheismus*, eo perfectior, cui succedere demum deberet vel atheismus, vel cultus humanitatis.

170. *Non fuit universalis.* Nam philosophi plerique ac præstantissimi unum reipsa Deum esse credebant; ita Anaxagoras, Socrates, Plato, Aristoteles et Tullius. Quare Antisthenes apud Tullium (*De natur. Deor.*, l. I, c. 13), dicit « populares Deos multos, naturalem unum esse. » — Hinc S. Cyrillus Alexandrinus: « Manifestum est, etiam græco « more philosophantibus, unum censi ac in confesso esse « Deum, universi conditorem et naturâ omnes superantem, « a quo facti sunt et producti ad generationem alii deinceps « dîi, sub intellectum et sensum, ut ipsi loquuntur, ca- « dentes. » (*Cont. Julian.*, l. I).

Quòd attinet ad *gentes ipsas*, unius Dei fides viguit apud Hebræos; qui si identidem falsa numina coluerunt, objur-gati a Prophetis citò cultum hunc abdicavère. — Alii quidem populi plures Deos *inferiores* invocabant; unum tamen aliis *majorem* et eorum *patrem* ac *dominum*, vel Jovem, vel alium esse arbitrabantur.

Quin etiam Dei nomen in *singulari* vulgus ipsum non rarò inclamabat, teste S. Cypriano: « Vulgus in multis Deum « naturaliter confitetur; cum mens et anima sui auctoris vel « principis admonetur, dici frequenter audimus; ó Deus! et

« *Deus videt; et, Deo commendo; et Deus mihi reddet.* » (Tract. de vanit. idol.). — Quas quidem locutiones Tertullianus vocat « testimonium animæ naturaliter christianæ. » (Apologet., 17). — Item Lactantius : « Cùm jurant, et cùm optant, et cùm gratias agunt, non Jovem, aut multos deos, sed *Deum* nominant : adeo ipsa veritas, cogente naturâ, etiam ab invitis pectoribus erumpit. » (Divin. inst., I. II, c. 4).

Præterea, populi generatim varia naturæ entia non in se ipsis propriè adorabant, sed potius quatenus referebant beneficium aliquod, vel imaginem quamdam *supremi* numinis, cui revera cultus offerebatur. Quare ipse polytheismus monothœismum *latentem* præ se fert.

ARTICULUS III

De Dualismo et Manichœismo.

171. Dualismus est error eorum philosophorum qui, ut Plato ac multi veteres, *duo admiserunt principia suprema, Deum et materiam*, licet materiam Deo plus minusve subicerent. — At Manichœismus, a præcipui sui patroni Manes nomine, eorum est error qui duplex principium primum et summum admittunt, alterum bonum, alterum autem malum. — Recentius Bayle exsuscitavit istud systema, ac docuit illud quidem adversari rationi, at experientia probari posse.

Porrò cùm jam dualismum indirectè excusserimus, ubi de creatione et unitate Dei, restat ut Manichœismum confutemus.

172. Assertio : *Manichœismus est commentum perabsurdum.*

1º *Nullò innititur fundamento*, nimirum in impossibilitate explicandi mala quæ in orbe nostro videntur, nisi a principio summè malo procedant. Porrò ut probavimus ubi de Providentiâ (n. 142) nihil vetat malum effici a causis creatis et imperfectis, Deo id certis ex causis permittente.

2º *Principium summè malum secum pugnat.* Vel enim fin-

gitur ita ex omni parte malum, ut nihil boni habeat, vel cæteris perfectionibus præditum, demptâ solâ bonitate morali. Sed neutrum asseri potest.

Non prius; quia cùm malum sit privatio perfectionis, principium summè malum omni perfectione, ac proinde omni realitate destitueretur. At principium cujus essentia in absolutâ privatione boni ac realitatis consistit, existentia etiam privetur oportet; siquidem existentia recipi nequit nisi in ente quodam certâ perfectione instructo.

Nec posterius. Nam principium summè perfectum omnia bonitatis genera præ se fert, ut ostensum est ubi de infinitate Dei. Quamobrem bonitatem etiam *moralem* habere debet, quæ manifestò ad perfectionem pertinet.

3º *Hypothesis alterius principii summè boni, et alterius summè mali non attingit finem propter quem fuit excogitata*, scilicet explicationem boni et mali existentis in mundo. Etenim, vel utrumque hoc principium viribus æquis pollet, vel principium bonum mali potentiam superat, vel bonum est imbecillius malo. — Jam in 1ª hypothesi, vires utriusque principii sese mutuò rescindent; inde nihil erit in mundo neque boni, neque mali. — In 2ª hypothesi, vincetur principium malum, ac proinde nihil mali accidet. — In 3ª demum, vincet malum, nec quidquam boni contingere poterit.

Frustra fingit Bayle duo ista principia *ædere* convenisse, ne alterutrum a propriis effectibus impediretur. — Nam exinde utriusque imbecillitas declaratur, ac neutrum jam est summè perfectum, cum alterum ab altero pendeat ac possit limitari.

4º *Manichœismus mores evertit*; quippe quidem homines nec boni, nec mali ullius causa dici possunt, cùm omne bonum principio summè bono, et omne malum principio summè malo attribui debeat. Quocirca libertati individuæ jam habentæ laxentur; homines enim nec laude aut præmio, nec vituperatione aut pœnâ digni sunt.

ETHICA

PRÆVIÆ NOTIONES

I. De natura seu notione Ethicæ.

1. Ethica nomen habet ex græcâ voce $\eta\theta\omicron\varsigma$, et est ea philosophiæ pars quæ disserit de moribus hominum. Mores autem in genere inspecti designant *habitus*, id est consuetum agendi modum entis viventis. Porrò Ethica moribus hominum studet non ad eos præcisè *observandos*, ut in *historiâ naturali* notantur mores animantium, sed ad definiendas *leges* quibus subjici debent.

2. Quoad rem definitur *scientia practica dirigens actus humanos ad bonum intellectu apprehensum sub ratione honesti*.

Dicitur 1^o *scientia*; nam quaquam versatur circa humanos actus singulares et contingentes, tamen non considerat eos quatenus singulares et contingentes, sed quærit altissimas eorum causas aut rationes, et habet principia certa, unde certas et arcto nexu colligatas conclusiones elicit. Porrò suprema Ethicæ principia sunt: *Agendum est secundum rationem; Bonum est faciendum et malum vitandum; Ordo est servandus*.

Dicitur 2^o *scientia practica*; hinc præsertim differt a cæteris philosophiæ partibus, quæ propriè speculativæ sunt et in supremarum notionum analysi continentur. Ethica autem cognitionem ad opus applicat, et actionum *normas* definit.

Dicitur 3^o *dirigens actus humanos*; actus humani dicuntur qui eliciuntur ab homine *humano modo agente*, id est, scienter et liberè, ut distinguantur ab actibus *hominis*, qui advertentiâ aut libertate carent, et potiùs fiunt *in homine*, quàm

ab homine. Porrò soli actus humani ad mores pertinent; in eo sensu Ethica definitur a quibusdam *scientiâ actuum humanorum*.

Dicitur 4^o *ad bonum intellectu apprehensum sub ratione honesti*; ex quo secernitur tum ab ethicâ christianâ, tum ab *æconomiâ politicâ*. Prior disserit quidem de actibus humanis eosque ad bonum dirigit, sed ope principiorum *revelatione* cognitorum, et hominem ducit ad bonum supernaturale. — Posterior verò directè versatur circa bonum *utile*. — Inter utramque media incedit ethica philosophica, quæ dirigit hominem ad bonum *honestum*, quatenus a *ratione* cognitum.

II. De methodo Ethicæ.

3. Ejus methodus *experimentalis* est simul ac *rationalis*; *experimentalis*, quatenus versatur circa humanos actus in materiâ contingenti et mobili, in quibus habenda est cura temporum, locorum ac personarum; *rationalis*, quia eos actus dirigit ope principiorum absolutorum, et præscribit quomodo agere *debeant* homines.

III. De præstantiâ et utilitate Ethicæ.

4. *Præstantia* Ethicæ oritur cum ex ejus materiâ, tum ex ejus fine; versatur enim circa humanos actus, rationales ac liberos; et dirigit ad bonum *morale*, quo nihil est divinius.

5. At plurima est illius *utilitas*. Nam 1^o regit voluntatem quæ maximè gubernaculo eget, utpote libera, aliarum animæ potentiarum rector, et ad malum plus æquo proclivis. — 2^o Intellectus noster res minimè mutat; unde axioma: *Propter nostrum intelligere nihil mutatur in rebus*; voluntas autem est quâ rebus utimur easque regimus secundum, vel contra earum finem. — 3^o Ethica est reliquarum philosophiæ partium finis *ultimus*. Nobilis quidem scientia Dei, mundi et hominis; at ne vana etiam dicatur et sit, ex eâ meliores efficiamur oportet. Hinc egregium illud Platonis, si Augustino fides: « *Philosophari nihil est aliud quàm amare Deum* (1). »

(1) « Malheur à la connaissance stérile qui ne se tourne point à aimer,

Itaque philosophia moralis propius nos ad *sapientiam*, et ad nostrum ultimum finem perducit.

4^o Perutilis est *prudentiæ juris, politicæ et æconomix politicæ*. Et quidem scientia juris studet *positivis* legibus; sed eæ debent investigari juxta relationes suas cum *naturali* lege, de quâ disserit Ethica; alioquin animâ carent nec exhibent aliud nisi molem indigestam præceptorum quæ ex solo pendent voluntatis arbitratu. Hinc illud Tullii: « *Non a prætoris edicto, neque a duodecim tabulis, sed penitus ex intimâ philosophiâ haurienda est juris disciplina.* » (Leg., l. 17).

Quomodo verò Ethica utilis sit politicæ et æconomix politicæ, in Ethicâ sociali declarabitur.

IV. De historia Ethicæ.

6. Ethicæ historia *triplici* periodo continetur: 1^a enim ab ejus origine ad Evangelii prædicationem protenditur; 2^a ab evangelio prædicato ad incunabula rationalismi; 3^a autem a rationalismo ad hanc nostram ætatem.

1^o Socrates jure habetur Ethicæ parens; ex cujus manibus Plato et Aristoteles eam fusè docendam suscepere; et Aristoteles quidem præclarè, paucis exceptis, Plato verò non sine multis gravissimisque erroribus. — Mox duæ *scholæ* famosiores evaserunt, una Stoicorum, Epicteto et Senecâ illustris; et Epicureorum altera, ducibus Epicuro et Lucretio. — Prior, sensibilibus contemptis, sed minùs innixa Deo quàm ratione, rigidos mores affectabat, hoc usurpans Epicteti: « *Abstine et sustine.* » Posterior autem, nec Dei, nec rationis multùm curiosa, illud amabat Horatii:

Dum licet, in rebus jucundis vive beatus. (L. II, Sat. 6, v. 96).

2^o Sed Evangelio prædicato, ipsa *naturalis* Ethica *communior* evasit, *firmitiorque* et *honestior*. — Dein, scholastici doctores, et in primis D. Thomas, *juris naturalis* principia

« et se trahit elle-même. » (BOSSUET, *Conn. de Dieu et de soi-même*, c. IV, n. 10).

evexerunt ad scientiæ dignitatem. Nam Aquinas noster ita in moralibus politicisque disciplinis sapientiâ et modo eminet, ut pleræque illius conclusiones theologorum philosophorumque jurisprudentiâ sint consecratæ (1).

3^o Exortâ autem *Protestantismi* sectâ, Ethica sese a revelatione sensim emancipavit, duce Thomasio cum aliis; et Kantius *autonomiam* rationis practicæ proclamavit; in ejus castris hodie militant multi rationalistæ. — Ultrâ progressi sunt *positivistæ*, qui nullâ habitâ curâ rationis aut metaphysicæ, morum disciplinam nescio quam adstruunt, abstractendo prorsùs a Deo, necnon a naturâ, origine ac fine hominis.

Ex quibus Ethicæ fati colligitur quàm profundè dixerit Angelicus Doctor: « Humana sapientia tamdiu est sapientia, « quamdiu est subjecta sapientiæ divinæ; sed quando recedit « a Deo, tunc vertitur in insipientiam.. » (In 1^{am} ad Cor., c. xv, lect. 5).

V. De divisione Ethicæ.

7. Ethica jure dividi potest in *generalem* et *specialem*, prout disserit de actibus humanis seu moralibus in universum, vel de variis actibus humanis sigillatim, seu de variis hominis officiis.

(1) Cf. *Histoire de la Philosophie*, S. Thomas, p. 245-250.

Itaque philosophia moralis propius nos ad *sapientiam*, et ad nostrum ultimum finem perducit.

4^o Perutilis est *prudentiæ juris, politicæ et æconomix politicæ*. Et quidem scientia juris studet *positivis* legibus; sed eæ debent investigari juxta relationes suas cum *naturali* lege, de quâ disserit Ethica; alioquin animâ carent nec exhibent aliud nisi molem indigestam præceptorum quæ ex solo pendent voluntatis arbitratu. Hinc illud Tullii: « *Non a prætoris edicto, neque a duodecim tabulis, sed penitus ex intimâ philosophiâ haurienda est juris disciplina.* » (Leg., l. 17).

Quomodo verò Ethica utilis sit politicæ et æconomix politicæ, in Ethicâ sociali declarabitur.

IV. De historia Ethicæ.

6. Ethicæ historia *triplici* periodo continetur: 1^a enim ab ejus origine ad Evangelii prædicationem protenditur; 2^a ab evangelio prædicato ad incunabula rationalismi; 3^a autem a rationalismo ad hanc nostram ætatem.

1^o Socrates jure habetur Ethicæ parens; ex cujus manibus Plato et Aristoteles eam fusè docendam suscepere; et Aristoteles quidem præclarè, paucis exceptis, Plato verò non sine multis gravissimisque erroribus. — Mox duæ *scholæ* famosiores evaserunt, una Stoicorum, Epicteto et Senecâ illustris; et Epicureorum altera, ducibus Epicuro et Lucretio. — Prior, sensibilibus contemptis, sed minùs innixa Deo quàm ratione, rigidos mores affectabat, hoc usurpans Epicteti: « *Abstine et sustine.* » Posterior autem, nec Dei, nec rationis multùm curiosa, illud amabat Horatii:

Dum licet, in rebus jucundis vive beatus. (L. II, Sat. 6, v. 96).

2^o Sed Evangelio prædicato, ipsa *naturalis* Ethica *communior* evasit, *firmitiorque* et *honestior*. — Dein, scholastici doctores, et in primis D. Thomas, *juris naturalis* principia

« et se trahit elle-même. » (BOSSUET, *Conn. de Dieu et de soi-même*, c. IV, n. 10).

evexerunt ad scientiæ dignitatem. Nam Aquinas noster ita in moralibus politicisque disciplinis sapientiâ et modo eminet, ut pleræque illius conclusiones theologorum philosophorumque jurisprudentiâ sint consecratæ (1).

3^o Exortâ autem *Protestantismi* sectâ, Ethica sese a revelatione sensim emancipavit, duce Thomasio cum aliis; et Kantius *autonomiam* rationis practicæ proclamavit; in ejus castris hodie militant multi rationalistæ. — Ultrâ progressi sunt *positivistæ*, qui nullâ habitâ curâ rationis aut metaphysicæ, morum disciplinam nescio quam adstruunt, abstractendo prorsùs a Deo, necnon a naturâ, origine ac fine hominis.

Ex quibus Ethicæ fati colligitur quàm profundè dixerit Angelicus Doctor: « Humana sapientia tamdiu est sapientia, « quamdiu est subjecta sapientiæ divinæ; sed quando recedit « a Deo, tunc vertitur in insipientiam.. » (In 1^{am} ad Cor., c. xv, lect. 5).

V. De divisione Ethicæ.

7. Ethica jure dividi potest in *generalem* et *specialem*, prout disserit de actibus humanis seu moralibus in universum, vel de variis actibus humanis sigillatim, seu de variis hominis officiis.

(1) Cf. *Histoire de la Philosophie*, S. Thomas, p. 245-250.

ETHICÆ PRIMA PARS

SIVE

ETHICA GENERALIS

8. Ad Ethicam generalem spectat instituere *theoriam* actûs moralis in universum, seu ea elementa determinare quæ omnem actum moralem *constituunt* aut *sequuntur*. — Porrò ad theoriam actûs moralis instituendam quatuor veniunt dicenda: 1° de fine actuum humanorum; 2° de illorum moralitate; 3° de normis quibus conformari debent; 4° de illorum consecrariis.

CAPUT I

DE FINE ULTIMO ACTUUM HUMANORUM

9. *Status questionis*. Omnia entia creata esse et agere propter aliquem finem, in Ontologiâ (n. 212) probavimus. Porrò impresentiarum quæritur quis esse debeat finis operationis humanæ. At quæstio solvi nequit, nisi prius declaratur quis sit finis ultimus hominis.

10. *Assertio*: *Finis ultimus hominis est Deus* (1).
Probatur 1° *ex fine generali creationis*.

(1) Cf. S. Th., 1^a. 2^a, q. 1-5.

Ex dictis in Cosmologia (n. 30), finis ultimus creationis rerum fuit Deus. Atqui ex probatis in Anthropologiâ (n. 264), homo a Deo creatus est. Ergo Deum pro ultimo fine habeat necesse est. — Quin etiam, ut docet D. Thomas, « creaturæ rationales *speciali* modo habent Deum finem, quem attingere possunt suâ operatione, cognoscendo et amando » (1^a, q. 63, a. 2, c), quod creaturis inferioribus concessum non est.

2° *Ex naturâ propriâ hominis*. Finis ultimus alicujus entis est is in quo ens illud supremam suam perfectionem, ac si intelligentiâ præditum sit, suam beatitudinem invenit. Porrò ultima hominis perfectio ac beatitudo in Deo, et in eo quidem solo, inveniri potest.

Probatur *major*, quia omnes alii fines seu omnia alia bona propter finem ultimum quærentur, ipse verò terminat ambitum et appetitum entis, et ultra ipsum nihil enti expectandum vel optandum superest.

Probatur *minor* perspicuâ D. Thomæ argumentatione: « Beatitudo est bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum; alioquin non esset ultimus finis, si adhuc restaret aliquid appetendum. Objectum autem voluntatis, quæ est appetitus humanus, est *universale bonum*, sicut objectum intellectûs est *universale verum*. Ex quo patet quòd nihil potest quietare voluntatem hominis, nisi bonum universale; quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo; quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest... In solo igitur Deo beatitudo hominis consistit. » (1^a 2^a, q. 2, a. 8, c).

3° *Ex insufficientiâ cujuslibet alius finis vel boni*. Enimvero in aliis bonis cum *singulis*, tum *omnibus*, minimè homo invenit suam ad quam anhelat beatitudinem, ut constat experientiâ non illorum duntaxat qui bonis terrenis imperfectè fruuntur, sed illorum etiam qui, ut Salomon ipse, nullâ voluptate carent, omnibus honoribus cumulantur, scientiâ eminent et infinitis divitiis abundant (1). (Cf. Theol.

(1) Lege *Ecclesiasten*, in quo illud argumentum evolvitur quàm eloquentissimè.

nat. n. 28). Nec mirum; cum enim homo bonis creatis omnibus major sit ac sublimior, ab iis impleri minimè valet.

11. Corollarium. Ex dictis sequitur oportere, ut monet D. Thomas, « quòd *tota* humana vita *ordinetur* in optimum et ultimum finem humanæ vitæ ». (In I. Ethic. lect. 2), scilicet in Deum. Et ratio est quia omnia, *virtualiter* saltem, ad finem ultimum referri debent. At verò humana vita in Deum nequit *tota* referri, nisi faciamus Illius voluntatem qui nos propter seipsum creavit.

Quamobrem egregia verba quibus clauditur Ecclesiastes summam continent Ethicæ vel naturalis: « *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo.* » (XII, 13).

CAPUT II

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM

12. Actus humani spectati *moraliter*, *boni* dicuntur vel *mali*; quare præstat disputare de actu humanorum bonitate et malitia. Quod ut præstetur accuratè, querere licet: 1° utrum existat reale discrimen inter bonum et malum; 2° quanam sit boni et mali natura.

ARTICULUS I

De existentia discriminis bonum inter et malum.

13. Errores. Recentes quidam, inter quos positivistæ, fautores *evolutionismi* ac professores scholæ vulgò *historicæ*, contendunt ideam boni et mali minimè niti in rerum naturâ, sed potiùs ab homine ipso effici, ac variam esse pro-

vario societatis momento aut populorum civili cultu; in initio quippe homines, utpote sylvestres, omnia pro licitis habebant, deinde verò animadverterunt quosdam actus esse societati utiles, v. g. temperantiam, alias autem nocivos, v. g. furtum; unde priores dixerunt bonos, imo obligatorios, posteriores autem malos et vitandos; sic Renan, Stuart Mill, Spencer, alii.

14. Assertio: *Viget reale et objectivum discrimen inter bonum et malum morale.*

Prob. 1° *ratione*. Enimverò ut ratio observat objectivum discrimen inter verum et falsum, ita etiam inter bonum et malum, v. g. ex ipsâ naturâ, minimè verò ex utilitate percipit atque affirmat Deum esse colendum, honorandos parentes, fidem servandam; econtrario adversari ordini blasphemiam, calumniam, furtum et alia ex hoc genere permulta. Nec prisci homines aliter ac nos de actibus istis judicaverunt.

2° *Testimonio conscientie*, et quidem multiplici, quatenus aspectus actus boni et mali diversos in nobis sensus excitat. — Si quis opem fert misero, sese pro patriâ morti devovet, honorem divitiis, aut pudorem vitæ præfert, eum probamus, amamus vel etiam admiramur. Si quis e contrario amicum prodit, parentes inhonorat, vel innoxium occidit, eum improbamus, et movemur irâ vel odio. — Item, si de nobis res sit, ante actionem deliberamus utrum liceat necne; inter agendum, dubitamus vel sumus alacres; postquam egimus, plaudimus nobis, si bona fuerit actio; si mala, poenitentiam et remorsu afficimur, ac nobis ipsis videmur *contemptibiles*. Porro sensus illi ab *utili* ac *nocivo* alieni sunt, ut conscientia testis est, sed ab *ideâ honesti* et *inhonesti* originem habent.

3° *Populorum consensione*. Quippe si variorum populorum *idiomata* spectes, occurrit nomen boni et mali; si *leges*, actus quidam ab iis præcipiuntur, alii prohibentur ac puniuntur, ut ordini consentanei vel adversi. Sed consensus ille populorum unanimis, in re gravissimi momenti et passionibus adversâ, non potest esse nisi vero consentaneus.

15. *Obj.* Apud gentes *feras*, nulla inveniuntur vestigia moralitatis; apud *excultiores*, ingens discordia in judicandis actibus moralibus, dum aliæ eos bonos habent quos aliæ malos reputant. Porrò hæc probant notionem boni ac mali esse relativam ac variabilem.

R. neg. 1^{am} *part. maj.*, *neg. min.* — 1^o Equidem apud gentes *feras* flagitia contra naturam inveniuntur; sed id minime probat eas nescias esse boni et mali, sed tantum passionibus suis indulgere. Nam haud rarò accidit homines scios in malum ruere, reclamante quaquam conscientia. — 2^o Gentes quædam aliquos actus *particulares* in se malos probant, quia manca principiorum ethicæ *interpretatione* vel *applicatione* eos existimant bonos. Unde nihil concludi potest contra distinctionem inter bonum et malum. — 3^o Populi humaniores discordant quidem circa principia juris naturalis *secundaria*, non autem circa principia *primaria*; et progressu temporum necnon conjunctiore societate inita, magis ac magis conveniunt etiam circa principia juris naturalis *secundaria*, ut constat ex *jure gentium*.

ARTICULUS II

De naturâ boni et mali (1).

Ad gravem eam quæstionem persolvendam, præstat 1^o varias opiniones referre; 2^o falsas refellere; 3^o tueri veriorem, et 4^o declarare supremam regulam boni et mali.

§ I. — Referuntur variæ opiniones de naturâ boni et mali.

16. Ad triplex *genus* revocari valent varia philosophorum systemata de naturâ boni ac mali: alii enim eam repetunt ex sensibus, alii ex voluntate, alii ex ratione.

17. I. Sententia quæ boni et mali naturam ex *sensibus*

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 8, p. 285-290.

derivatur, triplicem formam induit: 1^a vocari potest sensualismus *voluptarius*, 2^a sensualismus *utilitarius*, 3^a autem sensualismus *moralis*.

Qui priorem sensualismi speciem tenent, vel bonum reponunt in voluptate *corporeâ*; ita Aristippus et Helvetius; vel in voluptate *generatim*, tum physicâ, tum etiam nobiliori; ita Epicurus, qui docet finem hominis esse voluptatem, virtutemque bonam non esse, nisi quatenus ducit ad voluptatem. Quare id propriè bonum est, quod, omnibus pensatis, *majorem, securiorem, firmiorem ac nobiliorem* affert voluptatis summam.

Schola *utilitaria* tenet bonum idem esse atque *utile*, malum verò idem atque *noxium*. At Bentham et Stendhal bonum ponunt in utilitate *cujusque privatâ*, dum Comte, Littré, Stuart Mill et cæteri positivistæ in utilitate *communitatis*, vel generis humani, aut *speciei*, ut ait Littré.

Demum Spencer bonum reponit in quodam *æquilibrio* inter utilitatem privatam et utilitatem communem, ita ut homo *sibi et aliis* simul vivat.

Sensualismus *moralis* propugnatur a Smith, Hutcheson et Reid. — Smith docet bonum esse id quod *sympathiam*, malum quod *antipathiam* nostram movet.

Hutcheson autem ac Reidius tenent bonum esse quod consonat facultati *speciali*, quam sensum *moralem* vocant.

18. II. Qui repetunt bonum et malum a voluntate, habiunt illud vel a voluntate *humanâ*, nimirum a pactis, opinionibus, aut legibus hominum; vel a voluntate *divinâ*, seu a libero Dei beneplacito. Prior opinio præcipuum fautorem habuit Hobbes; posterior Ockam, Scotum, Gerson et Puffendorf.

19. III. Scholastici docent bonum niti in rerum ordine apprehenso a ratione *humanâ*, quatenus ipsa pendet a divinâ ratione.

§ II. — Refelluntur falsæ opiniones de naturâ boni et mali.

20. Assertio 1^a: *Falsus est sensualismus qui bonum in voluptate reponit.*

Ad mentem *Aristippi*, confundit hominum bonum cum brutorum bono, quia totum illud reponit in delectatione corporeâ; ad mentem *Epicuri*, subjicit rem superiorem, nempe virtutem, rei inferiori, scilicet voluptati. — At contra conscientia nos remordet, non cum rationi delectationem, sed cum delectationi rationem subjicimus. — Insuper, bonum morale constituitur *ex seipso*, habet in se rationem *finis*, ac potest indifferenter vel delectationem afferre, vel præbere se austerum, inimicum voluptati.

21. Assertio 2^a: *Falsus est sensualismus utilitarius, sive in privatâ, sive in communi utilitate reponat bonum, sive in æquilibrio inter utilitatem privatam et communem.*

PROB. 1^a PARS. Si bonum in privatâ utilitate situm est, ergo *particulare præfertur universali*, et *devotio* vel jam laudanda non est, vel *habenda* ut forma politioris cujusdam *egoismi*, nimirum si dicatur eum qui sese pro aliis devovet, etiam tum propter seipsum agere, nempe aut ob aliorum æstimationem, aut ob conscientie gaudia. Verum inepta est hujusmodi explicatio, cum multi, in actu devotionis, seipsos omnino post-habeant, nec attendant nisi vel ad *aliorum* bonum, vel ad *honesti* decorem.

PROB. 2^a PARS. 1^o Homines plerique ignorant quid utilius sit patriæ et generi humano; ergo utilitas communis est regula moralitatis plerisque ignota. — 2^o Etiam si omnes cognoscerent quid sit *societati* aut *humanæ speciei* utilius, non tenerentur tamen ad abdicandum amorem rei privatæ, et ad solas alienas aut publicas res curandas. Nam singuli habent *proprium* finem, ad cujus assecutionem merito suas operas conferunt.

PROB. 3^a PARS, quia 1^o *Spencerii* opinio nititur in *falsâ hypothesi evolutionismi materialistici*, quæ nullam distinctionem essentialem admittit inter varia entia seu regna mundi et diversas eorum actiones, et asserit *naturam* ab inferioribus ad superiora, a *simplici* et *homogeneo* ad *compositum* et *heterogeneum* paulatim ac sine sensu transire, et similiter moralitatem hominum, *pro* variis locis ac temporibus, *pedetentim evolvi* ac transire ab *egoismo*, seu amore utilitatis *proprie*, ad amo-

rem utilitatis *communis* (seu, ut aiunt, *altruisme*), donec ad utriusque *æquilibrium* demum perveniat.

2^o Inducit ethicam merè *relativam*, pro locis ac temporibus *mutabilem*, imò et *indeterminatam*, cum nemo definire possit in quo *præcisè* consistat *æquilibrium* utilitatis privatæ et communis et quomodo prior cum posteriore valeat componi.

22. Corollarium. *Sensualismo utilitario*, quaecumque formam induat, duo *generatim* objicienda sunt: 1^o scilicet quòd omni caractere morali destituat actiones quæ referuntur ad Deum, qui tamen, ut infra (n. 27) videbitur, est *fontis* ipse et *præcipuum* moralitatis *objectum* seu *terminus*; — 2^o quòd utile confundat cum *honesto*. At verò, etsi utile cum *honesto* sæpe societur, tamen ab eo sejungi potest, et ab eo specificè secernitur. Quippe *honestum* habet rationem *finis*, et est *propter* se amabile; utile autem habet solum rationem *medii*, nec nisi *relative* amabile seu bonum est, quatenus nempe ad finem perducit. Hinc Tullius: « *Honestum id in-* »
« *telligimus quod tale est, ut detractâ omni utilitate, sine* »
« *ullis præmiis fructibusve per seipsum possit jure laudari.* »
(*De fin. Bon. et Mal.*, l. II, c. 14. — Cf. S. Th. 2^a 2^æ, q. 145, a. 3, c).

23. Assertio 3^a: *Falsus est sensualismus moralis* (1).

1^o Bonum est aliquid *objectivum*, *absolutum* et *necessarium*; sensus autem aliquid *subjectivum*, *relativum* et *contingens*. — 2^o Bonum est *intrinsecum* actioni, sensus autem est ei *extrinsecus*, siquidem pendet a dispositione *subjecti* emotionem recipientis. Unde, ut notat Royer-Collard, eadem actio posset esse bona, mala aut indifferens, pro affectione spectantis (2). — 3^o *Sympathia* vel *antipathia* spectantium

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 8, p. 264, et seq.

(2) « Que la morale soit toute dans le sentiment, rien n'est bien, rien n'est mal en soi; le bien et le mal sont relatifs: les qualités des actions humaines sont précisément telles que chacun les sent. Changez le sentiment, vous changez tout: la même action est à la fois bonne, indifférente et mauvaise, selon l'affection du spectateur. Faites taire le sentiment, les actions ne sont que des phénomènes physiques: l'obligation se résout dans les penchants, la vertu dans le plaisir. (*Œuvres de Reid.*, t. III, p. 410, 11).

nihil aliud esse videtur nisi hominum *opinio*, quæ mutabilis ac varia est, et sæpenumero fallax.

24. Assertio 4^a : *Falsum est systema quod bonum et malum repetit ex libero hominum pacto vel civili lege.*

1^o Bonum concipitur ut absolutum et immutabile, dum hominum leges sunt diversæ, quandoque oppositæ, necnon variabiles. — 2^o Inter leges humanas non paucae exstiterunt et etiam nunc existunt injustæ. Ergo leges humanæ supponunt *supra se* normam aliquam justæ supremam et indeficientem, a quâ judicentur et ex quâ mutentur suam vim, nedum ipsæ illam constituent.

25. Assertio 5^a : *Falsum est systema quod rationem boni ac mali ex libero Dei arbitrio repetit (1).*

1^o Falso nititur *fundamento*, in eo scilicet quod omnes rerum essentialiæ a liberâ Dei voluntate pendent. Hoc porro alienum a veritate esse probavimus in Ontologiâ (n. 34). Si autem bonum, ut verum, *absolutum* quiddam et *necessarium* præ se fert, pendere nequit a mero voluntatis divinæ decreto.

2^o Et verò, quædam sunt quæ Deus *debit* præcipere homini, quædam contra, quæ *debit* prohibere. Deus namque, hominem creando, *debit* ei finem aliquem præstitueret. Ergo *debit* etiam ei præcipere actus ad attingendum hunc finem necessarios, et eum arcere ab actibus huic fini contrariis. Quocirca *necessariò* boni sunt actus quibus homo ad finem suum ducitur, et *necessariò* mali, quibus avertitur a suo fine. Et ut exemplum sumamus, nemo concipit potuisse Deum, si voluisset, præcipere adulterium, prohibere parentum amorem, aut licitam facere blasphemiam.

26. Illud ergo assertum principii loco habeatur : *Quædam præcipiuntur vel prohibentur, quia bona vel mala sunt, quædam contra bona vel mala sunt, quia præcipiuntur vel prohibentur.*

§ III. — Declaratur vera sententia de naturâ boni et mali.

27. Assertio : *Bonitas et malitia prædicatur de actibus hu-*

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 8, p. 279, 285.

manis per comparisonem eorum ad rationem, quatenus ipsa proximè pendet ab ordine rerum objectifo, ultimò verò a divinâ ratione.

PROB. 1^a PARS. Bonum proprium cujusque entis illud est quod principio illius naturæ *specifico* respondet. Atqui principium specificum naturæ hominis est ratio. Ergo proprium hominis bonum est bonum rationale, seu, ut ait S. Thomas « bonum hominis est secundum rationem esse, malum autem, « quod est præter rationem. » « Quocirca in actibus, bonum « et malum dicitur per comparisonem ad rationem. » (1^a 2^a, q. 18, a. 5, c).

Hinc sequitur inferiora et sensitiva bona, si homini congruere velint, ad rationale bonum subordinari debere. Omnes enim alicujus entis potentiaæ atque inclinationes ad potentiam aut inclinationem potissimam subordinentur necesse est.

PROB. 2^a PARS, quia ratio ipsa subjicitur ordini rerum objectifo, ipsarum essentialiæ innixio; cui proinde sese debet attemperare. Itaque bonæ vel malæ dicuntur actiones humanæ, prout earum objectum convenit vel adversatur rationi.

Hinc patet illam moralitatis regulam a *subjectivismo* kantiano longè declinare, et esse *universalem*, non autem *particularem*. Quippe non soli homini convenit, sed æquè convenire posset omni enti ratione prædito.

PROB. 3^a PARS, quia ratio humana, *in lineâ rationis*, non est suprema neque ultima, sed essentialiter pendet a divinâ ratione, cujus est *participata* similitudo. Unde præclare Angelicus : « Multò magis dependet bonitas voluntatis humanæ a « lege æternâ, quàm a ratione humanâ : in omnibus enim « causis *ordinatis*, effectus plus dependet a causâ primâ, « quàm a causâ secundâ, quia causa secunda non agit nisi « in virtute causæ primæ. Quod autem ratio humana sit re- « gula voluntatis humanæ, ex quâ ejus bonitas mensuratur, « habet ex lege æternâ, quæ est ratio divina; unde dicitur « (Ps. IV, v. 6) : *Multi dicunt : quis ostendit nobis bona?* « *signalatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* quasi « diceret : lumen rationis, quod in nobis est, in tantum « potest nobis ostendere bona, in quantum est lumen vul-

« tuis tui, i. e. a vultu tuo derivatum. » (1^a 2^o, q. 19, a. 4, c).

Præterea, ex dictis, ratio humana mensuratur ab objectivo rerum ordine. Sed ipse rerum ordo mensuratur ab intellectu Dei, a quo pendet tanquam a sapientissimo artifice, siquidem necessariae relationes rerum a sapientiâ divinâ dictantur.

§ IV. — De supremâ boni ac mali regulâ.

28. *Status questionis.* Queritur utrum sit generalis regula, in quâ nitatur *ultima* moralitatis ratio. Porrò hæc regula, si existat, debet, 1^o esse *universalis*, seu applicari omnibus actibus moralibus; alioquin non esset regula *totius* moralitatis; 2^o *perspicua*, ne ad ulteriorem regulam reducat; 3^o *suprema*, ut cæteræ ad eam reducantur.

29. *Varie opiniones.* A paucioribus post Malebranchium proponitur hæc regula: *Illud anteponatur a voluntate, quod intellectus commonstrat habere plus entis aut perfectionis.* Voluntas enim intellectui respondere debet; sed intellectus plurius facit quod plus, quàm quod minus entis habet.

Altera regula proponitur a Balmès: *Actus tuus, ut bonus sit, procedat ab amore Dei explicito, vel saltem implicito.* — Quippe hominis moralitas imitari debet moralitatem Dei, cum sit ejus participata similitudo. Porrò moralitas in Deo nihil est aliud nisi actus quo Deus sese amore prosequitur. Ergo debet homo hunc amorem Dei in singulis suis actibus includere. — Sed potest Deus amari *explicitè*, vel *implicitè*. Si *præ*, amor ad ipsum Deum directè terminatur. Si *posterior*, fertur ad servandum ordinem a Deo stabilitum, præcisè quatenus a Deo stabilitum. (Cf. *Philos. fondam.*, t. III, c. 20, præsert. n. 235 et 244).

Tertia regula sic proponitur a Th. Jouffroy: *Actus tuus, ut bonus sit, conformis esse debet tuo fini.* Enimvero bonum alicujus entis idem est ac finis ipsius. Unde bonum hominis idem est ac finis hominis. Quare bonus est quicumque actus hominem ad finem suum ducit, malus autem qui vel ab eo avertit, vel ad eum relationem non habet. (*Cours de Droit naturel*, leçons 29-31).

Quarta regula proponitur a Kantio: *Sic age, ut actus tuus possit fieri norma cujusvis entis liberi.*

Demum quinta regula est D. Thomæ et aliorum: *Sic age, ut actus tuus sit secundum rationem.*

30. *Assertio 1^a: Rejicienda est prima regula.*

1^o *Falso nititur fundamento*; supponit enim voluntatem ab intellectu discordare, si non id eligat quod intellectus commonstrat habere plus entis. Sed ita se res non habet. Nam, ex unâ parte, intellectus quidem plurius *æstimat* id quod plus, quàm id quod minus entis habet, nec tamen dictat necessariò *eligi* debere inter agendum id quod habet plus entis; et, ex alterâ parte, cum voluntas sequitur id quod minus entis habet, non facit contemptu majoris boni, tanquam illud minoris æstimet, sed quia putat ad id sectandum sese non obligari.

2^o *Falsa trahit consectaria*, quia distinctionem inter præcepta et consilia tollit, et inducit *optimismum*. Et sanè consilii, non autem præcepti est id sectari quod melius esse arbitramur. — Porrò non solum non tenemur ad eligendum id quod *absolutè* melius est, sed ne ad id quidem quod melius est *relativè* ad nos; quia neque ad *absolutum*, neque ad *relativum* *optimismum* obligamur.

31. *Assertio 2^a: Rejicienda est regula balmesiana.*

1^o Non sufficienti nititur *fundamento*; siquidem paritas deficit inter moralitatem Dei et moralitatem hominis. Nimirum in Deo, nullus alius actus moralis possibilis est præter amorem quo seipsum prosequitur; in homine verò, *alii* sunt actus morales et possibiles et obligatorii; v. g. actus fidei et adorationis qui amorem non præ se ferunt. — 2^o Excludere videtur ab actu morali respectum vel partialem ad proprium commodum; hoc porrò *infra* confutabitur.

32. *Assertio 3^a: Rejicienda est regula Theodori Jouffroy.*

Nam falsò asserit Jouffroy bonum hominis cum ejus fine converti. — Equidem homo tendere debet ad suum finem, et in tantum vitam suam rectè instituit, in quantum actus suos ad eum ordinat. — At 1^o actus aliquis non ideo bonus *efficitur*, quia nos ad finem perducit, sed ideo ad finem per-

ducit, quia bonus est; quapropter Jouffroy effectum sumit pro causâ. — 2° Ut supra (n. 23) diximus, bonitas vel malitia actuum humanorum ipsis inhæret intrinsecè et absolutè. Porrò respectus ad finem præ se fert aliquid iis extrinsecum. *Hinc est cur multi actus in se boni vel mali habentur, independentè a consideratione effectûs vel finis; v. g. amor Dei vel blasphemia.*

33. Assertio 4^a: *Rejicienda est regula kantiana.*

1° Non est satis *determinata*, imò nec *suprema*; explicandum enim esset (hoc quippe plurimos fugit) quid *requiratur* ut actus aliquis possit fieri norma omnis agentis liberi. — 2° Cùm *varia* sit variorum agentium liberorum conditio variusque status, rarò admodum norma *unius* potest evadere norma *alterius*.

Attamen Kantii, ut Balmesii regula potest haberi ut *ideale* quoddam, idoneum hominibus ad meliora erigendis.

34. Assertio 5^a: *Vera est regula D. Thomæ.*

Habet enim dotes requisitas ad supremam moralitatis regulam. 1° Est *universalis*, seu applicatur ad omnes actus, quia bonus est omnis actus qui consonat rationi, malus autem qui a ratione discordat. — 2° Est *perspicua*, quia ut notat D. Thomas « *apud omnes rectum est et verum ut secundum rationem agatur.* » (1^a 2^a, q. 34, a. 4, c). — 3° Est *suprema*, et ab eâ omnes aliæ vim suam hauriunt; omnis enim actus moralis *ultima* ratio est eum esse consonum rationi aut dictari a ratione. E. g. regula ista quam proponunt quidam philosophi: *Ordo est servandus*, licet inter primâ rationis præcepta haberi debeat, tamen non est *suprema*, sed reducitur ad regulam nostram; siquidem ideo probatur, quòd dictat ratio ordinem servari debere.

CAPUT III

DE NORMIS QUIBUS ACTUS MORALES CONFORMARI DEBENT

35. Actus humanus moraliter spectatus, duplici normæ subjacet, alteri *objectivæ*, alteri autem *subjectivæ*.

ARTICULUS I

De normâ objectivâ moralitatis.

36. Norma objectiva moralitatis est lex. Porrò dicemus: 1° de lege in universum; 2° de lege æternâ; 3° de lege naturali; 4° de lege positivâ.

§ I. — De lege in universum.

Quærendum est 1° quid sit lex? 2° quomodo dividatur? 3° utrum servari possit intuitu sanctionis aut proprii comodi?

I. De legis natura.

37. Lex *nomen* habet a *ligando*, quia ligat ad aliquid faciendum vel vitandum.

Quoad *rem*, si *latius* accipiatur, designat *modum constantem et uniformem juxta quem aliquod ens activitatem suam exerit*; hoc sensu, nullum est ens sine lege.

At *proprie* lex est regula quæ præscribitur entibus *rationalibus* ut activitatem suam liberam ei accommodent. Porrò luculenter a D. Thomâ definitur « *quædam rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.* » (1^a 2^a, q. 90, a. 4, c).

ducit, quia bonus est; quapropter Jouffroy effectum sumit pro causâ. — 2° Ut supra (n. 23) diximus, bonitas vel malitia actuum humanorum ipsis inhæret intrinsecè et absolutè. Porrò respectus ad finem præ se fert aliquid iis extrinsecum. *Hinc est cur multi actus in se boni vel mali habentur, independentè a consideratione effectûs vel finis; v. g. amor Dei vel blasphemia.*

33. Assertio 4^a: *Rejicienda est regula kantiana.*

1° Non est satis *determinata*, imò nec *suprema*; explicandum enim esset (hoc quippe plurimos fugit) quid *requiratur* ut actus aliquis possit fieri norma omnis agentis liberi. — 2° Cùm *variâ* sit variorum agentium liberorum conditio variusque status, rarò admodum norma *unius* potest evadere norma *alterius*.

Attamen Kantii, ut Balmesii regula potest haberi ut *ideale* quoddam, idoneum hominibus ad meliora erigendis.

34. Assertio 5^a: *Vera est regula D. Thomæ.*

Habet enim dotes requisitas ad supremam moralitatis regulam. 1° Est *universalis*, seu applicatur ad omnes actus, quia bonus est omnis actus qui consonat rationi, malus autem qui a ratione discordat. — 2° Est *perspicua*, quia ut notat D. Thomas « *apud omnes rectum est et verum ut secundum rationem agatur.* » (1^a 2^a, q. 34, a. 4, c). — 3° Est *suprema*, et ab eâ omnes aliæ vim suam hauriunt; omnis enim actus moralis *ultima* ratio est eum esse consonum rationi aut dictari a ratione. E. g. regula ista quam proponunt quidam philosophi: *Ordo est servandus*, licet inter primâ rationis præcepta haberi debeat, tamen non est *suprema*, sed reducitur ad regulam nostram; siquidem ideo probatur, quòd dictat ratio ordinem servari debere.

CAPUT III

DE NORMIS QUIBUS ACTUS MORALES CONFORMARI DEBENT

35. Actus humanus moraliter spectatus, duplici normæ subjacet, alteri *objectivæ*, alteri autem *subjectivæ*.

ARTICULUS I

De normâ objectivâ moralitatis.

36. Norma objectiva moralitatis est lex. Porrò dicemus: 1° de lege in universum; 2° de lege æternâ; 3° de lege naturali; 4° de lege positivâ.

§ I. — De lege in universum.

Quærendum est 1° quid sit lex? 2° quomodo dividatur? 3° utrum servari possit intuitu sanctionis aut proprii comodi?

I. De legis natura.

37. Lex *nomen* habet a *ligando*, quia ligat ad aliquid faciendum vel vitandum.

Quoad *rem*, si *latius* accipiatur, designat *modum constantem et uniformem juxta quem aliquod ens activitatem suam exerit*; hoc sensu, nullum est ens sine lege.

At *proprie* lex est regula quæ præscribitur entibus *rationalibus* ut activitatem suam liberam ei accommodent. Porrò luculenter a D. Thomâ definitur « *quædam rationis ordinatio ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet, promulgata.* » (1^a 2^a, q. 90, a. 4, c).

Dicitur 1° quædam rationis ordinatio; et hoc est potissimum ejus elementum. Nimirum lex est præceptum aliquod justum, ortum a ratione, non autem a solâ voluntate legislatoris. Lex namque, profundè inquit S. Thomas, « regula est « et mensura actuum, secundùm quam inducitur aliquis ad « agendum, vel ab agendo retrahitur. Regula autem et mensura actuum humanorum est ratio, quæ est principium « primum actuum humanorum... Ergo relinquitur quòd lex « sit aliquid ad rationem pertinens. » (Loc. cit., a. 1, c) (1).

Dicitur 2° ad bonum commune; lex enim hominem ad finem suum ordinare debet; sed finis hominis est bonum, seu beatitudo. — Attamen, « quum pars omnis ordinetur ad totum, « sicut imperfectum ad perfectum (unus autem homo est pars « communitatis perfectæ) necesse est quòd lex propriè respiciat ordinem ad felicitatem communem. » (Ibid., a. 2, c).

— Quare, si præcipiatur particulare quoddam opus, habere potest rationem decreti, non autem legis, nisi ad bonum commune referatur. — Oportet adhuc eam aliquâ ratione stabilem esse, perinde ac bonum commune ad quòd ordinatur.

Dicitur 3° ab eo qui curam communitatis habet; ubi auctor legis declaratur. Porrò, ex dictis, lex principaliter ordinatur ad bonum commune. Sed « ordinare aliquid in bonum commune, est totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem « totius multitudinis...; quia ordinare in finem est ejus « cujus est proprius ille finis. » Ergo « condere legem vel « pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam « publicam, quæ totius multitudinis curam habet. » (Ibid., a. 3, c).

Dicitur 4° promulgata; quæ conditio requiritur ut lex habeat virtutem suam directivam et obligatoriam. In tantum

(1) Et alibi: « Regere et gubernare propriè rationis est; et ideo unusquisque in quantum participat de regimine et gubernatione, intantum convenit ei habere rationem et prudentiam. » (2^a 2^a, q. 47 a. 12, c).

Itaque, ut notat D. Thomas, ad condendam legem ratio ac voluntas simul agunt. « Ratio habet vim movendi a voluntate. Ex hoc enim quod aliquis vult finem, ratio imperat de his quæ sunt ad finem. Sed voluntas de his quæ imperantur, ad hoc quòd legis rationem habeat, oportet quòd sit aliquâ ratione regulata. » (1^a 2^a, q. 90, a. 1, ad 3).

enim lex homines ordinare potest et obligare, in quantum iis innotescit; hoc autem fit per ejus promulgationem.

38. De legis divisione.

Quadruplici ex parte legis divisio potest accipi: 1° ex parte legem ferentis, et est divina, vel humana, prout Deum vel hominem auctorem habet; — 2° ex parte subjecti cui applicatur, et est physica, logica, vel moralis, prout corporum, intellectus aut voluntatis operationes regit; — 3° ex parte nature suæ et modi quo manifestatur, est naturalis et positiva, prout nititur in essentiis rerum et naturaliter ab unoquoque dignoscitur, vel est præceptum liberè impositum et cognitum ab humano testimonio; — 4° ex parte modi quo dirigit, est præcipiens vel prohibens, quatenus inducit ad agendum, vel ab agendo retrahit.

III. Utrum lex servari queat intuitu sanctionis aut proprii commodi?

39. Errores. Latore legum debitam legibus suis sanctionem apponunt, ut certius serventur. Hæc autem sanctio vel in mercede, vel in pœnis consistit. Quæritur utrum lex sanctionis hujus, sive propriæ utilitatis intuitu servari queat.

Porrò philosophi quidam, jam a nobis satis confutati, asserunt hominem non agere nisi amore sui, sive utilia sectetur, sive animi gaudia, atque in eo sitam esse unicam boni rationem. — Alii contra, utilitatem ita reprobam esse volunt, ut peccet quis si ab actu suo eam non excludat; nam officium propter amorem sui duntaxat servandum est: ita olim Stoici, et recens Kantius, Jouffroy et alii. Isti porrò vitio vertunt Ethicæ christianæ quòd *amori proprio* faveat dum ad bonum invitat homines spe mercedis, vel a malo deterret formidine pœnæ.

40. Assertio 1^a: *Utilitas in suo generico conceptu inspecta, non est bona nec mala moraliter, sed indifferentis.*

PROB. 1^a PARS ex dictis ubi de systemate utilitariorum; et ratio est quia utile non habet rationem finis, sed medii; unde rationem boni aut mali accipit prout ad honestum vel inhonestum finem assumitur.

PROB. 2^a PARS. Nam utilitas, per se inspecta, nihil rationi contrarium exhibet, si modo non quærat per media illicita, aut appetatur propter finem pravum. — Quinimo, non tantum a ratione et conscientia non reprobat, verum etiam ab homine, *naturâ duce*, inquiri solet.

Dixi: utilitas in suo conceptu generico inspecta; si enim ageretur de utilitate vel felicitate illâ quæ ex finis nostri consecutione oritur, non tantum licita, sed obligatoria etiam foret, cum teneatur homo ad prosequendum finem suum. Idem diceret de utilitate vulgò *spirituali*, quæ scilicet est *medium ducens aut promovens hominem ad suum finem*.

41. Assertio 2^a: *Lex servari potest mercedis vel pænæ intuitu* (1).

1^o Enimvero, ex una parte, observatio legis est moraliter bona, et, ex alterâ parte, utilitas aut proprium commodum nil mali exhibet. — 2^o Etiam si quis intentionem suam ferat explicitè in proprium commodum, tamen vult *implicitè* saltem ipsam virtutem. Quippe volendo mercedem alligatam virtuti vult proinde virtutem, cujus merces est consecrarium. — Et sanè præmium supponit meritum. Porrò qui meretur, rectè agit et habet jus ad mercedem: eam ergo velle potest. — 3^o Accedit quòd merces vel pœna nos certius *incitat* ad ipsam legem seu ad officium; unde non tantum moralitati non officit, quin etiam prodest. Nam ob mercedem vel pœnam diligentius ad virtutem accenduntur boni, mali autem retrahuntur a vitio.

In ipsâ *Dei dilectione*, haberi potest respectus ad mercedem obtinendam, ut ait D. Thomas; nam « *amicorum est quòd quærant invicem frui*. Sed nihil aliud est merces nostra, « quàm perfrui Deo, videndo ipsum. Ergo caritas non solum « non excludit, sed etiam *facit* habere oculus ad mercedem. » (In 3^a Sent., dist., 29, q. 1, a. 2, *sed contrâ*).

42. Nec obijciatur, hoc posito, virtutem non jam propter se appeti, sed propter aliud, idque ejus dignitati adversari. Nam clarè respondet D. Thomas: « Eorum quæ propter se

(1 Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 8, 258-264.

« appetuntur, quædam appetuntur solum propter se, et
« nunquam propter aliud, sicut *felicitas*, quæ est ultimus
« finis; quædam verò appetuntur et propter se, in quantum
« habent in seipsis aliquam rationem bonitatis, *etiamsi nihil*
« *aliud boni per ea nobis accideret*; et tamen sunt appetibilia
« propter aliud, in quantum scilicet perducunt nos in ali-
« quod bonum perfectius. Et hoc modo *virtutes* sunt propter
« se appetendæ... Et hoc sufficit ad rationem *honesti*. » (2^a
2^a, q. 145, a. 1, ad 1).

43. Corollaria. — 1^o *Peccaret* si quis forte in eo *habituali statu* versaretur ut, in officio adimplendo, unice spectaret officium, *nihil omnino* curans quid sibi inde contingat, non aliter ac si de seipso non ageretur. Nam deesset caritati sibi debite et huic hominis inclinationi quâ seipsum naturâ ipsâ diligit. — Quò spectaret etiam damnatus error *quietismi* Feneloniani. — Cæterum, hujus modi *status* humanæ naturæ vires transcendit.

2^o *Optimè* facit qui commodi proprii rationem non excludit quidem, sed eo in officium amore fertur, ut illud *æquè* adimpleret, etiamsi nihil inde commodi sibi deberet redundare. De illo jure diceret quod de bonis Horatius:

« Oderunt peccare boni virtutis amore. »

(Ep. XVI ad Quintium, v. 52)

3^o *Benè* facit, quanquam minus perfectè, qui implet officium partim officii, partim sui amore, respectum hunc utrumque æquè amplectens. Ratio patet ex probatis in thesi.

4^o Bonum adhuc, sed admodum *imperfectum* actum elicit, qui implet officium, *solo* sanctionis intuitu, non tamen officium excludens, sed neque sibi proponens, et *abstrahens* ab eo quod faceret, deficientibus mercede aut pœnis. Ratio patet etiam ex dictis in thesi.

5^o *Peccat* autem qui officio hoc animo facit satis, ut ipsi deesset, deficiente sanctione. Quippe actus ejus est *serviliter servilis*, ut aiunt theologi; includit enim affectum ad malum, et incidit in illud culpatum a poetâ:

« Oderunt peccare mali formidine pænæ. »

6° Ex his omnibus ulterius duo sequuntur : nempe hominem tendere debere *primariò* in bonum honestum propter se quæsitum, *secundariò* tantum in respectum proprii commodi inde orituri ; et utilitatem debere *subordinari* honesto, atque a nobis assumi ut incitamentum ad officium implendum, prout fert ejus natura.

§ II. — De lege æterna.

44. *Ejus notio.* Lex æterna clarè a D. Thomà definitur : « Ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum. » (1^a 2^m, q. 93, a. 1, c). A providentiâ divinâ secernenda est ; providentiâ enim temporalis est, consequens et applicans legem æternam, et non habet rationem legis, sed piæ tantum administrationis, dum lex æterna est ratio divina, quatenus decernit ordinem quem variæ res creatæ inter agendum sequi debeant.

Relativè ad creaturas ratione carentes, lex æterna est *physica* et habet solum rationem principii moventis ; at relativè ad creaturas racionales, est *moralis*, et habet propriè rationem præcepti obligatorii.

45. *Assertio : Existit lex æterna.*

Ad hoc enim duo sufficiunt : 1° creaturas omnes a Deo regi juxta normam singulis propriam ; 2° æternam esse conceptionem illius gubernationis. Sed hæc duo constant ; quia, ex unâ parte, probavimus in Theologiâ naturali (n. 141), varia entia juxta rationem sibi congruentem a Deo gubernari, et, ex alterâ parte, Deus nihil concipit in tempore, sed omnia decernit ab æterno.

Confirmatur, quia sapientiæ et sanctitati suæ contradiceret Deus, nisi juberet quæ ordini rationis conveniunt, videret autem quæ repugnant. — Pulchrè Angelicus : « Sicut « ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt « creata, rationem habet *artis*, vel *exemplaris*, vel *ideæ* ; « ita ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. » (Loc. cit.)

§ III. — De lege naturali.

Dicendum est : 1° de illius naturâ ; 2° de illius existentiâ ; 3° de divisione illius præceptorum ; 4° de illius dependentiâ a lege æternâ ; 5° de illius dominatione in leges positivas.

I. De naturâ legis naturalis.

46. Lex naturalis definitur a D. Thomà « *participatio legis æternæ in rationali creaturâ.* » (1^a 2^m, q. 91, a. 2, c). Ex dictis, omnia quidem entia reguntur a lege æternâ, eamque aequaliter participant, quatenus ex ejus impressione in proprios fines moventur. Homo tamen excellentiori modo legem æternam participat, quippe ipse fit providentiæ participans, sibi ipsi et aliis providens, et ipsam æternam rationem participans.

Itaque lex naturalis definiri potest *ipsa ratio naturalis, quatenus inter bonum et malum discernit, et aliud præcipit, aliud autem prohibet.*

Dicitur 1° lex, quia non tantum ratio discernit inter actiones bonas et malas, sed ad alias faciendas obligat, ab aliis contrâ retrahit.

Dicitur 2° lex naturalis, tum quia præcepta ejus essentiis rerum innituntur et necessarias earum relationes exprimunt, tum quia ex ipso rationis lumine nobis innotescunt.

II. De existentiâ legis naturalis.

47. *Assertio : Existit lex naturalis (1).*

Ad hoc enim duo sufficiunt, scilicet : 1° esse quædam necessariò bona, et quædam necessariò mala ; 2° alia ab aliis naturali rationis lumine secerni ; hæc est enim adæquata legis naturalis definitio. Sed hæc duo constant.

Constat 1^{um}. Nam suprâ probavimus (n. 14, 25) objectivum et intrinsicum vigere discrimen inter bonum et malum, et

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 8, p. 285 et seq.

hoc quidem ita necessarium esse, ut ne a divinæ quidam voluntatis beneplacito oriatur, sed in ipsâ fundetur essentiâ rerum.

Constat 2^{um}. Si enim conscientiæ fides, principia morum ipsa vi naturæ rapiunt assensum mentis, ut præclare evoluit Tullius: « Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. » (*Pro Milone*, c. 4) (1).

III. De legis naturalis præceptorum divisione.

48. Docente D. Thomâ, haberi debent ut præcepta legis naturalis ea omnia ad quæ homo naturâ ipsâ inclinatur; unde tot sunt præcepta legis naturalis quot sunt diversæ inclinationes homini propriè naturales. Sed triplex est homini naturalis inclinatio, prout consideratur quatenus substantia, quatenus animal, et quatenus ratio præditus.

Nam 1^o inest homini *universalis* inclinatio quâ cum omnibus substantiis communicat, vi cuius quælibet substantia suam appetit conservationem. Juxta inclinationem illam ea pertinent ad legem naturalem quibus hominis vita conservatur, et contrarium impeditur.

2^o Inest homini magis *specialis* inclinatio quâ cum cæteris communicat *animalibus*; vi cuius ea sunt de lege naturali quæ natura omnia animalia docuit; v. g. unio maris et feminae, liberorum educatio et alia ex hoc genere.

3^o Inest homini, quatenus *ratione* utenti, inclinatio quædam *propria*, cuius vi suâ sponte fertur ad vitam socialem, ad inquisitionem veritatis et amorem intellectualis boni. Sub eo respectu lex naturalis varias inclinationes rationales

(1) « Deux objets remplissent l'âme d'une admiration et d'un respect sans cesse renaissants et qui s'accroissent à mesure que la pensée s'y applique davantage : au-dessus de nous le ciel étoilé, au-dessus de nous la loi morale. » (Kant, *Crit. de la rais. prat.*, conclus.)

amplectitur, ad quas, utpote præcipuas, aliæ inclinationes debent subordinari. (S. Th. 1^a 2^a, q. 94, a. 2).

49. Porro si inter se *comparentur* varia legis naturalis præcepta, distingui solent in *primaria et secundaria*. Priora sunt communissima, ex se perspicua, omnibus nota et omnino immutabilia: v. g., bonum faciendum esse, alteri non esse nocendum. Posteriora sunt magis particularia, et a primariis per modum *conclusionis* fluunt. Possunt etiam a quibusdam hominibus ignorari, vel propter subtilitatem suam, vel propter passiones aut consuetudines malas. — Demum, in aliquo particulari casu exceptionem pati queunt ob speciales causas quæ illorum observationem impediunt: v. g. *depositum* reddi non deberet si ad impugnandam patriam posceretur.

IV. De relatione dependentiæ legis naturalis a lege æternâ.

50. *Errores*. Autonomiam rationis practicæ plures recentes philosophi proclamant, sed eam alii aliter interpretantur. — Juxta quosdam, lex naturalis est independens a *revelatione*, et condi potest ex solis rationis viribus, sed inniti debet ideâ Dei et lege æternâ; ita non pauci rationalistæ, inter quos Cousin et J. Simon. — Juxta alios, ab ipsâ ideâ Dei et legis æternæ independens est lex naturalis, licet idea Dei *perutilis* sit ad *sanctionem* ei præstandam; Ethica tamen condi nequit abstrahendo a naturâ et fine hominis; ita Kantius, Galluppi et Ferraz. — Alii demum tenent Ethicam statui debere prorsus abstrahendo a Deo, necnon ab hominis naturâ, origine et fine, quia istæ metaphysicæ quæstiones scientiam nostram transcendunt, et in diversas partes trahunt philosophos. Ethica igitur debet concludi ex hominis inclinationibus aut propensionibus; ita Proudhon et positivistæ, inter quos Comte, Littré, Taine (1).

51. *Assertio 1^a*: Absque revelatione aliqua naturalis Ethica statui potest, sed satis imperfecta.

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 9, p. 294-299.

PROB. 1^a PARS, quia, ex dictis (n. 11), viget necessarium discrimen inter bonum et malum, et omnes homines, integræ rationis usu præditi, *naturaliter* apprehendunt primarias saltem veritates morales.

PROB. 2^a PARS. — Nam ostendimus in Logicâ (n. 92), revelationem esse *moraliter* necessariam quoad ipsas veritates naturales, quæ ad Dei hominisque cognitionem et relationem inter Deum et hominem referuntur. Et quidem exceptis primariis principiis, veritates morales non sunt ex se perspicuæ, sed ratiocinii operam exigunt; ideo ignorantur a multis, maximè cum passionibus obscurari soleant. Quare philosophiæ historia testatur Ethicam merè naturalem atque a revelatione omnino separatam, et mancam extitisse, et in plures errores impegisse.

52. Assertio 2^a: *Nulla naturalis Ethica statui potest abstractendo a naturâ et fine hominis.*

1^o Bonum humanum declarari nequit, nisi declaratâ prius hominis naturâ; quippe diversum est bonum diversorum entium, et unicuique rei bonum est quod ei convenit secundum propriam naturam. — 2^o Ethicæ est dirigere actus hominis ad ipsius finem; homo enim, perinde atque omne ens creatum, ad finem suum ordinari ac tendere debet. — 3^o Adversarii volunt eandem Ethicam ex solo phænomeno *libertatis* hominis, vi cuius obligationi subjacere potest, vel *dignitatis* ejus quæ reverentiam meretur. Porro libertas et dignitas hominis præsupponunt eum frui animâ spirituali, ac proinde supponunt questionem de illius naturâ.

53. Assertio 3^a: *Nulla Ethica naturalis statui potest abstractendo ab ideâ Dei et legis æternæ (1).*

Prob. 1^o ex naturâ rationis humanæ. Enimverò in tantum humana ratio posset esse suprema regula moralitatis, in quantum a Deo foret independens.

Porro esse nequit independens ab eo a quo fuit creata, et ad quem se habet sicut effectus ad causam. Quinimo, ex dictis (n. 37), ratio nihil est aliud nisi participatio legis æternæ,

(1) *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 3, p. 299-335.

aut « impressio divini luminis in nobis. » — Meritò igitur damnata est ista *Syllabi* propositio: « Humana ratio, nullo « prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni « et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit. » (§ 1, n. 3).

2^o *Ex ideâ boni et mali quæ est fundamentum Ethicæ naturalis.* Etenim idea boni se præbet ut absolutè necessariam, ab hominis intellectu omnino independentem, imo ut ipsius *normam*. De illâ igitur speciatim dicendum est quod S. Thomas dicit generatim de *principiis*: « Ratio humana « secundum se non est regula rerum; sed principia ei naturaliter indita sunt regulæ quædam generales et mensuræ « omnium eorum quæ sunt per hominem agenda. » (1^a 2^a, q. 31, a. 2).

3^o *Ex auctore legis moralis.* Et quidem lex moralis oriri debet ab aliquo legislatore, et quidem a legislatore ad eam condendam idoneo. Porro solus Deus haberi potest ut is legislator. Enimvero lex moralis se præbet simul ut infallibilem vel purissimam, et independenti ac supremâ præditam auctoritate. Sed hæc duo attributa soli Deo convenire possunt.

4^o *Ex necessitate sanctionis idoneæ.* Nulla enim legis naturalis sufficiens sanctio est, nec in hominis conscientia, nec in opinione hominum, aut in alio hujusmodi extrinseco principio, si Deum sustuleris justi et æqui custodem ac vindicem. (Cf. *Anthrop.*, n. 286). Quare damnata est sequens *Syllabi* propositio: « *Morum leges divinâ haud egent sanctione, minimèque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus « conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant.* » (§ 7, n. 56). ®

v. De dependentiâ legum positiviarum à lege naturali.

54. Assertio: *Lex naturalis est fundamentum legum positiviarum.*

1^o *Ei nunquam valent contradicere;* cum enim ea sit absoluta justi et injusti norma, ei contradicere non possent,

nisi ab ordine justitiæ exularent. Quare, si quid fortè legi naturali contrarium præcipiant, tale præceptum non est lex, sed legis corruptio, nec habet ullam vim obligatoriam.

2° *Ab eâ vim obligandi hauriunt.* Nam obligant in quantum justæ sunt. Sed ideo justæ sunt, quia rationi conformes; siquidem, in rebus humanis, dicitur aliquid justum ex eo quòd conforme est rationi. Sed eatenus aliquid conforme est rationi, quatenus est conforme legi naturali, quoniam ratio practica lege naturali primò innititur. Omnis igitur « lex humanitùs posita, in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturali derivatur. » (1° 2°, q. 95, a. 2, c).

3° *Vel sunt ejus conclusiones, vel quædam determinationes.* Ut enim in scientiis, conclusiones ex principiis eruuntur, ita in rebus practicis, quædam leges humanæ a lege naturali per modum conclusionis derivantur necessariò. E. g. ex hoc principio legis naturalis : *nulli faciendum est malum*, ista conclusio inferitur ab humanâ lege : *nemo est occidendus*.

Ast aliæ leges quædam præscribunt quæ non in lege naturali *explicitè* continentur, sed *determinant* quod ab eâ relinquitur indeterminatum. E. g., lex naturalis jubet reum puniri, nec tamen pœnæ genus determinat, sed legibus humanis relinquit determinandum.

§ IV. — De lege positivâ.

Circa leges positivas duo præsertim ad Ethicam generalem spectant, scilicet : 1° earum necessitas, 2° earum materia.

I. De necessitate legum positivarum.

55. **Assertio :** *Lex naturalis non sufficit, sed ei addi debent leges quædam positivæ.*

1° *Non est satis determinata.*

Sanè quidem multa præcepta determinat : v. g. colendam esse virtutem, abhorrendum a vitio, Deum adorandum, colendos parentes, homines amandos, et alia hujus generis. — At multò plura sunt scitu quoque necessaria, quæ minimè declarat, v. g. utrùm *talis* actus parentes deceat, vel prosit communitati, quæ pœna *tali* reo debeatur, et ita porrò. —

Res autem aliter sese habere non poterat; quia enim fertur pro cunctis cunctorum locorum et temporum hominibus, debet abstrahere ab *hic et nunc*, nempe a personis, locis et temporibus, nec nisi *communia et generalia* præcipere.

2° *Non est satis nota.*

Cognoscuntur quidem primaria ejus principia et proximæ conclusiones, sed hominum plerosque fugiunt ejus remotæ conclusiones, quanquam sint certi momenti. Eæ porrò conclusiones seu dispositiones particulares quas præscribit legislatorum ratio, leges humanæ appellantur. — Appositè Tullius : « *Initium juris est ab naturâ profectum*; deinde « *quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt*; « *postea res et a naturâ profectas et a consuetudine probatas legum metus et religio sanxit.* » (*Rhetor.*, l. II, *De invent.*, c. 53).

3° *Non est sufficienti sanctione prædita.*

Etenim vindex ejus diceretur vel Deus, vel conscientia, vel hominum opinio. — At Deus, his in terris, potius misericordiam quàm judicium exercet, et vix aliter ac per cujusque conscientiæ testimonium hortatur vel minas intentat. — Conscientia verò satis debile vinculum hominibus ad vitia pronis; debilius adhuc populorum opinio, quæ cæteroquin non semper veritatem præ se fert.

Necesse est igitur ut legi naturali humanæ quædam adjiciantur leges, unde mali pœnarum metu a vitio cohibeantur, non violent bonorum pacem ac jura, et ipsi forsitan ita adducantur ad faciendum voluntariè quæ prius metu solo implebant. (Cf. D. Th., 1° 2°, q. 95, a. 1, c.).

56. **Corollarium.** Attamen *principi loco* habere oportet leges humanas condi non debere, nisi quas necessitas vel magna postulet utilitas, et pro criterio accipiendum est illud notissimum : *Plurimæ leges, pessima Respublica* (1).

(1) « Nous avons en France plus de lois que tout le reste du monde ensemble : « *Ut olim flagitiis, sic nunc legibus laboramus.* » (Tacite, *Annal.*, III, 13; Montaigne, *Essais*, I, 25).

II. De materia legum positivarum.

Quatuor magni momenti principia statuere licet circa materiam legum positivarum.

57. *Principium 1^{um}* : *Nulla positiva lex adversari potest legi naturali, nec ulli alteri legi divinæ.* Patet ex probatis supra (n. 54).

58. *Principium 2^{um}* : *Lex humana nec omnes actus virtutum præcipere, nec singula vitia cõhibere debet.*

PROB. 1^a PARS. Etenim lex humana ordinatur ad bonum commune; non omnes igitur omnium virtutum actus præcipere debet, sed illos duntaxat qui ad bonum commune aliquo modo pertinent. — Et quia hominum ordinat communitatem, iique secum per externos actus communicant, circa externos actus propriè occupatur.

PROB. 2^a PARS, quia, ut ait D. Thomas, lex « humana ponitur multitudini hominum, in quâ major pars est hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humanâ non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosî abstinent, sed solum « graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et præcipuè quæ sunt in nocumentum « aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset : sicut prohibentur lege humanâ homicidia, furta, et hujusmodi. » (1^a 2^a, q. 96, a. 2, c).

Attamen, ut meritò fert principium juris : *Non omne quod licet honestum est; nimirum quod tolerat lex humana non ideo probat, ac propterea non per legem moralem licet quidquid per legem civilem licet.*

59. *Principium 3^{um}* : *Lex humana opportuè versari potest circa legis naturalis quædam præcepta, sive non satis nota et determinata, ut manifestius declarentur; sive etiam explicita et manifesta, ut strictius serventur, appositâ sensili sanctione.* Patet ex dictis de necessitate legum positivarum (n. 55).

60. *Principium 4^{um}* : *Divinitus poni potest lex aliqua supra legem naturalem; quia, volente Deo, possunt homines ad finem supernaturalem evehi ac dirigi.* (Cosmol., n. 55).

61. *Corollarium.* Varias legis positivæ dotes sive præcipuas, sive secundarias præclare describit Isidorus : « Erit lex « honesta, justa, possibilis, secundum naturam (eorum quibus imponitur), secundum consuetudinem patriæ, loco « temporique conveniens, necessaria (ad removenda mala), « utilis (ad consecutionem bonorum), manifesta quoque, « ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo « privato commodo, sed pro communi utilitate scripta. » « (Etymol., l. 5, c. 21).

ARTICULUS II

De normâ subjectivâ moralitatis.

62. Quatuor pertinent ad normam subjectivam moralitatis adæquatè sumptam, scilicet : 1^o libertas, quæ est ejus proxima conditio; 2^o ratio, quæ illius principia cognoscit; 3^o conscientia, quæ illa applicat agenti; 4^o principia ipsa quibus dirigi debet conscientia.

§ I. — De libertate, quatenus est proxima conditio moralitatis.

63. *Status questionis.* In Anthropologiâ (n. 135-158), voluntatis objectum et naturam, necnon libertatis notionem et existentiam datâ operâ declaravimus. Ethica autem de libertate non agit, nisi quatenus est conditio moralitatis actuum humanorum. Ut enim jure notat Angelicus, « ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur. » (In II Sent., dist. 24, q. 3, a. 2, sol.).

64. *Assertio* : *Ut actus moralis et imputabilis sit agenti, debet esse liber tum a necessitate, tum a coactione.*

Ut actus aliquis sit moralis et imputabilis agenti, necesse est ut agens illius habeat dominium. Sed homo in tantum habet dominium sui actûs, in quantum eum eligit suumque facit : quod est agere liberè. Porrò, ut homo liberè agat, oportet ut ab actu suo temperare possit et neque vi extrinsecâ, neque necessitate internâ determinetur.

II. De materia legum positivarum.

Quatuor magni momenti principia statuere licet circa materiam legum positivarum.

57. *Principium 1^{um}* : *Nulla positiva lex adversari potest legi naturali, nec ulli alteri legi divinæ.* Patet ex probatis supra (n. 54).

58. *Principium 2^{um}* : *Lex humana nec omnes actus virtutum præcipere, nec singula vitia cõhibere debet.*

PROB. 1^a PARS. Etenim lex humana ordinatur ad bonum commune; non omnes igitur omnium virtutum actus præcipere debet, sed illos duntaxat qui ad bonum commune aliquo modo pertinent. — Et quia hominum ordinat communitatem, iique secum per externos actus communicant, circa externos actus propriè occupatur.

PROB. 2^a PARS, quia, ut ait D. Thomas, lex « humana ponitur multitudini hominum, in quâ major pars est hominum non perfectorum virtute. Et ideo lege humanâ non prohibentur omnia vitia, a quibus virtuosî abstinent, sed solum « graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et præcipuè quæ sunt in nocentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non posset : sicut prohibentur lege humanâ homicidia, furta, et hujusmodi. » (1^a 2^a, q. 96, a. 2, c).

Attamen, ut meritò fert principium juris : *Non omne quod licet honestum est; nimirum quod tolerat lex humana non ideo probat, ac propterea non per legem moralem licet quidquid per legem civilem licet.*

59. *Principium 3^{um}* : *Lex humana opportuè versari potest circa legis naturalis quædam præcepta, sive non satis nota et determinata, ut manifestius declarentur; sive etiam explicita et manifesta, ut strictius serventur, appositâ sensili sanctione.* Patet ex dictis de necessitate legum positivarum (n. 55).

60. *Principium 4^{um}* : *Divinitus poni potest lex aliqua supra legem naturalem; quia, volente Deo, possunt homines ad finem supernaturalem evehi ac dirigi.* (*Cosmol.*, n. 55).

61. *Corollarium.* Varias legis positivæ dotes sive præcipuas, sive secundarias præclare describit Isidorus : « Erit lex « honesta, justa, possibilis, secundum naturam (eorum quibus imponitur), secundum consuetudinem patriæ, loco « temporique conveniens, necessaria (ad removenda mala), « utilis (ad consecutionem bonorum), manifesta quoque, « ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo « privato commodo, sed pro communi utilitate scripta. » (*Etymol.*, l. 5, c. 21).

ARTICULUS II

De normâ subjectivâ moralitatis.

62. Quatuor pertinent ad normam subjectivam moralitatis adæquatè sumptam, scilicet : 1^o libertas, quæ est ejus proxima conditio; 2^o ratio, quæ illius principia cognoscit; 3^o conscientia, quæ illa applicat agenti; 4^o principia ipsa quibus dirigi debet conscientia.

§ I. — De libertate, quatenus est proxima conditio moralitatis.

63. *Status questionis.* In Anthropologiâ (n. 135-158), voluntatis objectum et naturam, necnon libertatis notionem et existentiam datâ operâ declaravimus. Ethica autem de libertate non agit, nisi quatenus est conditio moralitatis actuum humanorum. Ut enim jure notat Angelicus, « ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur. » (In II Sent., dist. 24, q. 3, a. 2, sol.).

64. *Assertio* : *Ut actus moralis et imputabilis sit agenti, debet esse liber tum a necessitate, tum a coactione.*

Ut actus aliquis sit moralis et imputabilis agenti, necesse est ut agens illius habeat dominium. Sed homo in tantum habet dominium sui actûs, in quantum eum eligit suumque facit : quod est agere liberè. Porrò, ut homo liberè agat, oportet ut ab actu suo temperare possit et neque vi extrinsecâ, neque necessitate internâ determinetur.

Dixi actum liberum esse debere tum a necessitate, tum a coactione; quin tamen necesse sit ut homo nullam prorsus internam externamve sollicitationem patiat. Enimvero, ut actus aliquis liber meritò dicatur, sufficit hominem esse dominum illius, ac reipsa illum præ alio eligere, etsi fortè ad illum vehementer sollicitetur. Sic, v. g., martyres liberè agebant, licet tyranni eos aut minis aut blanditiis vehementer aggrederentur. — Imò verò vix possibile est hominem ab omni sollicitatione internâ vel externâ immunem esse, quia voluntas ejus variis motivis ad agendum incitari solet.

65. Corollarium. Hinc sequitur actum liberum eum esse qui tum cognitionem, tum electionem includit. Quidquid igitur cognitionem aut electionem vel tollit vel minuit, libertatem quoque tollit vel minuit; hujusmodi sunt *violentia, ignorantia, metus, concupiscentia*, vel aliæ id genus passionibus, quæ tales esse possunt, ut libertatem auferant omnino, vel duntaxat imminuant.

§ II. — De ratione, quatenus principia morum cognoscit.

66. Errores. Plures materialistæ, inter quos Robinet, volunt existere in homine sensum quemdam *physicum internum*, quinque sensibus externis persimilem, vi cujus apprehendimus bonum et malum, ut, ope gustûs, dulce et amarum. Ab iis parùm discedunt nonnulli *phrænologistæ* (v. g. Gall), qui morales facultates explicant per diversas conformationes aut protuberationes cerebri, a quibus pendent inter agendum, ut visus ab oculo, vel auditus ab aure (1).

At schola scotica, ducibus Hutcheson et Reid, contendit moralitatem apprehendi a facultate quadam speciali, quam *sensum moralem* vocant, et quæ a sensibus simul et ab intellectu seceratur.

67. Assertio 1^a: *Perceptio moralitatis sensui corporeo adscribi non potest.*

1^o Systema sensûs corporei *fundamento caret*; arguit enim

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 1, a. 3, § 3.

ex influxu quem certæ corporis affectiones in moralitatem exercent. Porrò influxus ille est duntaxat specialis applicatio universalis influxûs, non autem dominationis corporis in animam. — 2^o *Evertit mores*, tum quia evertit libertatem; si enim facultas cognoscitiva boni malique pendet ab organis, et ipsa voluntas quæ illam sequitur; tum quia bonum morale revocat ad qualitatem physicam.

68. Assertio 2^a: *Perceptio moralitatis sensui spirituali, ab intellectu distincto, adscribi non debet.*

1^o Hæc facultas moralis, spiritualis simul et ab intellectu distincta, reipsa non existit. Enimvero in Anthropologiâ (n. 115), ostendimus intellectum practicum a speculativo intellectu non secerni, sed eandem rationem esse quæ veritates theoreticas et morales apprehendit. — 2^o Immerito instinctivæ propensioni attribuuntur judicia quæ ad mores spectant; quippe cùm instinctus nihil nisi relativum ac cæcum exhibeat, facilis inde paratur descensus in moralitatem sensualisticam, aut saltem subjectivam ac variabilem.

69. Nihilominus in rebus moralibus, cognitionem boni et mali sequi solet quidam sensus atque impulsus quo inclinantur homines ab bonum et retrahuntur a malo.

70. Assertio 3^a: *Perceptio moralitatis ad rationem pertinet.*

1^o Ratio moralitatis est aliquid in ordine veri comprehensum, quinimo est idea abstracta, necessaria et universalis. Sed ratio sola notiones abstractas, universales et necessarias colligit. — 2^o Quivis actus humanus bonitatem aut malitiam accipit ex proportione, vel ex proportionis defectu inter objectum suum, finem, circumstantias et regulas morum. Atqui sola ratio potest varias res inter se conferre, et de illarum proportione aut consonantiâ judicare.

Porrò eam notionem perinde ac notiones alias universales, abstractionis et reflexionis ope comparat. Scilicet percipit primùm actus *particulares* bonos vel malos, sicque notionem *hujus* boni vel mali particularis acquirit; deinde ex iis actibus per abstractionem amovet quidquid particulare est, et servat solum notam *generalem* boni et mali; demum, consi-

deratâ boni et mali naturâ, statim videt atque affirmat prius faciendum, posterius autem vitandum esse.

§ III. — De conscientia, quatenus principia morum applicat agenti.

71. I. *Natura conscientia.* Conscientia, ut in Anthropologia diximus, distinguitur in *psychologicam* et *moralem*. Prior est potentia quæ homini testatur operationes vel affectiones suas *spirituales* et *præsentes*. Posterior autem, de quâ solâ nunc agimus, definitur *potentia quâ homo pronuntiat de licitate vel illicitate suarum actionum*. Differt igitur a *synderesi*, quæ præ se fert cognitionem *principiorum* moralium; conscientia enim, ope rationis, *synderesim applicat* ad actum particularem ac nostrum. E. g. *synderesis* dicit: Furtum non licet. Porro, addit ratio: Talis actio est furtum. Ergo, concludit conscientia: Talis actio mihi non licet.

72. II. *Varia conscientia munerâ.* Ex dictis sequitur conscientiam esse, ut docet D. Thomas, « *applicationem* alicujus « *nostræ cognitionis ad ea quæ agimus*. Quæ quidem applicatio fit tripliciter. *Uno modo*, secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse vel non fecisse, secundum illud: « *Scit enim conscientia tua quia et tu crebrò maledixisti aliis;* « (Eccles., VII, 23), et secundum hoc conscientia dicitur *testificari*. — *Alio modo*, applicatur secundum quod per nos « *tram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum, vel non faciendum; et secundum hoc dicitur conscientia ligare, vel instigare.* — *Tertio modo*, applicatur secundum « *quod per conscientiam judicamus quod aliquid quod est factum, sit benè factum, vel non benè factum; et secundum hoc dicitur conscientia excusare, vel accusare, vel etiam remordere.* » (1^a 2^a, q. 79, a. 13, c).

73. III. *Vis conscientia.* Conscientia est regula *particularis et proxima* actuum humanorum, lex autem regula *generalis et remota*. Lex sola *proprie* nos obligat; sed in tantum obligat nos, in quantum vi conscientia nobis *applicatur*; in tantum autem *ligat* nos conscientia, in quantum legem ab

alio jure impositam nobis servandam infimat. « Conscientia, « *perbellè* ait S. Bonaventura, est sicut *præco Dei* et *nuntius*. Et quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi « *ex Deo*; sicut *præco*, cum divulgat edictum regis. » (In. II *Sent.*, dist. 33, a. 1, q. 3, *ad arg.*).

74. IV. *Divisio conscientia.* Multifariam dividi solet conscientia, sed ad rem nostram triplex ejus species potissimum facit: una sumitur *ex parte objecti*; et sub eo respectu *vera* aut *falsa* dicitur conscientia, prout *judicium* ejus realitati conforme est, vel non; duæ verò sumuntur *ex parte subjecti*; sub quo respectu, conscientia distinguitur 1^o in *firmam*, et non *firmam*, prout pronuntiat sine ullâ, vel cum aliquâ errandi formidine; 2^o in *prudentem* et *temerariam*, prout informata est adhibitis vel neglectis *communibus* ac debitis mediis vel auxiliis, communi scilicet diligentia et curâ, habitâ ratione gravitatis rei, et conditionis personæ.

§ IV. — De principiis conscientia directivis.

Duo sunt *suprema* principia quibus tota innititur conscientia *rectio*: quorum alterum dicit quid requiratur ne actio sit mala, alterum quid sufficiat ut sit bona.

75. *Principium 1^{um}*: *Ut actio culpæ non vertatur agenti, oportet habeat conscientiam firmam ac prudentem de illius licitate.*

Illud enim requiritur, sine quo voluntas dici posset assentire malo, si quod sit in actione. Porro, nisi quis conscientiam *firmam* ac *prudentem* habeat de licitate suæ actionis, dici potest assentire malo, si quod in eâ fuerit; exercet quippe actionem sibi dubiè licitam, aut neglexit media adhibenda.

76. *Corollaria*. Hinc sequitur peccare: 1^o eum qui agit *contra* suam conscientiam; siquidem elicit actum quem credit esse malum, ac proinde malo consentit.

2^o Eum qui agit, stante dubio *practico* de licitate actionis a seipso *hic et nunc* ponendæ.

77. *Distinctio inter dubium speculativum et dubium practicum*. Prius obtinet, cum quis dubitat de licitate alicujus

actionis *in se* tantum et *objectivè* inspectæ. Posterius autem illud est quo quis dubitat utrum actio quædam *sibi* liceat, spectatis omnibus circumstantiis in quibus versatur. Jam fieri potest ut quis dubitet de intrinsecâ bonitate alicujus actionis, et tamen exequat dubium practicum, ope principii cujusdam vulgò *reflecti*, sicque certus fiat eam actionem, omnibus pensatis, sibi licere.

78. Porro, *dubium speculationum practicè exequi potest ope hujus principii*; *Lex incerta non obligat*. Obligatio enim, cum sit onus et restrictio libertatis, probari debet et certò constare. Itaque obligatio dubia eadem est ac obligatio nulla. Quinimo obligatio *non dividitur*; est quidem major, vel minor, prout præceptum est majus, vel minus, sed est *tota*, vel *nulla*, prout constat, vel non constat. — At ubi verè probabile est aliquam legem non existere, hujus existentia ignoratur a nobis, et proinde nullam nobis obligationem imponit. Ut enim dicit D. Thomas: « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante *scientiâ* (cognitione) illius præcepti. » (*Qq. dispp. de Ver., q. 17, a. 3, c.*)

Et verò, in tantum culparetur qui sic agit, in quantum sese peccandi periculo exponeret. Sed negandum est suppositum; nam actio ejus est forsân mala *materialiter*, non autem *formaliter*, sive spectata ex parte agentis qui sese prudenter gerit.

Sententia quam tuemur, dici solet *probabilismus*, quia docet licere sequi partem verè probabilem; eamque tenent plures ac nobiliores theologi, negantibus aliis, qui putant non licere sequi nisi partem probabiliorem, ideoque *probabilioristæ* vocantur.

Quòd si tamen agentis actio versaretur circa finem ab eo *necessariò* obtinendum, adhibere deberet mediæ quæ ad eum *tutiùs* perducunt: ita omnes, et patet ratio.

79. *Principium 2^{um}*: *Ut actio agenti culpæ non vertatur, satis est habeat conscientiam firmam et prudentem de illius licitate.*

Illud enim sufficit, quo posito, voluntas dici nequit malo assentire, si quod fortè sit in suo actu. Atqui stante cons-

scientiâ firmâ et prudente de licitate sui actûs, voluntas dici nequit assentire malo, si quod fortè sit in suo actu; tunc enim malum erit duntaxat *materiale*, nec ei imputari poterit, quia sequitur judicium prudens, et ideo rectum.

Præterea, quanquam homo debet mediâ *communis* adhibere ad inveniendam veritatem de actibus suis, non semper tamen per eum stat quominus eam inveniatur. Itaque nihil ab eo exigere potest præter *prudentiam*.

80. Unde colligere est eum non peccare qui sequitur conscientiam *invincibiliter* erroneam, videlicet cujus error vinci non potest *communi* diligentiâ et curâ.

CAPUT IV

DE CONSECTARIIS ACTUS HUMANI ET MORALIS

81. Moralem actum quatuor consequuntur, nempe imputatio, gaudium et remorsus conscientiæ, meritum et demeritum, virtus et vitium. De his breviter dicendum est, præterito gaudio vel remorsu conscientiæ, de quo in Anthropologiâ quædam notavimus (n. 286).

ARTICULUS I

De actûs moralis imputatione.

Breviter dicendum est de notionem, existentiam et extensionem imputationis.

82. I. Imputatio definiri potest *ratio vi cujus alicui adscribitur actio sua cum omnibus consecrariis quæ naturaliter trahit*. Duo itaque supponit, nimirum aliquem esse actionis suæ auctorem, et ab illo exigere posse rationem ejus necnon

actionis *in se tantum et objective* inspectæ. Posterius autem illud est quo quis dubitat utrum actio quædam *sibi* liceat, spectatis omnibus circumstantiis in quibus versatur. Jam fieri potest ut quis dubitet de intrinsecâ bonitate alicujus actionis, et tamen excutiat dubium practicum, ope principii cujusdam vulgò *reflecti*, sicque certus fiat eam actionem, omnibus pensatis, sibi licere.

78. Porrò, *dubium speculationum practicæ excuti potest ope hujus principii: Lex incerta non obligat.* Obligatio enim, cum sit onus et restrictio libertatis, probari debet et certò constare. Itaque obligatio dubia eadem est ac obligatio nulla. Quinimo obligatio *non dividitur*; est quidem major, vel minor, prout præceptum est majus, vel minus, sed est *tota*, vel *nulla*, prout constat, vel non constat. — At ubi verè probabile est aliquam legem non existere, hujus existentia ignoratur a nobis, et proinde nullam nobis obligationem imponit. Ut enim dicit D. Thomas: « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante *scientiâ* (cognitione) illius præcepti. » (*Qq. dispp. de Ver., q. 17, a. 3, c.*)

Et verò, in tantum culparetur qui sic agit, in quantum sese peccandi periculo exponeret. Sed negandum est suppositum; nam actio ejus est forsân mala *materialiter*, non autem *formaliter*, sive spectata ex parte agentis qui sese prudenter gerit.

Sententia quam tuemur, dici solet *probabilismus*, quia docet licere sequi partem verè probabilem; eamque tenent plures ac nobiliores theologi, negantibus aliis, qui putant non licere sequi nisi partem probabiliorem, ideoque *probabilioristæ* vocantur.

Quòd si tamen agentis actio versaretur circa finem ab eo *necessariò* obtinendum, adhibere deberet mediæ quæ ad eum *tutiùs* perducunt: ita omnes, et patet ratio.

79. *Principium 2^{um}: Ut actio agenti culpæ non vertatur, satis est habeat conscientiam firmam et prudentem de illius licitate.*

Illud enim sufficit, quo posito, voluntas dici nequit malo assentire, si quod fortè sit in suo actu. Atqui stante cons-

scientiâ firmâ et prudente de licitate sui actûs, voluntas dici nequit assentire malo, si quod fortè sit in suo actu; tunc enim malum erit duntaxat *materiale*, nec ei imputari poterit, quia sequitur judicium prudens, et ideo rectum.

Præterea, quanquam homo debet *media communia* adhibere ad inveniendam veritatem de actibus suis, non semper tamen per eum stat quominus eam inveniatur. Itaque nihil ab eo exigí potest præter *prudentiam*.

80. Unde colligere est eum non peccare qui sequitur conscientiam *invincibiliter* erroneam, videlicet cujus error vinci non potest *communi* diligentiâ et curâ.

CAPUT IV

DE CONSECTARIIS ACTUS HUMANI ET MORALIS

81. Moralem actum quatuor consequuntur, nempe imputatio, gaudium et remorsus conscientiæ, meritum et demeritum, virtus et vitium. De his breviter dicendum est, præterito gaudio vel remorsu conscientiæ, de quo in Anthropologiâ quædam notavimus (n. 286).

ARTICULUS I

De actûs moralis imputatione.

Breviter dicendum est de notionem, existentiam et extensionem imputationis.

82. I. Imputatio definiri potest *ratio vi cujus alicui adscribitur actio sua cum omnibus consecrariis quæ naturaliter trahit*. Duo itaque supponit, nimirum aliquem esse actionis suæ auctorem, et ab illo exigí posse rationem ejus necnon

consecratorum quæ cum eâ connectuntur et quæ aliquo modo prævidit futura.

83. II. Assertio : *Actiones morales sunt imputabiles.*

1° Si homo est agens liberum, auctor est actionum suarum et effectuum qui ab ipsis desluunt. Sed homo est agens liberum, et ejus actiones sunt in ejus dominio atque ab ipso efficiuntur. — 2° *Confirmatur* testimonio conscientiæ. Si enim liberè aliquid mali egimus, remordet nos conscientia, si autem egimus vel pellente necessitate, vel deficiente advertentiâ, ipsa nos excusat. — 3° Accedit hominum *communis* opinio; nam ubique homines ob actiones a se liberè elicitas probari, aut improbari solent. Id autem sensu omni careret, nisi actiones morales essent imputabiles.

84. III. Jam alicui imputari potest tum actio sua, tum actionis *omissio*, quoties ex istâ omissione aliquid mali sequitur quod *poterat et debebat* prohibere. E. g. si cui navis gubernanda credatur, is autem curam illius dimittat, imputabitur ei navis submersio.

Item nobis imputari queunt actiones non solum nostræ, verum etiam *alienæ*, si a nobis aliquo modo *pendeant*, aut ad eas *cooperemur*; v. g. patri vel magistro partim imputantur peccata erroresve filii aut discipuli, si filius a patre malè aut negligenter fuerit educatus, discipulus autem a magistro pravis opinionibus imbutus. — Nobis æquè imputarentur actiones alicujus quem consilio, auxilio, aliâve ratione ad agendum *inducemus*.

ARTICULUS II

De merito et demerito.

Meriti et demeriti quærere licet : 1° naturam; 2° existentiam, et 3° fundamentum.

§ I. — De meriti et demeriti naturâ.

85. I. Meritum definiri potest *jus ad mercedem*, demeritum autem *obnoxietas pœnæ*; nam ut ait D. Thomas « meritum

« et demeritum dicuntur in ordine ad retributionem quæ sit « secundum *justitiam*. » (1^a 2^a, q. 21, a. 2, et q. 114, a. 1). Porro merenti *debetur* merces pro laboris operisve retributione, quasi pretium ejus; demerenti autem debetur pœna, ob injuriam vel damnum alteri illatum.

86. II. *Conditiones* ad merendum requisitæ repeti queunt ex parte actûs ejus qui meretur, et ex parte illius de quo meretur. — Sub *priori* aspectu, actus esse debet liber et honestus. Si enim liber non esset, agenti non imputaretur; si autem esset inhonestus, dignus mercede haberi non posset.

Sub *posteriori* aspectu, actus debet cedere in bonum aut emolumentum alterius, nec ei *speciali et oneroso* contractu deberi. Qui enim beneficium aliquod ab altero recepit, tenetur ad recompensationem proportionatam persolvendam, ut restituatur æqualitas inter utrumque. Si autem actio alicujus alteri *speciali* contractu deberetur, eo ipso destitueretur meriti ratione, mercede jam receptâ; posset nihilominus *accidentalem* mercedem mereri, si exereretur peculiari diligentia aut curâ.

87. Attamen non requiritur ut actio sit *omnino* gratuita et indebita ex parte illius qui meretur, quia homo potest mereri in *officio* suo adimplendo. Res constat ex omnium *sensu*; nec quisquam dixerit nihil mereri militem pro patriâ defendendâ occumbentem, vel martyres pro servandâ fide. Et *ratio* est quia tunc facit homo, ut aiunt, *ex necessitate virtutem*; quippe bona ejus actio, licet præcepta, exigit ab eo aliquid *proprium*, scilicet rectum usum libertatis, et conatum animi passionibus obluantibus.

88. III. Quod attinet ad *mensuram* meriti *naturalis*, de quo sermonem habemus, multis ex causis oritur : *objectivè* quidem, ex magnitudine, difficultate et liberalitate exhibitæ operis; *subjectivè* autem, ex agentis dignitate ac studio.

§ II. — De meriti existentia.

Quærendum est utrum homo mereri ac demereri possit apud alios homines, et apud ipsum Deum.

89. Assertio 1^a : *Meretur et demeretur homo apud homines cum privatos, tum in societate constitutos.*

PROB. 1^o *populorum consensione*; nam quotidie dicitur aliquem meritum vel demeritum esse de suis vel patriâ; alicui, tanquam promerenti, justam mercedem fuisse impensam, et alterum pœnas, ut æquum erat, dedisse.

2^o *ratione*; ut enim D. Thomas clarè disputat, omnis actus bonus meriti rationem implet apud homines *privatos et apud ipsam societatem*: « Unusquisque in aliquâ societate vivens, est aliquo modo *pars et membrum* totius civitatis. Quicumque ergo agit aliquid in bonum vel malum alius cujus in societate existentis, hoc redundat in *totam societatem*; sicut qui lædit manum, per consequens lædit hominem.

« Quum ergo aliquis agit in bonum vel malum alterius *singularis personæ*, cadit ibi dupliciter ratio meriti vel demeriti; uno modo, secundum quod debetur ei retributio a *singulari personâ*, quam juvat vel offendit; alio modo, secundum quod debetur ei retributio a *toto collegio*.

« Quando verò aliquis ordinat actum suum *directè* in bonum vel malum *totius collegii*, debetur ei retributio primò quidem et principaliter a *toto collegio*, secundò verò ab omnibus collegii partibus. » (1^a 2^a, q. 21, a. 3, c).

90. Assertio 2^a : *Meretur et demeretur homo apud Deum.*

Probatur quia 1^o qui benè vel malè agit, licèt non augeat nec minuat *intrinsicam* Dei gloriam, tamen auget vel minuit gloriam ejus *extrinsicam*. Porrò, ut notat D. Thomas: « Deus ex bonis nostris non quærit *utilitatem*, sed *gloriam*, i. e. *manifestationem* suæ bonitatis, quod etiam ex suis operibus quærit. Ex hoc autem quod Eum colimus, nihil ei accrescit, sed nobis; et ideo meremur aliquid a Deo, non quasi ex nostris operibus aliquid accrescat, sed in quantum propter ejus gloriam operamur. » (1^a 2^a, q. 114, a. 1, ad 2). — Insuper, homo *affectivè*, quantum in se est, aliquid *exhibet* Deo vel *subtrahit*, cum servat vel violat ordinem ab ipso institutum (1^a 2^a, q. 47, a. 1, ad 1).

2^o Deus est *rector* mundi et specialiter rationabilium crea-

turarum. Porrò, in omni communitate, ad rectorem spectat boni communis cura; is enim sibi fieri reputat quod fit communitati; unde ejus est *retribuere* pro his quæ in communitate benè aut malè fiunt.

91. Obj. Si apud Deum homo mereretur, Eum sibi *debitorem* constitueret, quod repugnat.

R. neg. ant. Etenim nostri actus totam meriti rationem sumunt ex *præsuppositione* divinæ ordinationis, quæ nobis operandi et merendi potentiam liberè largita est; Deus igitur, ut monet D. Thomas, non efficitur simpliciter debitor *« nobis, sed sibi ipsi*, in quantum debitum est ut sua ordi- natio impleatur. » (1^a 2^a, p. 114, a. 1, ad 3).

§ III. — De fundamento meriti.

92. Assertio : *Ratio meriti nititur in quadam æqualitatis seu justitiæ lege servandâ.*

Probatur ex ipsâ meriti definitione. Ex dictis enim (n. 85), aliquis meretur cum agit in alterius profectum sive bonum, demeretur autem cum agit in alterius nocumentum seu malum. Porrò ipsa vetat justitia ne quis in alterius profectum agat quin inde recipiat mercedem, aut ab aliquo malum et nocumentum patiatur impunè.

Id autem obtinet, sive agatur de merito inter homines, sive de merito apud Deum. — *Si prius*, evidens est alteri ab altero profectum vel nocumentum afferri posse, unde recompensatio exigatur vel pro retributione operis, quasi quoddam pretium ejus; vel tanquam illati damni reparatio, ut resarciatur detrimentum; illudque *absolutâ* æqualitate fundatur. — *Si posterius*, non est quidem inter Deum et hominem justitia, et proinde meritum, « secundum *absolutam* æqualitatem, sed secundum *proportionem* quandam, in quantum « scilicet uterque operatur secundum modum suum. » (1^a 2^a, q. 114, a. 1, c). Insuper, ex dictis (n. 90), homo, prout benè aut malè agit, *procurat* vel *subtrahit* Deo gloriam suam extrinsecam.

93. Corollarium. Hinc sequitur rejiciendum esse syste-

ma tum *divinæ sanctionis*, tum *electionis implicite*. Fautores prioris systematis rationem meriti repetunt ex *solâ* necessitate sanctionis divinæ, quæ si deficeret, langueretur virtus, mercedis orbata impulsu, et insolesceret vitium, nullâ pœnâ refrænatum. — Fautores autem posterioris opinionis contendunt felicitatem seu mercedem, infelicitatem seu pœnam necessariò includi in actione bonâ vel malâ, ita ut qui benè vel malè agat, censeatur eligere mercedem vel pœnam.

At 1^o opinio *minuit* vim meriti, quod reponit totum non in justitiâ, ut par est, sed in solâ sapientiâ Dei. Opinio verò 2^o non explicat factum explicandum; non enim explicat cur in actu bono vel malo reperiatur merces aut pœna, utrùm scilicet ob meram necessitatem sanctionis, an ob justitiam seu æqualitatem servandam.

ARTICULUS III

De virtute et vitio (1).

Quatuor de virtute inquiremus: 1^o ejus naturam; 2^o subiectum; 3^o originem et causam; 4^o divisionem.

§ I. — De virtutis naturâ.

94. 1^o Virtus, quoad *nomen* inspecta, idem sibi vult ac *vis*, et significat *potentium*, quatenus habet ut proprio impetu in actum suum erumpere possit. Hoc sensu accepta, rebus etiam intellectu destitutis competit.

2^o Quoad *rem* definitur ab Aristotele *habitus qui bonum facit habentem, et opus ejus reddit bonum*.

Dicitur 1^o *habitus*, quia non præ se fert aliquid transitorium, ut actus, sed qualitatem *difficilè* mobilem. Unde ad constituendam virtutem non sufficit unus actus bonus, sed requiritur modus *constans* benè agendi. Ut enim poetiçè ait

(1) Cf. S. Th., 1^a 2^a, q. 55-62.

Aristoteles, « una hirundo ver non facit, nec unus dies, ita « nec unus actus bonus virtutem. » (1 *Ethic.*).

Dicitur 2^o *qui bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum*. « Virtus humana, ait D. Thomas, non importat ordinem ad *esse*, sed magis ad *agere*: et ideo de ratione virtutis humanæ est quòd sit *habitus operativus*, » (1^a 2^a, q. 55, a. 2, c). Virtus ergo *immediatè* potentiam, *mediatè* verò substantiam agentis perficit.

95. *Virtus consistit in medio inter vitia*; non quòd sit particeps ex vitiiis oppositis, sed quòd æquè ab iis discedat, in medio sistens, ut monet eleganter Horatius:

« Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum. »
(Epist. XVIII, ad Lolium, v. 9.)

*Probat*ur quia virtus movet hominem ad bonum determinatum ratione, quæ est norma boni humani. Ergo normæ suæ adamussim respondere debet, sicut in *artificiatis*, bonum est opus quod regulam artis sequitur, malum quod ab eâ discordat. Sed duplici modo aliquid a normâ suâ discordare potest, ab eâ scilicet *deficiendo*, vel ultra eam *excedendo*. E. g. fortitudo media est inter ignaviam et audaciam, liberalitas inter avaritiam et prodigalitatem, et ita de aliis virtutibus *moralibus*.

Idem quoque dicendum est de virtute *intellectuali*, « quæ « consistit in quodam medio per conformitatem ad ipsam « rem, secundum quòd dicit esse quod est, vel non esse quod « non est, » ut adsit « *adæquatio intellectus et rei*. » Contra quam dupliciter peccari potest, per excessum et per defectum. « Excessus est secundum affirmationem falsam, per « quam dicitur esse quod non est. Defectus autem accipitur « secundum negationem falsam, per quam dicitur non esse « quod est. » (1^a 2^a, q. 64, a. 3, c).

Equidem virtutes vulgò *theologicæ* non consistunt in medio, si ex parte *objecti* sui considerentur. Nam Deum pro objecto habent, qui tantus est ut operationem humanam omnino excedat. At si spectentur ex parte *circumstantiarum* ac

modi quo ab homine coli debent, versantur etiam in medio. Quippe in illis ratio haberi debet *loci, temporis, personæ*, aliarumque id genus circumstantiarum, ut agatur ubi oportet, quando oportet, et sicut oportet. (Cf. S. Th., 1^a 2^a, q. 64, a. 1, ad 2). — Merito igitur S. Bernardus: « Tene *medium, si non vis perdere modum; medium, sedes modi, et modus virtus.* » (*De consider.*, l. 2, c. 10).

96. Altamen, ut sapienter monet Aristoteles, medium in quo virtus habitat, minimè prohibet quin ipsa *excelsum* aliquid et *summum* præ se ferat.

§ II. — De subjecto virtutis (1).

97. Subjectum virtutis in remotum ac proximum dividitur. Subjectum *remotum* est ipse homo, *proximum* potentie hominis. Enimvero, ex dictis, virtus est *habitus operativus*; sed potentie sunt immediatum operationis principium, remotum verò ipsa entis essentia, propterea quòd agens, mediantibus suis potentiis, operatur.

98. Porro, inter hominis potentias duæ sunt *proprie* subjectum virtutis, intellectus nempe et voluntas. Nam virtus idem est ac bonum honestum. At bonum honestum est quid spirituale et rationale, et duæ tantùm in homine inveniuntur potentie rationales, scilicet intellectus et voluntas.

1^o Et quidem *intellectus* non immeritò ut subjectum virtutis habetur. Quaquam enim primariò ad verum ordinatur, tamen confert etiam ad bonum, imò ingentem in illud influxum habet. Secernit enim bonum a malo, et bonum voluntati *objicit* ut faciendum, malum autem ut vitandum. — Insuper voluntas tum virtutem colere dicitur, cum *sequitur* normas moralitatis ab intellectu propositas. Itaque virtus ipsa moralis « nihil aliud est quàm *participatio quædam rationis recte in parte appetitivâ.* » (*Qq. dispp. de Virt.*, q. 1, a. 2, c); ac proinde pendet a rectitudine rationis, ut a principio *movente* et *ordinante*.

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part. c. 2, § 3 et 4.

Præterea, non solum in *omnes* voluntatis virtutes agit ratio, sed suas etiam *proprias* virtutes habet easque maximi momenti, ut in ordine speculativo, *fidem*, et in ordine pratico, *prudentiam*; tametsi fides et prudentia ex voluntate quadamtenus pendeant.

2^o At *voluntas* habet præcipuas partes in virtute *moralis*; quippe virtus moralis consistit in rectâ electione, recta autem electio a voluntate exeritur. Unde viri boni *simpliciter* vocantur a nobis non quorum bonus est intellectus, sed quorum bona est voluntas.

Confirmatur, quia videre est homines intellectu et scientiâ insignes, qui tamen a virtute exulant.

99. *Potentie autem sensitivæ per se non sunt virtutis subjectum*, utpote quæ ad bonum spirituale non eriguntur. Nihilominus, quia in homine, pars sensitiva rationi conjungitur immediatè, eique obedire nata est, potentie sensitivæ *per accidens* evadunt subjectum virtutis, et possunt adjuvare operationem humanam. — *Confirmatur* experientiâ, quæ probat maximam vim inesse passionibus in utramque partem.

§ III. — De virtutis causâ et origine.

100. **Assertio**: *Virtutis initium est a naturâ, perfectio ab actibus repetitis.*

PROB. 1^a PARS, quia nobis a naturâ insunt quædam *dispositiones* ad virtutem, veluti virtutum *semina*. Etenim homo naturaliter cognoscit principia prima in ordine speculativo, tum in ordine pratico, quæ D. Thomas scitè vocat *seminaria* quædam intellectualium virtutum et moralium. — Item in parte *sensitivâ* quandoque sunt a naturâ certæ dispositiones ad virtutem; nam ex corporis complexione, in quibusdam vires inferiores magis rationi subjiciuntur; unde quidam a nativitate majorem aptitudinem habent ad *temperantiam* aut *fortitudinem*.

PROB. 2^a PARS. 1^o Ut ad verum, sic ad bonum obtinendum, homo ex potentiâ at actum transit; at quidquid transit ex

potentiâ ad actum, priùs ad imperfectum quàm ad perfectum actum pervenit. — 2^o In infantiâ, ratio paucis instructa est veritatibus, voluntas imbellis, calentes passiones; ideoque animi virtutem, ut corporis augmentum, accedentibus annis ac laboris fatigatione, adquiramus necesse est.

Quamobrem, ne dicamus de habitibus bonis *supernaturali* ratione *infusis*, virtus repetitis actibus et acquiritur et augetur. Nam ex repetitis actibus voluntas in bono *confirmatur* sensimque generatur *consuetudo*; hæc autem efficit ut actus sit *uniformis, expeditus ac delectabilis*.

401. Corollarium. Virtus haberi potest ut boni actûs effectus simul ac principium. Est effectus ejus quoad acquisitionem, siquidem acquiritur ex actibus repetitis; est autem ejus principium, quoad perfectionem, quia semel acquisita causa est cur agamus bonum promptius, firmitus et delectabilius.

§ IV. — De virtutum divisione.

402. Suprà innuimus *communio*rem virtutum divisionem esse in *intellectuales* et *morales*. 1^o Virtutes porrò intellectuales pertinent aliæ ad intellectum *speculativum*, ut *sapientia*, quæ considerat altissimas rerum causas (cf. *Anthrop.*, n. 118); *intellectus*, qui percipit prima principia, et *scientia*, quæ ope ratiocinii, conclusiones ex principiis deducit; aliæ autem pertinent ad intellectum *practicum*, inter quas eminent *prudentia*, quæ a D. Thomâ vocatur « *recta ratio agibilem* » et est habitus ille qui *principia morum ad actus et casus particulares applicat*.

Cæterum prudentia partim intellectualis est virtus, quatenus habitat in consilio eligitque media fini proportionata; partim etiam moralis, quatenus supponit rectitudinem voluntatis, quæ in debitum finem ordinetur.

2^o At virtutes morales, si modò inter eas prudentia computetur, dividuntur in quatuor præcipuas quæ, ob suam principalitatem, vulgò appellantur *cardinales*: nimirum pru-

dentia, justitia, fortitudo et temperantia, quibus reliquæ *connectuntur* (1).

3^o Vulgaris hujus divisionis duplex est ratio, altera ex parte virtutis subjecti, altera ex parte objecti. — Sub *priori* respectu, virtutis subjectum vel est ratio, ad quam ordinatur *prudentia*; vel voluntas, ad quam *justitia*; vel, per accidens saltem, appetitus sensitivus concupiscibilis, quem *temperantia*, et irascibilis, quem *fortitudo* moderatur.

Sub *posteriori* respectu, bonum ad quod tendit virtus humana, considerari potest vel in suo *fonte*, nempe in ratione; unde occurrit prudentia; vel in *materiâ* cui ratio *applicatur*, et sic habemus justitiam quæ ordinat operationes nostras ad alios homines, temperantiam et fortitudinem quibus passiones reguntur. Passiones enim dupliciter rationi oblectari queunt, ait D. Thomas, « uno modo, secundum quod passio « nos impellit ad aliquid contrarium rationi; et sic necesse « est quod *reprimatur*, et ab hoc denominatur *temperantia*; « alio modo, secundum quod nos retrahit ab eo quod ratio « dictat, sicut timor periculorum vel laborum; et sic necesse « est quod homo *firmetur* in eo quod est rationis, ne recedat; « et ob hoc denominatur *fortitudo*. » (1^a 2^a, q. 61, a. 2, c.)

403. Quod si quatuor prædictæ virtutes *inter se conferantur* ratione *nobilitatis* sui objecti, prior adest prudentia, dein, ordine suo, justitia, fortitudo ac temperantia. — Id prudentiæ proprium est quod alias *omnes moderetur*, sitque, clarè dicit D. Thomas, *auriga* virtutum. Unde S. Bonaventura: « Sicut oculus videt sibi, et aliis membris, sic prudentia inspicit sibi, et virtutibus cæteris. » (In 3 *Sent.*, dist. 33, a. 1, q. 2, *ad arg.*)

Sed advertere præstat omnes virtutes morales esse *con-*

(1) Quam connexionem clarè declarat D. Thomas: ad prudentiam enim referri merito possunt solertia, providentia, docilitas, circumspectio et cautio (2^a 2^a, q. 48, a. 1); ad justitiam, religio, pietas, veritas, gratia seu gratus animus, vindictio, amicitia, liberalitas (ib. q. 80, a. 1); ad fortitudinem, fiducia et magnificentia, patientia et perseverantia (ib. q. 128, a. 1); ad temperantiam demum continentia, humilitas et modestia, mansuetudo et clementia (ib. q. 143, a. 1).

nexas, nec unam haberi posse, si aliæ desiderentur, licet aliquis unam perfectius possidere valeat.

De vitiis easdem quæstiones instituere liceret ac de virtutibus; a quibus tamen, brevitatis causâ abstinemus, cum cæteroquin iisdem principiis solvi possint.

ETHICÆ SECUNDA PARS

SIVE

ETHICA SPECIALIS

104. *Ejus objectum et divisio.* Ethicæ est varias et singulares operationes humanas ad bonum dirigere. Quocirca postquam generalia morum principia exposuimus, ea præstat applicare ad varios *status* in quibus homo versari potest, ac notare diversa illius officia et jura.

Porro considerare licet jura et officia hominis, prout est quædam persona *singularis*, et prout est pars *societatis* in quâ vivit. Hinc duplex sectio in Ethicâ speciali.

SECTIO PRIMA

De jure et officio hominis, quatenus individualis.

105. Homo, si inspiciatur quatenus *individuum morale*, referri potest vel ad Deum, vel ad seipsum, vel ad alios homines *privatos*, seclusâ omni sociali relatione. Sed antequam de variis hominis juribus et officiis dicamus, declarandæ sunt *generales* notiones de jure et officio in univer-

sum. Inde quadruplex caput; 1^{um} de jure et officio in universum; 2^{um} de officiis hominis erga Deum; 3^{um} de officiis hominis erga seipsum; 4^{um} de officiis hominis erga alios homines *privatos*.

CAPUT I

DE JURE ET OFFICIO IN UNIVERSUM

Jus et officium sumi possunt vel seorsum, vel in mutuis relationibus quibus inter se devinciuntur.

ARTICULUS I

De jure et officio seorsum inspectis.

§ I. — De jure.

De jure quatuor declarare oportet: 1^o ejus notionem; 2^o subjectum; 3^o collisionem, et 4^o varias divisiones.

I. De juris notionem.

106. 1^o Juxta quosdam, juris *nomen* originem ducit ex *justitiâ*, ut designet id quod est *justum*; juxta alios, oritur a *jubendo*, et idem sibi vult ac *jussum*.

2^o Quoad *rem*, jus merito definitur a Suarezio « *facultas quædam moralis, quam unusquisque habet vel circa rem suam, vel ad rem sibi debitam.* » (*De Leg.*, l. I, c. 2, § 5).

Dicitur 1 *facultas quædam*, seu veri nominis potentia, quâ aliquid ad nutum habetur.

Dicitur 2 *facultas moralis*, non autem physica, quia non nititur in vi, sed in ipsâ *justitiâ*. — Unde potest esse vis

nexas, nec unam haberi posse, si aliæ desiderentur, licet aliquis unam perfectius possidere valeat.

De vitiis easdem quæstiones instituere liceret ac de virtutibus; a quibus tamen, brevitatis causâ abstinemus, cum cæteroquin iisdem principiis solvi possint.

ETHICÆ SECUNDA PARS

SIVE

ETHICA SPECIALIS

104. *Ejus objectum et divisio.* Ethicæ est varias et singulares operationes humanas ad bonum dirigere. Quocirca postquam generalia morum principia exposuimus, ea præstat applicare ad varios *status* in quibus homo versari potest, ac notare diversa illius officia et jura.

Porro considerare licet jura et officia hominis, prout est quædam persona *singularis*, et prout est pars *societatis* in quâ vivit. Hinc duplex sectio in Ethicâ speciali.

SECTIO PRIMA

De jure et officio hominis, quatenus individualis.

105. Homo, si inspiciatur quatenus *individuum morale*, referri potest vel ad Deum, vel ad seipsum, vel ad alios homines *privatos*, seclusâ omni sociali relatione. Sed antequam de variis hominis juribus et officiis dicamus, declarandæ sunt *generales* notiones de jure et officio in univer-

sum. Inde quadruplex caput; 1^{um} de jure et officio in universum; 2^{um} de officiis hominis erga Deum; 3^{um} de officiis hominis erga seipsum; 4^{um} de officiis hominis erga alios homines *privatos*.

CAPUT I

DE JURE ET OFFICIO IN UNIVERSUM

Jus et officium sumi possunt vel seorsum, vel in mutuis relationibus quibus inter se devinciuntur.

ARTICULUS I

De jure et officio seorsum inspectis.

§ I. — De jure.

De jure quatuor declarare oportet: 1^o ejus notionem; 2^o subjectum; 3^o collisionem, et 4^o varias divisiones.

I. De juris notionem.

106. 1^o Juxta quosdam, juris *nomen* originem ducit ex *justitiâ*, ut designet id quod est *justum*; juxta alios, oritur a *jubendo*, et idem sibi vult ac *jussum*.

2^o Quoad *rem*, jus merito definitur a Suarezio « *facultas quædam moralis, quam unusquisque habet vel circa rem suam, vel ad rem sibi debitam.* » (*De Leg.*, l. I, c. 2, § 5).

Dicitur 1 *facultas quædam*, seu veri nominis potentia, quâ aliquid ad nutum habetur.

Dicitur 2 *facultas moralis*, non autem physica, quia non nititur in vi, sed in ipsâ *justitiâ*. — Unde potest esse vis

sine jure, ac jus sine vi. Jus porrò longè præstantius est vi, quidquid blaterent qui vim juri præcedere obganniunt. Et sanè jus spirituale quiddam præ se fert, dum vis continetur in ordine physico, et ipsis irrationalibus entibus competit.

Dicitur 3 quam unusquisque habet vel circa rem suam, vel ad rem sibi debitam; ubi indicatur duplex juris objectum; aliquis enim potest habere jus vel disponendi re suâ, vel ab alio exigendi rem vel actionem aliquam sibi debitam.

107. Cum jus sit facultas moralis, habendum est ut quid sacrum et prorsus *inviolabile*. Itaque vehementer reprobanda est scelestâ ista, quæ multis recentibus arridet, opinio, quam vocant *factorum* vulgò *consummatorum*. Scilicet, iis docentibus, aliquid, eo ipso quòd effectum est, vim habet juris (1). — Ast autem, consummatio alicujus facti naturam ejus haud mutat, nec ei vim addit moralem, sed tam illicita quàm licita esse potest, prout ipsa res facto consummata est in se injusta vel justa. — *Hinc damnatæ* sunt istæ *Syllabi* propositiones: « *Jus in materiali facto consistit, et omnia humana facta juris vim habent* » (Prop. 59); — et: « *Fortuna nata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.* » (Prop. 61).

Attamen, temporum tractu accidere potest ut facta consummata *tolerari*, vel *observari* debeant, si nimirum jam minimè, vel non sine nimis incommodis rescindi valeant. At etiam tum *per se sola* nullam vim habent, sed feruntur ex necessitate.

II. De subjecto juris.

108. *Subjectum juris est persona*. Ex dictis enim, jus est facultas moralis. Sed hujusmodi facultas non nisi in personâ

(1) Hæc stupenda habet Cousin: « *J'entreprends de démontrer la moralité du succès... le vaincu est toujours celui qui doit l'être, le vaincu doit être vaincu et a mérite de l'être, le vainqueur non seulement sert la civilisation, mais il est meilleur, plus moral, et c'est pour cela qu'il est vainqueur. S'il n'en était pas ainsi, il y aurait contradiction entre la moralité et la civilisation, ce qui est impossible.* » (Introd. géner. à l'Hist. de la philos., legon IX).

residere potest, quæ intellectu et libertate prædita sit, et referre debeat actiones suas ad finem proprium attingendum, alterius entis fini haud subordinatum.

109. *Hinc* sequitur erravisse Arhens et Damiron, quorum prior belluis jura concedit relativè ad hominem, posterior autem omnibus creaturis vel inanimis.

At animalia et cætera entia quæ intellectu carent, ad hominem, velut ad *finem* destinantur. Unde nullis erga illa tenetur officii; ac si malè illis utatur, aut in illa sævitiam exerceat, non contra illa delinquit, sed contra ordinationem Dei, a quo illa in *usum*, non autem in *abusum* accepit. Quamobrem entia ista non sunt propriè *terminus* ad quem officia nostra referuntur, sed *objectum* duntaxat et *materia* circa quæ versari possunt. (Cf. S. Th., 1^a 2^m, q. 102, a. 6, ad 8).

III. De jurium collisione.

110. Quæritur utrùm jus aliquid venire possit in conflictum cum alio jure, ita ut circa unam eandemque rem, aliud præcipiat, aliud verò prohibeat. Porrò id nunquam reipsâ fieri potest, etsi quandoque fieri videatur, v. g. si quid prohibeatur vel præcipiatur humanâ lege, quod lex divina aut ecclesiastica imperet aut vetet. Ut enim veritati veritas oblucari haud quit, ita nec juri jus, nec auctoritas auctoritati. Omnis namque auctoritas a Deo est; nihil autem a Deo est, quod rectè ordinatum non sit.

Quamobrem, eo in casu, alterius juris existentia alterum tollit, et alterum alteri *cedat* oportet. Porrò illius est prævalere, quod versatur circa objectum magis universale, aut magis necessarium, aut a majori originem ducit auctoritate. Tunc cedit jus minus, vigetque axioma: *Ubi major est minor cessat*.

IV. De jurium divisione.

112. Jus dividitur *ex parte naturæ*, in *perfectum* aut *strictum*, et *imperfectum* seu *latum*, prout pertinet ad justitiam, vel solùm ad *caritatem*; v. g. jus hominis ad tuendum

suam famam vel bona sua est perfectum, imperfectum autem jus pauperis ad eleemosynam accipiendam.

Porrò jus strictum dividitur in *jus in re* et *jus ad rem*. Jus in re, juxta recens jus Galliæ, est illud quod aliquis habet in re numericè determinatâ et jam suâ, sive jam eam possideat, sive illam emerit, licet nondum ei tradita sit. Jus ad rem est illud quod habet aliquis ut aliqua res non numericè determinata fiat sua; vocatur gallicè *créance*. V. g. jus alicujus in equum determinatum, a se emptum, est jus in re; jus autem alicujus emptoris in centum modios tritici sumendos in venditoris horreo quod sexcentos modios contineat, est jus ad rem.

Demum jus tum in re, tum ad rem potest esse *innatum* vel *adventitium*, prout habetur ab ipsâ naturâ, vel oritur a pacto quodam libero inter personas habiles, v. g. jus hominis in suam famam est innatum, quia in ipsâ naturâ nititur; jus autem alicujus in rem a se emptam est acquisitum.

§ II. — De officio.

Dicendum est de naturâ, subjecto, collisione ac divisione officiorum.

113. I. Officium definiri potest *vinculum morale quo ad aliquid obligamur*.

Dicitur 1º vinculum, quia ligat libertatem.

Dicitur 2º morale, quia non physicâ, sed spirituali vi utitur.

Dicitur 3º quo ad aliquid obligamur, quia officium omne certam obligationem imponit aliquid vel præstandi, vel faciendi, vel omittendi. Hæc autem obligatio quandoque in ordine justitiæ continetur, quandoque versatur extra justitiam strictam.

114. II. *Subjectum officii est ens intellectu ac libertate præditum*. Etenim officium obligationem imponit; sed obligatio imponi nequit, nisi enti quod eam cognoscere valeat et liberè observare. Entibus autem destitutis intellectu imponi non solet nisi vinculum physicum. — Item, obligationis terminus

debet esse ens intelligens ac liberum; siquidem ille est subjectum juris relativè ad eum qui officio subjacet.

115. III. *Dari nequit officiorum collisio*. Et sanè aliquis obligari non potest ad impossibile; obligaretur autem si teneretur ad officia contraria, quæ, eo ipso quòd contraria sunt, simul non possunt impleri. Cùm ergo duplex officium contrarium incumbere videtur, illud tantum obtinet ac reipsa servandum est, quod est aut præstantius, aut magis necessarium, aut a majori impositum auctoritate. Sub eo respectu, officia legis naturalis primas sibi partes vindicant, deinde, ordine suo, officia juris divini positivi, juris ecclesiastici et juris civilis.

116. IV. Officia dividuntur trifariam: 1º *ex parte suæ nature*, in *primitiva* et *naturalia*, et *adventitia* seu merè *positiva*, prout rerum essentiâ innituntur, vel pendent a relationibus liberè initis; — 2º *ex parte modi quo ligant*, in *affirmativa* et *negativa*, quatenus aliquid præcipiunt, vel prohibent. — Officia negativa *gradus* non suscipiunt, suntque, ut monet D. Thomas, magis universalia, tum quoad tempus, tum quoad personas. Quoad tempus, quia obligant *semper et ad semper*; v. g. nunquam licet mentiri aut furari; quoad personas, quia nulli nocendum est.

Præcepta verò affirmativa *gradus* habere queunt; et licet obligent semper, *non tamen ad semper*, nec sunt omnibus hominibus exhibenda. E. g. non debemus omni tempore honorare parentes, sed pro tempore et loco; nec tenemur ad serviendum omnibus (Cf. S. Th., 1º 2º, q. 71, a. 3, ad 3, et 2º 2º, q. 33, a. 2).

3º *Ex parte termini ad quem referuntur*, officia hominis sunt vel erga Deum, vel erga seipsum, vel erga proximum.

ARTICULUS II

De mutuis relationibus jus inter et officium.

Relationes quibus jus et officium inter se devinciuntur spectant ad utriusque dependentiam et originem.

447. Assertio 1^a : *Non est jus sine officio, nec officium sine jure.*

PROB. 1 PARS, quia eo ipso quòd alicui certum jus inest aliquid exigendi vel agendi, officium aliis incumbit ut vel illi hoc præstent, vel illum liberè agere sinant; alioquin jus illius foret inane.

PROB. 2 PARS, quia nemini obligatio incumbere potest, nisi justa sit; justa autem esse non potest, nisi ab aliquo imponatur, qui jus habeat illam imponendi.

448. Assertio 2^a : *Absolutè et ontologicè jus præcedit officio, sed in creaturâ officium præcedit juri.*

PROB. 1^a PARS, quia in tantum aliquis ad aliquid obligatur, in quantum in altero præexistit jus adversus illum; in tantum creatura rationalis officii ligatur, in quantum iis a Deo subijcitur merito jure.

PROB. 2^a PARS. Etenim id quod primò in rationali creaturâ invenitur, est ejus dependentia a Deo, a quo fuit creata: ex quo sequitur ut debeat ejus voluntati obedire ac tendere ad finem sibi destinatum. At posito *fundamentali* hocce officio, necesse est ut habeat omnia jura quæ personalitatem sequuntur, ac liberè prosequi possit omnia fini suo necessaria vel consentanea. — Quæ quum ita sint, prius homo officia sua quam jura docendus est, et in primis sciat oportet nunquam sibi jus inesse ad id quod aut suo, aut aliorum officio adversatur.

CAPUT II

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM, SEU DE RELIGIONE (1)

449. Notio et divisio religionis. 1^o Religionis nomen ortum videtur a *religando*, quia « religio nos *religat* omnipotenti

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 9, n. 1.

Deo, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio (1). » (2^a 2^e, q. 81, a. 1, c).

2^o Quoad rem, si *objectivè* sumatur et *latius*, religio definitur potest *complexus officiorum quibus homo erga Deum devincitur*. Si autem *subjectivè* et *strictè*, est *virtus moralis quæ Deo, tanquam rerum omnium principio et supremo Domino, debitum cultum exhibemus*.

3^o At religio potest esse *interior*, vel *exterior*, prout mente continetur, vel exterius manifestam sese exhibet.

Rursus, utraque potest esse *naturalis*, vel *supernaturalis*, prout ratione *solâ*, vel revelatione innitur. De priore solum agendum habemus.

ARTICULUS I

De religione interiori.

Quærendum est : 1^o utrùm homo Deo debeat internam religionem? 2^o quænam officia hæc religio amplectatur?

§ I. — Utrùm homo Deo debeat internam religionem.

420. Deo ab homine religionem internam deberi facile probari potest. — 1^o Homo revereri debet ens præstantissimum et infinitè perfectum. Porrò Deus est ens hujusmodi. — 2^o Homo colere debet eum a quo habet originem, et vitæ suæ conservationem necnon gubernationem. Porrò Deus est creator hominis, eumque conservat in *esse*, et inter agendum juvat et gubernat. — 3^o Homo tendere debet ad suum *finem*

(1) Causam religionis hujus ingeniosè declarat D. Thomas : « Illud « proprie *ligari* dicitur, quod ita uni adstringitur, quod ei ad alia diver- « tendi libertas tollatur. Sed *religatio*, iteratam ligationem importans, « ostendit ad illud aliquem ligari, cui primò conjunctus fuerat, et ab eo « distare incipit. Et quia omnis creatura prius in Deo existit quam in se « ipsa, et a Deo *processit*, quodammodo ab eo distare incipiens, per crea- « tionem, ideo rationalis creatura ad Deum debet religari. » (Opusc. *cont. impugn. Dei cult. et relig.*, c. 1.)

447. Assertio 1^a : *Non est jus sine officio, nec officium sine jure.*

PROB. 1 PARS, quia eo ipso quòd alicui certum jus inest aliquid exigendi vel agendi, officium aliis incumbit ut vel illi hoc præstent, vel illum liberè agere sinant; alioquin jus illius foret inane.

PROB. 2 PARS, quia nemini obligatio incumbere potest, nisi justa sit; justa autem esse non potest, nisi ab aliquo imponatur, qui jus habeat illam imponendi.

448. Assertio 2^a : *Absolutè et ontologicè jus præcedit officio, sed in creaturâ officium præcedit juri.*

PROB. 1^a PARS, quia in tantum aliquis ad aliquid obligatur, in quantum in altero præexistit jus adversus illum; in tantum creatura rationalis officii ligatur, in quantum iis a Deo subijcitur merito jure.

PROB. 2^a PARS. Etenim id quod primò in rationali creaturâ invenitur, est ejus dependentia a Deo, a quo fuit creata: ex quo sequitur ut debeat ejus voluntati obedire ac tendere ad finem sibi destinatum. At posito *fundamentali* hocce officio, necesse est ut habeat omnia jura quæ personalitatem sequuntur, ac liberè prosequi possit omnia fini suo necessaria vel consentanea. — Quæ quum ita sint, prius homo officia sua quam jura docendus est, et in primis sciat oportet nunquam sibi jus inesse ad id quod aut suo, aut aliorum officio adversatur.

CAPUT II

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA DEUM, SEU DE RELIGIONE (1)

449. Notio et divisio religionis. 1^o Religionis nomen ortum videtur a *religando*, quia « religio nos *religat* omnipotenti

(1) Cf. *Le Kantisme et le Positivisme*, c. 9, n. 1.

Deo, cui principaliter alligari debemus, tanquam indeficienti principio (1). » (2^a 2^e, q. 81, a. 1, c).

2^o Quoad rem, si *objectivè* sumatur et *latius*, religio definitur potest *complexus officiorum quibus homo erga Deum devincitur*. Si autem *subjectivè* et *strictè*, est *virtus moralis quæ Deo, tanquam rerum omnium principio et supremo Domino, debitum cultum exhibemus*.

3^o At religio potest esse *interior*, vel *exterior*, prout mente continetur, vel exterius manifestam sese exhibet.

Rursus, utraque potest esse *naturalis*, vel *supernaturalis*, prout ratione *solâ*, vel revelatione innitur. De priore solum agendum habemus.

ARTICULUS I

De religione interiori.

Quærendum est : 1^o utrùm homo Deo debeat internam religionem? 2^o quænam officia hæc religio amplectatur?

§ I. — Utrùm homo Deo debeat internam religionem.

420. Deo ab homine religionem internam deberi facile probari potest. — 1^o Homo revereri debet ens præstantissimum et infinitè perfectum. Porrò Deus est ens hujusmodi. — 2^o Homo colere debet eum a quo habet originem, et vitæ suæ conservationem necnon gubernationem. Porrò Deus est creator hominis, eumque conservat in *esse*, et inter agendum juvat et gubernat. — 3^o Homo tendere debet ad suum *finem*

(1) Causam religionis hujus ingeniosè declarat D. Thomas : « Illud « proprie *ligari* dicitur, quod ita uni adstringitur, quod ei ad alia diver- « tendi libertas tollatur. Sed *religatio*, iteratam ligationem importans, « ostendit ad illud aliquem ligari, cui primò conjunctus fuerat, et ab eo « distare incipit. Et quia omnis creatura prius in Deo existit quam in se « ipsa, et a Deo *processit*, quodammodo ab eo distare incipiens, per crea- « tionem, ideo rationalis creatura ad Deum debet religari. » (Opusc. *cont. impugn. Dei cult. et relig.*, c. 1.)

ultimum. Sed Deus, ex probatis supra (n. 8), est ultimus finis hominis (1).

121. Corollarium. Hinc sequitur quàm falsâ opinione te-
neantur qui, ut Kantius, religionis officia *negant*, propterea
quòd Deus iis minimè indiget, ac nihil ab homine accipere
potest. Ut enim clarè dicit D. Thomas, « Deo reverentiam et
honorem exhibemus » non propter seipsum, quia seipso est
gloriâ plenus, sed propter nos; quia per hoc quòd Deum
reveremur et honoramus, mens nostra ei subicitur, et in
hoc ejus perfectio consistit. Quælibet enim res perficitur per
hoc quòd subditur suo superiori, sicut corpus per hoc quod
vivificatur ab animâ; et aer per hoc quod illuminatur a
sole. » (2^a 2^m, q. 81, a. 7).

§ II. — De variis officiis quæ amplectitur religio interior.

122. Interior religio duplicis generis officia præ se fert
alia quæ ad intellectum, alia quæ ad voluntatem spectant.

1^o Nihil prius in religione esse potest, quàm ut habeamus
de Deo rectam notitiam; unde S. Augustinus: « Optimè de
« Deo existimare verissimum est pietatis exordium. » (*De*
lib. arbitr., l. 1, c. 2, n. 5). — Præterea, ex cognitione quam
de Deo habemus, defluit *mensura* omnium officiorum quæ
illi debemus præstare.

2^o At postquam Deum intellectus rectè cognovit, restat
ut *voluntas* suum ei reddat obsequium. Hoc porrò ut ac-
curatè præstetur, Deus nobis considerandus est tum *in sei-*

(1) Imo etiam, cum homo rerum visibilium a Deo constitutus sit domi-
nus, cumque illæ intellectu et amore careant, debet, earum loco, amoris
et adorationis officium in Deum explere: « L'homme est le temple où
toutes les créatures semblent être amassées, où toute la nature s'assemble,
afin que tout l'univers loue Dieu en lui comme dans son temple. C'est pour-
quoi S. Grégoire de Nazianze l'appelle excellemment adorateur *mixte*, si
bien qu'il n'est pas seulement le temple, il est l'adorateur de Dieu pour
tout le reste des créatures qui, n'étant point capables de connaître, se
présentent à lui pour l'inviter à rendre à Dieu l'hommage pour elles; si
bien qu'il n'est le contemplateur de la nature visible, que pour être le
prêtre et l'adorateur de la nature invisible et intellectuelle. » (Bossuet,
3^e sermon pour le jour de Pâques, 1^{er} point).

pso, tum *relativè ad nos*. — Sub priori aspectu, infinitam
habet excellentiam; unde oportet ut illum æstimatione super
omnia, adoratione, amore, et aliis id genus officiis prose-
quamur. — Sub posteriori aspectu, est noster creator,
gubernator ac finis ultimus; unde ab illo quoad omnia *pen-*
demus. Quare debemus ei gratum animum, omnimodam
subjectionem, adhæsiorem constantem atque devotionem
nostri.

At præcipuas in religione partes habet amor. Nam reli-
gionis omnis finis est hominis *conjunctio* cum Deo. Atqui
nihil nos ut amor Deo conjungit. Unde S. Augustinus: « *Nec*
colitur, nisi amando. » (*Epist.* 140, ad Honorat., c. 18, n. 45).

123. Porrò de prædictis officiis non est inter philosophos
controversia. At *rationalistæ*, ut Rousseau, Kantius, Saisset,
J. Simon et alii, deprecationem, in sensu *petitionis* accep-
tam, omnino rejiciunt. Qui error sequentibus refellitur as-
sertionibus, quæ *convenientiam*, *necessitatem* et *materiam*
deprecationis declarant (1).

124. Assertio 1^a: *Deprecatio est convenientissima.*

PROB. 1^o *ex parte Dei*, quia precibus humanis divina vehe-
menter commendantur attributa, imprimis summum domi-
nium et bonitas. Nam « per orationem homo Deo reve-
« rentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subicit, et
« proficitur orando se eo indigere, sicut auctore suorum
« honorum » (2^a 2^m, q. 83, a. 3, c), et potenti defensore
contra varia mala quibus premitur.

Confirmatur quia ipsi homines aliorum miseriis tangi so-
lent, juxta præclarum illud Terentii: « *Homo sum, humani*
nihil a me alienum puto. » (*Heautontimorum.*, act. 1, sc. 1),
atque si rogentur ac possint, subveniunt libenter. Idem
porrò *a fortiori* credendum est de Deo, optimo illo hominum
patre, quos ad imaginem suam formavit. Et religio non sinit
Eum fingere adeo nostri incuriosum, ut ad Eum minimè
accedat humanitas, humilisque gemitus implorantis. « Si
« ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis ves-

(1) S. Thom. S. th., 2^a 2^m, q. 83.

« tris, quantò magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona « petentibus se. » (*Math.*, c. VII, v. 11).

2° *Ex parte hominis*. Illud enim homini est convenientissimum quod ex ipsius visceribus, duce naturâ, erumpit, solamen affert in rebus adversis, addit virtutem ne peccet, animumque ut resurgat. Porro eos orationis effectus experiri quisque potest. Quippe miseri Deum sponte adimus, effici-mur animosiores si tentatione instante oraverimus, ac si deficere acciderit, spes emergendi affulget mentemque subit resurgendi virtus (1).

125. Assertio 2^a : *Deprecatio jure naturali præcipitur.*

1° Deprecatio perutilis est, imò moraliter necessaria videtur ad declarandam *practicè* hominis a Deo subjectionem ac dependentiam. Ergo Deus decernere debuit quædam ad finem nostrum attingendum necessaria, quædam autem valde opportuna nobis concedenda non esse nisi rogantibus;

2° Ad conditionem naturalem entis imperfecti pertinet ea petere quibus indiget, quæque sibi nequit per seipsum procurare. Atqui homo est ens hujusmodi. Quatenus *peccator* (porro « *in multis offendimus omnes* ») (*Jac.* III, 2), necesse est ut ipsum *peniteat* sui et a Deo veniam ac gratiam petat suppliciter. — Quatenus verò *infirmus* et *debilis*, 1 propriam debet confiteri imbecillitatem, 2 desiderare auxilium superioris virtutis quo ad standum in officii semitâ roboretur; 3 invocare superiorem hanc virtutem, Deum scilicet a quo juvetur. Et revera quisque, conscientia teste, intelligit se esse veritatis sæpe ignarum, ad veritatem etiam cognitam deserendam pronum, præ infirmitate voluntatis ac vi passionum, et imparem ferendis doloribus. Oportet igitur ut desideret amplius auxilium, ne ab officii semitâ discedat. Si autem debet auxilium illud desiderare, debet etiam petere, cum oratio sit desiderii nostri interpretis.

Argumentum 3^{um} ducitur ex *naturali inclinatione* hominis ad orationem. Ut enim jam cum D. Thomâ diximus (n. 39),

(1) « Tout médecin des âmes sait que la guérison est possible, dès que « le malade a consenti à prier. » (J. SIMON, *Relig. natur.*, 2, p. 376, 2^e édit.).

præceptum est legis naturalis omne ad quod homo naturâ inclinatur. Sed homo naturâ inclinatur ad orationem; hæc enim invenitur apud omnes homines et omnes populos. — Quippe homines, paucioribus admodum exceptis iisque animo vel corde perversis, *sponte* Deum rogant, præsertim in adversis rebus. Tunc erumpunt non mentitæ illæ, sed ab ipsâ fide et spe exortæ voces, « *mi Deus, bone Deus,* » quas Tertullianus vocat « *testimonium animæ naturaliter christianæ.* » (*Apologetic.*, c. 17). — Hinc Lucretius ipse, reus ille confitens :

« Multòque in rebus acerbis
« Acrius advertunt animos ad religionem :
« Quò magis in dubiis hominem spectare periculis
« Convenit, adversisque in rebus noscere quid sit :
« Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
« Ejiciuntur, et eripitur persona, manet res. »

(*De rerum nat.*, l. III, v. 53-58.)

Quod attinet ad *populos*, constat apud omnes religionem inveniri, et in religione potissimam esse orationem quâ bona petant, vel mala nitantur avertere (1). (*Theol. natur.*, n. 44). Porro ut advertit Seneca, « *nec in hunc furorẽ omnes mor-* « *tales consensissent alloquendi surda numina et inefficaces* « *Deos, nisi nõssent illorum beneficia, nunc ultrò oblata,* « *nunc orantibus data, magna, tempestiva.* » (*De benef.*, l. IV, n. 4).

126. Assertio 3^a : *Debentur orare quod debemus desiderare, et hoc licet orare quod licet desiderare.*

PROB. 1^a PARS contra Socratem, qui putabat nihil ultra petendum esse a diis, quàm ut bona tribuerent; quia hi demum scirent quid unicuique esset utile, nos autem plerumque id votis expetimus quod non impetrâsse melius foret.

At verò quædam sunt quæ debemus desiderare, utpote ad finem nostrum vel necessaria, vel maximè opportuna.

(1) Ad rem Plato : « Τοῦτò γε δὴ πάντες ὄσοι, καὶ κατὰ βραχὺ σωφροσύνης μετεχουσιν, ἐπὶ πάντας ὀρμῆ καὶ μικροῦ καὶ μεγάλου πραγματος θεὸν αἰεὶ πρὸς κλοῦσθαι. » (in *Tim.*) — Cf. Seneca, ad Lucilium, epist. 10).

Ergo ea etiam debemus orare, cum oratio non sit nisi desiderii nostri interpres. — Quæ autem malum aliquando exitum habent, v. g. bona temporalia et ipsa valetudo, eâ peti debent *conditione*, quòd Deus prævideat nos iis benè usuros esse.

PROB. 2^a PARS. — Enimvero quidquid honestum est, a Deo peti potest. Itaque licet petere vel bona temporalia, vel corporis valetudinem, vel alia id genus, maximè si petantur veluti « *admiracula* quibus adjuvamur ad tendendum ad beatitudinem, in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, et in quantum nobis organicè deserviunt ad actus « *virtutum.* » (2^a 2^a, q. 83, a. 6, c).

127. *Obiiciunt* rationalistæ orationem esse inutilem, vel obstare immutabilitati Dei, vel favere præsumptioni, cum includat alicujus miraculi petitionem. At falsitas 1^a objectionis sequitur ex probatis in primâ et secundâ thesi; siquidem ibi ostensum est hominem sibi ipsi non sufficere ad vitam honestè agendam, nisi auxilium petat a Deo.

Obiectio 2^a falsò supponit mutari Dei voluntatem, si orantis preces exaudiat. At verò ab æterno prævidit Deus hominum preces, et ab æterno decrevit se iis facturum satis in tempore. Cum igitur eas exaudit, implet suam, nedum mutet voluntatem. (*Cosmol.*, n. 52).

Quod spectat ad 3^{am} objectionem, falsum est in omni oratione includi petitionem miraculi, cum liceat petere aliquod donum quòd non transcendat omnes naturæ vires, licet nobis a Deo non debeatur. At licet etiam miraculum petere a Deo, modò petitio illa sit humilis, et intendatur Dei gloria, quæ ex supernaturali potentiæ ac bonitatis illius manifestatione declaratur.

ARTICULUS II

De religione exteriori.

128. Religio exterior est manifestatio religionis interioris per aliqua signa sensilia, nimirum per actus quosdam corpo-

ris, v. g. *cantus, oblationes, sacrificia*, et alia hujusmodi. — Porrò Thomasius et Kantius cultum externum rejiciunt, quia spiritus est Deus et in spiritu consistit religio.

129. *Assertio*: Deo ab homine debetur religio exterior.

1^o *Est laus debita corporis*; cum enim homo ex Deo habeat non solum animam, sed et corpus, oportet ut ipsum quoque suam profiteatur dependentiam et laudem afferat Deo. Hoc autem fit religione externâ; unde illud Scripturæ impletur: « *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* » (*Ps.* LXXXIII, v. 3).

2^o *Est perutilis religioni internæ*; « mens humana, ait « D. Thomas, indiget ad hoc quòd conjungatur Deo, sensibilibus *manuductione*; et ideo, in divino cultu, necesse est « aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi *signis* quibusdam « mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo « conjungitur. Et ideo religio habet quidem interiores actus « quasi *principales*, et per se ad religionem pertinentes, « exteriores verò actus, quasi *secundarios et ad interiores actus ordinatos.* » (2^a 2^a, q. 81, a. 7, c).

Confirmatur, quia ita a naturâ comparati sumus, ut anima nullum, saltem vividum, sensum experiatur, quin statim in corpus ipsum resiliat. Hinc est cur interni animi motus non possint non exterius prædicari.

3^o *Perutilis est ædificationi*; quia per eam homo suam fidem aliis testatur et eos, quantum in se est, ad Deum erigit et provocat ad superna.

CAPUT III

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA SEIPSUM

Dicemus de illis: 1^o generatim, et 2^o sigillatim.

ARTICULUS I

De officiis hominis erga seipsum generatim inspectis.

130. I. Eorum possibilitas et principium. Philosophi quidam, inter quos Thomasius, Kantius et Bautain, negant homini officia esse erga seipsum, vel quia sibi legem imponere nequit, vel quia si obligaret seipsum, se quoque facile ab obligatione eximeret. — At objectiones istæ sunt admodum leves; quippe relativè ad seipsum homo non est principium obligationis, sed terminus duntaxat: et eorum officiorum non est auctor aut causa, sed lex naturalis a Deo habens originem. Quare cum homo servat officia relativè ad seipsum, servat ipsa jura Dei in suâ personâ. — Ex quo sequitur ut ab iis officiis seipsum non possit eximere.

131. II. Eorum existentia. 1° Si insunt homini diversi generis potentiæ, et si ratio vult ut singulæ debitum ordinem habeant, debet homo mentem suam Deo subdere, et corpus animæ, et inferiores vires rationi. — 2° Aliis hominibus homo inviolabilis est eo quod est persona; sed est etiam persona relativè ad seipsum, non autem res. Ergo non potest uti personâ suâ, sicut re suâ, ac proinde non debet uti eâ tanquam medio, sed observare in illâ rationem finis.

132. III. Eorum indoles. Id existit discriminis inter officia hominis erga seipsum, et officia ejus erga alios homines, quod priora in caritatis ordine continentur, dum posteriora nonnunquam ad justitiam ipsam pertinent. Ratio est quia justitia est propriè alterius ad alterum.

At vero amor ille naturalis quo se homo prosequitur, ut nihil habeat unde culpari possit, oportet sit spiritualis et ordinatus in Deum, juxta monitum D. Augustini: « Teipsum « non propter te debes diligere, sed propter illum, ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est. » (Doctr. Christ., l. I, c. 22).

133. IV. Eorum divisio. Ex amore quo seipsum homo pro-

sequi debet, duplex exurgit officiorum genus, quorum alia sunt *negativa*, et prohibent ne sibi *detrimentum* afferat; alia autem *positiva*, et jubent ut *melioem* sese efficiat, et ideo propriis manibus exerceat culturam sui curetque perficiendam in dies *dignitatem* suæ personæ, quæ præsertim in *moralitatis* augmento consistit (1).

ARTICULUS II

De officiis hominis erga seipsum sigillatim inspectis (2).

Homo habet officia erga suam rationem, suam voluntatem, sensitivas potentias et suum corpus.

§ I. — De officiis hominis erga suam rationem.

134. Notio liberæ cogitationis. Quod si fides ejus fautoribus, inter quos Scherer, Renouvier et Renan, nihil non licet intellectui, vel quia nulli superiori regulæ subjacet, vel quia discernere non potest inter varias hominum opiniones quæ circumferuntur. Quamobrem opiniones omnes sunt liberæ, parisque juris.

135. Assertio 1^a : Falsa est sententia liberæ cogitationis.

1° Falso inimitur fundamento; tum quia ratio non est independens in suo esse (si quidem creata est a Deo); unde independens esse nequit in suis actionibus; tum quia generatim secernere potest inter varias quæ proferri solent opiniones, et quæ veritati consonæ, quæ adversæ sint, agnoscere.

2° Adversatur naturæ intellectus, cujus objectum et finis

(1) Distinguenda est dignitas personæ humanæ a dignitate vulgò personati. Prior in eo est ut quisquis in seipso et in aliis vereatur nobilitatem naturæ humanæ nihilque agat quod eam minus deceat. Posterior in eo consistit ut quis rationem habeat suæ conditionis et juxta illius exigentias se gerat; v. g. vir nobilis altitudinem animi præ se ferre debet.

(2) *La Tête et le Cœur*, 3^e part., c. 3, § 5 et 6.

est verum, error autem aversio a fine, ac proinde malum ejus. Ergo intellectus *subjacet* veritati, ad quam et tendere debet, nec potest jure cogitare nisi intra ejus limites.

Cæterum, si homini licet quæcumque velit cogitare, licere quoque debet quæcumque velit agere. Actio enim humana sequitur cogitationem; ac proinde, si nulla opinio est illicita, nulla etiam actio illicita potest haberi.

3° *Negligit ingentem influxum intellectus in voluntatem, et mediante voluntate, in omnem moralitatem.* Porro vita omnium plurimum pendet ex intellectus lumine; et, sicut laborantibus oculis, nemo potest nisi cæcutire in viâ, ita, errante intellectu, quo velut mentis oculo utimur, cuncta jam permiscuntur et mores abeunt in summum discrimen. « Cùm enim insitum sit *naturâ* homini, præclare ait SS. Leo XIII, ut in « agendo rationem ducem sequatur, si quid intelligentia peccat, in id voluntas facile labitur: atque ita contingit ut pravitas opinionum, quarum est in intelligentiâ sedes, in humanas actiones influat, easque pervertat. Ex adverso, « si sana mens fuerit, et solidis principiis insistat, tum in « publicum privatumque commodum plurima beneficia pro- « gignet. » (Encycl. *Æterni Patris*).

136. Assertio 2^a: *Aliqua scientia cuilibet homini necessaria est.*

Probatur quia cuius homini debet inesse aliqua notio Dei, sui ipsius, et cæterorum hominum: *Dei*, ut eum debite colat ipsique, tanquam ultimo fini, suas referat actiones; *sui ipsius*, ut par sit ad moralem culturam sui gerendam; *cæterorum hominum*, ut noseat quomodo eum illis debeat conversari.

Accedit pro certis hominibus *specialis* scientia quam requirunt eorum *conditio, status vel munera.*

137. Assertio 3^a: *Scientiæ et artes ad virtutem conferre possunt, licet ex se solis non magnum ei afferant subsidium.*

PROB. 1^a PARS contra J.-J. Rousseau, virum paradoxis satis famosum, qui scientias et artes virtuti perniciosas habuit. At contra *per se* illæ ingenium fovant, erigunt animum, boni pulchritudinem prædicant aut saltem insinuant.

Quod si accidat nonnullos homines scientiis artibusve abuti, non scientiis vertendum est crimini, sed illis qui scientiis abutuntur (1).

Pulchrè D. Thomas: « Unaquæque res est inclinata velle sibi illud quod est potissimum in eâ; potissimum autem in homine est ratio; ille ergo diligit se qui vult sibi bonum rationis. »

PROB. 2^a PARS, contra Platonem et quosdam recentes qui omnem virtutem in solâ scientiâ sitam volunt; scientiam vero proponunt veluti vitiorum omnium expultricem, cunctarum rerum dominatricem et religionis demum subrogandam loco.

At hæc verba sunt inania. Nam 1^o nulla conditio potest morum disciplina sine religione, quæ sola idonea est virtutis educatrix; — 2^o scientia *sola*, maximè si contineatur in ordine rerum *physicarum*, ut hodiè vellent multi, ad virtutem nihil confert. Ad rem Aristoteles: « *Ad virtutes autem scire quidem parum aut nihil prodest.* » (*Eth. ad Nicomac.*, l. 2, lect. 4). — Imò verò pedestris et manca hujusmodi scientia, quæ ab altioribus rerum causis abstrahit, convertere solet animum ad inferiora et a Deo avertere, nedum ad meliora erigat; — 3^o parva illa scientia, cujus solius capax est major pars hominum, *nullam per se* vim addit ad noscendam colendamque virtutem. Quæ omnia recenti apud nos experientia confirmantur.

§ II. — De officiis hominis erga suam voluntatem.

138. 1^o Quia homo voluntate suâ præcipuè bonus vel malus evadit, eam sedulâ curâ evolvendam suscipere debet. Porro norma voluntatis ratio est; propterea in eo consistit officium voluntatis ut eum ratione omnino consentiat.

2^o Quod si *proficere* velit voluntas, non ad ea tantum quæ sub *præceptum*, sed ad ea etiam quæ sub *consilium* cadunt, erigat se oportet. Quippe tum *convenientissima*, tum aliquâ

(1) Cf. *L'Idée du Beau*, Introdect.

saltem ex parte *imperata* dicenda est praxis consiliorum. Ita enim a naturâ homo comparatus est, ut si decreverit secum consilia prorsus omnia negligere, brevi impar futurus sit ad ipsa servanda præcepta, deficientibus paulatim animis. (S. Th. 1^a 2^e, q. 108, a. 4, c).

3^o Hue etiam spectat rerum, ut aiunt, *parvarum observantia*. De quâ illud memorabile Christi: « *Qui in minimo fidelis est, et in majori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.* » (Luc. xvi, 10).

§ III. — De officiis hominis erga sensitivum appetitum.

139. 1^o Appetitus sensitivus, ex dictis supra (n. 99), *per se* nec bonus, nec malus est, sed *per accidens* tantum et per quamdam participationem, in quantum in homine conjungitur rationi et ab eâ movetur. Propterea huic regulæ subest ut rationi semper *subjiciatur* (supra, n. 102). Si autem non subjiciatur, pronum est ut imperet, ac de illo merito usurpares quod de pecuniâ Horatius:

« Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
« Tortum digna sequi potius quam ducere funem. »

(L. 1, Epist. X, Ad Fuscum, v. 47.)

2^o Porrò ut rationi subjiciatur appetitus, a qualibet voluptate rationi *contrariâ* debet arceri, imò nec ita *licitis* etiam delectationibus permittendus est ut insolescat et timori sit locus ne olim nimio suo pondere voluntatem ad malum trahat. Quod ut tutius vitetur, præstat non agere *soliis* delectationis causâ.

3^o Demum si quis fortè illicitis delectationibus indulsit, tenetur, expiationis causâ, ad proportionatam castigationem suscipiendam.

§ IV. — De officiis hominis erga suum corpus.

Relativè ad suum corpus, homo habet duplex officiorum genus.

140. 1^o Debet ipsum spectare ut *partem suæ personæ*, a Deo sibi creditæ, non ut rem suam quâ uti possit et abuti. Sub eo respectu, jure *naturali* prohibetur cum *suicidium*, tum etiam membrorum *mutilatio*. Et ratio est quia, non homo vitæ suæ vel membrorum est *dominus*, sed Deus, ejus creator.

Accedit quòd suicidium adversatur *caritati* quam homo in seipsum debet habere.

Adversatur etiam *justitiæ* erga societatem cujus homo est pars et cujus lædit jura qui eam privat uno ex suis membris. (Cf. 2^a 2^e, q. 64, a. 5).

141. 2^o Debet homo habere corpus suum ut *instrumentum animæ*, et curare ne in eâ conditione versetur, ut animæ actionibus nocere possit, sed in illâ potius ut ei maximè serviat. Sub eo respectu, si quid *jejunii* vel alterius *castigationis* necessarium, vel admodum opportunum sit ad frændam vel domandam carnem, *præcepti* vel saltem *consilii* rationem habebit. Licet enim inde corporeæ vires paulisper imminuerentur, id abundè compensaretur eminentiori rationis bono et *castitatis* fructu, cujus gratia super gratiam. At verò, ut multis constat exemplis, magis revera valetudini *nocet* vita mollis quam frugis, et voluptas quam moderata abstinentia. « *Innumeros esse morbos miraris? coquos numera.* » (Seneca).

142. Ista quidem *laborem* expostulant, nec facilis cuiquam *victoria* sui. Imò verò nihil est tam arduum quàm proprias passiones moderari et seipsum vincere (1). Ad hoc requiritur habitus *fortitudinis*, cujus est aggredi *ardua* (2), *timores* reprimere, et præsertim *sustinere*. (Cf. S. Th., 2^a 2^e, q. 123, a. 6, c. et ad 1) (2). At fortitudo duò supponit elementa, scilicet

(1) « Les plus difficiles vertus s'exercent en nous et sur nous. Être maître de soi, régler son âme et sa vie, surmonter l'orgueil, la volupté, le désespoir, sont des actes de vertu bien autrement héroïques qu'un mouvement de pitié, de générosité, de bonté même : un trésor donné à un pauvre coûte mille fois moins au cœur et pèse moins dans la justice éternelle qu'un seul désir étouffé ou combattu. » (Cousin, *Premiers essais du vrai principe de la morale*, n. 282).

(2) « Non est vir fortis cui non crescit animus in ipsâ rerum difficultate (S. Bernard, Ep. 258 ad Eug.).

Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^o part., c. 2, § 6, p. 318 et ss.

ex parte rationis, principia certa, et ex parte voluntatis, vim firmam atque constantem.

CAPUT IV

DE OFFICIIS HOMINIS ERGÀ ALIÓS HOMINES PRIVATOS

143. *Eorum notio ac divisio.* 1º Homo ad finem proprium destinatur, ad quem jus habet liberè seipsum movendi, cæteris eum minime impediens. Itaque aliorum jus fit nobis obligationis causa, totque erga illos adstringimur officiis quot ipsi habent jura.

2º Porrò quis homo *duplicis* generis habet jura, alia quidem *stricta et perfecta*, quæ spectant ad *justitiam*, alia verò minus *stricta seu imperfectiora*, quæ spectant ad *caritatem*, quæ, ut clarè dicit D. Thomas, nobis imponunt « *debitum morale ex honestate virtutis.* » (2ª 2ª, q. 80, a. 1, c). Utraque certam et aliquando gravem generant obligationem, sed tamen essentialiter differunt, quia caritas a justitiâ essentialiter differt.

Porrò jus perfectum supponit aliquam *proprietatem*, vel aliquod *servitium pretio æstimabile*; v. g. jus proprietarii in suam domum, vel operarii ad salarium labori suo proportionatum. Hoc jus *determinatum* est ac *præcisum*, et *exigi* potest viâ *coactionis*. Si autem ab aliquo læsum fuerit, *restitui* vel *reparari* debet.

Econtra jus *imperfectum* nititur non in *proprietate* aut *servitio*, sed potiùs in aliquâ *indigentia*; v. g. jus pauperis ad petendam et recipiendam a divite eleemosynam. Non est *præcisum* aut planè *determinatum*, sed *pendet* ab adjunctis aut circumstantiis, nec nisi *moraliter* potest æstimari. Exigi nequit viâ *coactionis*, sed petitur viâ *persuasionis* a pau-

pere qui suam diviti necessitatem aperit ad movendam ejus misericordiam, et accipiendum aliquid ex ejus bonis.

Jus perfectum hisce formulis declarari potest : *Nemini noceas; alteri ne feceris quod tibi fieri non vis; tribue vel redde cuique suum.*

At juris imperfecti sequentes sunt formulæ : *Fac alteri quod tibi fieri velles; da, vel provide egeno pro ejus necessitate et tuâ facultate.*

Porrò, ut ex dicendis patebit, magnum est munus juris seu perfecti, seu imperfecti tum inter *privatos* homines, tum in re *sociali*.

ARTICULUS I

De strictis hominis juribus, seu de officiis justitiæ erga alios homines.

Dicemus breviter 1º de veris hominis juribus; 2º de quibusdam immerito inter jura hominis recens computatis.

§ I. — De veris hominis juribus.

Quum homo sit *persona* quædam animâ constans et corpore, habet jura quæ vel ejus animam, vel corpus, vel directè personam respiciunt.

I. De juribus animæ proximi convenientibus.

144. Ratione animæ suæ homo præcipuè jus habet ne in errorem *mendacio* inducatur. Mendacium definiri potest *locutio contra mentem scienter prolata et ex se vel adjunctis apta ad fallendum.*

Porrò mendacium *intrinsicè* malum est, eo quòd naturali ordini adversatur, utpote in alienum sensum invertit voces quæ *naturâ* suâ cogitationem, prout est in animo, significant. Itaque *omne* mendacium peccatum est. (S. Th., 2ª 2ª, q. 110, a. 3, c).

ex parte rationis, principia certa, et ex parte voluntatis, vim firmam atque constantem.

CAPUT IV

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA ALIOS HOMINES PRIVATOS

143. *Eorum notio ac divisio.* 1° Homo ad finem proprium destinatur, ad quem jus habet liberè seipsum movendi, cæteris eum minime impediens. Itaque aliorum jus fit nobis obligationis causa, totque erga illos adstringimur officiis quot ipsi habent jura.

2° Porrò quis homo *duplicis* generis habet jura, alia quidem *stricta et perfecta*, quæ spectant ad *justitiam*, alia verò minus *stricta seu imperfectiora*, quæ spectant ad *caritatem*, quæ, ut clarè dicit D. Thomas, nobis imponunt « *debitum morale ex honestate virtutis.* » (2^a 2^e, q. 80, a. 1, c). Utraque certam et aliquando gravem generant obligationem, sed tamen essentialiter differunt, quia caritas a justitiâ essentialiter differt.

Porrò jus perfectum supponit aliquam *proprietatem*, vel aliquod *servitium pretio æstimabile*; v. g. jus proprietarii in suam domum, vel operarii ad salarium labori suo proportionatum. Hoc jus *determinatum* est ac *præcisum*, et *exigi* potest viâ *coactionis*. Si autem ab aliquo læsum fuerit, *restitui* vel *reparari* debet.

Econtra jus *imperfectum* nititur non in *proprietate* aut *servitio*, sed potiùs in aliquâ *indigentia*; v. g. jus pauperis ad petendam et recipiendam a divite eleemosynam. Non est *præcisum* aut planè *determinatum*, sed *pendet* ab adjunctis aut circumstantiis, nec nisi *moraliter* potest æstimari. Exigi nequit viâ *coactionis*, sed petitur viâ *persuasionis* a pau-

pere qui suam diviti necessitatem aperit ad movendam ejus misericordiam, et accipiendum aliquid ex ejus bonis.

Jus perfectum hisce formulis declarari potest : *Nemini noceas; alteri ne feceris quod tibi fieri non vis; tribue vel redde cuique suum.*

At juris imperfecti sequentes sunt formulæ : *Fac alteri quod tibi fieri velles; da, vel provide egeno pro ejus necessitate et tuâ facultate.*

Porrò, ut ex dicendis patebit, magnum est munus juris seu perfecti, seu imperfecti tum inter *privatos* homines, tum in re *sociali*.

ARTICULUS I

De strictis hominis juribus, seu de officiis justitiæ erga alios homines.

Dicemus breviter 1° de veris hominis juribus; 2° de quibusdam immerito inter jura hominis recens computatis.

§ I. — De veris hominis juribus.

Quum homo sit *persona* quædam animâ constans et corpore, habet jura quæ vel ejus animam, vel corpus, vel directè personam respiciunt.

I. De juribus animæ proximi convenientibus.

144. Ratione animæ suæ homo præcipuè jus habet ne in errorem *mendacio* inducatur. Mendacium definiri potest *locutio contra mentem scienter prolata et ex se vel adjunctis apta ad fallendum.*

Porrò mendacium *intrinsicè* malum est, eo quòd naturali ordini adversatur, utpote in alienum sensum invertit voces quæ *naturâ* suâ cogitationem, prout est in animo, significant. Itaque *omne* mendacium peccatum est. (S. Th., 2^a 2^e, q. 110, a. 3, c).

Quin etiam philosophi communiter docent mendacium *justitiæ* quodammodo contrarium esse, quia *proximo* veritatem *debemus*, sin legali et stricto, saltem *moralis* debito, « in quantum scilicet *ex honestate* unus homo alteri debet « veritatis manifestationem. Unde *veritas* est pars *justitiæ*, « in quantum annectitur ei, sicut *virtus secundaria* principali. » (2^a 2^a, q. 109, a. 3, c).

Si autem homo sumatur prout in *societate* constitutus, mendacium, docente D. Thomâ, strictius adversatur *justitiæ*. Cum enim homo sit *animal sociale*, id sibi mutuò *debent* homines, sine quo *societas* non posset stare. Sed stare non posset *societas* hominum, nisi alii aliis crederent tanquam verum dicentibus.

II. De juribus proximi quantum ad bona corporea.

145. Jura ista *trifariam* dividuntur: nam quisque jus habet 1^o *in suum corpus*, quod proinde non licet aut integritate membrorum privare, aut ullâ injuriâ afficere.

2^o *In usum liberum membrorum*; unde nemo, *per se* loquendo, in alterius commodum laborare cogi potest, quia opera alterius alteri nullâ lege naturali debentur. — Quomobrem juri adversatur *servitus*, etiam moderata, nisi ob specialem causam licita fuerit, v. g. si quis alteri opera sua ultro cedat, aut justâ ex causâ debeat cedere.

3^o *In res externas possidendas*, quia inviolabile est jus *proprietas*. Porro jus illud potest definiri *facultas exclusiva et permanens utendi, fruendi et disponendi*. Cum verò jus proprietatis a recentibus *socialismi* et *communismi* professoribus acerrimè jam impugnetur, nobis datâ operâ videtur vindicandum.

146. *Notio socialismi et communismi*. — Socialismus est *systema generale* simul philosophicum, *politicum* et *economicum* de constitutione ac regimine *societatis*.

1^o *Philosophicè*, admittit placita *positivismi* et *evolutionismi*, et ideo *atheismum* profitetur.

2^o *Politicè*, ex *societate* repetit *omnia imperii elementa*,

auctoritatis principia et *media gubernandi*. At verò ad solum *populum*, i. e. ad solos opifices et operarios *omnia* pertinent jura politica, sicut et emolumenta *œconomica*, nempe *rerum* possessio, quia illi soli haberi possunt ut membra *corporis socialis fecunda* et viva; sic *labor* cum *sorte* vel *capite* demum sociabitur. Alii autem cives fruuntur rebus quin labori dent operam; unde sunt membra *infecunda*, nulla, imò nociva; ea igitur a *societate* amovere præstat.

3^o *Æconomicè*, distinguere juvat *socialismum* propriè dictum a *communismo*. Communismus, ut ipsum nomen indicat, est eorum opinio qui omnia bona volunt esse communia, ita ut *omnes* et *singuli* homines in omnia jus æquè habeant. Socialismus autem docet omnia bona possideri a *societate*, seu potius a *Statu* qui eam repræsentat, et ad quem pertinet inter varios cives *laborem* et *emolumenta* dividere. Utrum verò emolumentorum divisio fieri debeat pro cuiusque *necessitatibus* vel *meritis*, aut quomodo labor ipse inter varios operarios dividendus sit, et quod cuique opus assignare oporteat, suum scilicet *sorte* vel decreto *Statûs*, nondum declaraverunt *socialistæ*.

Ex dictis patet *communistas individualismo*, *socialistas* contra *collectivismo* aut *centralismo* indulgere. Nuper *communismum* tenuit Saint-Simon, ipsumque hodie tenent fautores *anarchiæ* qui volunt deleri omnem potestatem seu auctoritatem ut unusquisque sui sit unicus dominus; ita Krapoutkine et Reclus. Socialismus verò plurimos habet patronas, inter quos eminent Lassalle, Karl Marx, Bebel in Germaniâ, in Galliâ Guesde et Jaurès.

4^o De modo adhibendo ad consummandam *socialem commutationem* dissentiunt etiam *socialistæ*; alii quippe eam fieri optant sine morâ per vim; alii autem, quos *possibilistas* nominant, existimant satius esse ut pedetentim, per *populi suffragia* perficiatur primum *commutatio politica*, quâ peractâ, *socialistæ* imperio seu gubernio potiti, facilius *commutationem efficient æconomicam*.

Cæterum, id commune est omnibus ut *patriam* parùm

curent, et cupiant conjunctionem generalem inter omnes omnium gentium operarios.

147. Assertio: *Socialismus manifestâ falsitate laborat.*

1° *Falso innititur fundamento.* Nam falsa est oppositio quam fingit inter membra corporis socialis inutilia et utilia, inter *caput* vel *sortem* et *laborem*. Non enim soli opifices conferunt ad bonum commune, sed et qui artes vel scientias colunt, quarum inventa perutilia sunt ad civilem cultum ac progressum societatis. Ex alia parte, res pecuniaria sterilis haberi minimè potest; siquidem confert ad omnia opera quibus vacant opifices. Si ergo sors sine labore nil generare potest, ita labor sine sorte nequit exerceri. Hæc igitur duo sibi mutuo necessaria sunt, nedum inter se pugnent.

2° *Adversatur juri naturali.* Ut enim alia omittam argumenta, quæ plura possent afferri, unusquisque jus habet in propriam *personam*, in usum ingenii ac membrorum, et proinde in fructum sui *laboris*, qui non est nisi *extensio* personalitatis. Ergo jus habet ad comparanda, ex suo labore, et possidenda, quæcumque duxerit sibi vel familiæ suæ necessaria vel opportuna, v. g. vestimenta, cibos, domum.

Porro illud jus ad possidendum ipsum *solum* extenditur.

Probatur contra pauciores socialistas, inter quos Georges, qui admittunt jus proprietatis pro rebus *mobilibus*, *terram* autem volunt esse *communem* aut a Statu possideri. At verò terra ipsa, ut fecunda sit, postulat possessionem *individuum* et *exclusivam*; non enim quit esse fecunda nisi *plurimo* et *constanti* atque *ordinato* labore excolatur; talem autem ac tantum laborem homines naturâ pigri minimè efficient, nisi stimulis possessionis *individuae* et *stabilis* incitentur.

Porro in *initio* et etiam in temporum tractu, terra, nondum occupata, merito *propria* facta est ab eo qui primus eam *occupavit*, siquidem antea *nullius* erat, ac proinde ejus occupatio nullius jura violavit. — Deinde occupationi accessit *labor*, quo possessor eam fecit ex infecunda frugiferam; sicque suæ personalitatis signaculo obsignavit. Postea verò proprietarius potest hanc terram sicut rem aliquam mobilem aliis vendere, vel donare.

Itaque jus proprietatis, etiam *terræ*, si sumatur *abstractè* seu *in se*, est a *naturâ*; si autem sumatur *concretè*, quoad possessionem *talis* vel *talis* rei determinatæ, fundari etiam potest in aliquo titulo *naturali*.

Hinc SS. Leo XIII: « Ecclesia... jus proprietatis ac dominii, ab ipsâ naturâ profectum, intactum cuilibet et inviolatum esse jubet. » (Encycl. *Quod apostolici muneris*, die 28 dec. 1878 et *De conditione opificum*, 15 mai 1891).

3° *Pessima trahit consecraria, tum in re æconomica, tum in re morali.*

Enimverò, stante *communismo*, labor omnino desereretur et terra sterilis evaderet. Stante autem *socialismo*, agriculturæ et industriæ *monopolium* ad Statum transiret; unde minueretur earum fecunditas et simul impensæ valde auferentur summo societatis detrimento; experientiâ enim constat opera quæ a Statu efficiuntur, minùs esse perfecta simulque multo amplioribus venire impensis.

Interea verò, cum omnes cives omnia exspectarent a Statu, jam quam minimam possent operi darent operam, nullis stimulis ad progressum incitarentur, nec sibi aut suis in futurum providerent, imò curam omnem sensim abdicarent. Status autem ipse vel ad incredibilem *tyrannidem* mox declinaret, vel *anarchiâ* dissolveretur.

Merito igitur docet D. Thomas proprietatem non tantum esse consentaneam juri, verum etiam omnino *necessariam*. (2^a 2^æ, q. 66, a. 2, c).

148. Corollarium 1^{um}. Ex dictis sequitur jus proprietatis ab ipsâ rerum *naturâ* oriri, minimè verò a *pacto*, ab hominibus liberè inito, ut volunt Grotius et Puffendorff, vel a *civili* lege, ut docent Montesquieu et Bentham.

149. Corollarium 2^{um}. Ex proprietate *privatâ* quædam incommoda sequi possunt et revera sequuntur. At non ex proprietatis *naturâ*, sed ex illius *abuso* oriuntur; abusus autem, ut fert axioma, *non tollit usum*. Ex *communismo* verò non jam *per accidens*, sed ex *naturâ* rerum incommoda oriuntur innumera, et ea quidem prorsus intolerabilia (1).

(1) « Nimis apparet, præclare SS. Leo XIII, qualis esset omnium ordinum

Cæterum, proprietas non est sine *limitibus*; quippe quæ ad bonum *commune* conferre debet per tributa, et pauperibus prodest per eleemosynam, quæ sub gravi obligatoria esse potest.

III. De *juribus* quæ *proximi* personam *directè* afficiunt.

150. Tria jura *directè* habet homo quatenus est persona, cui proinde actus sui moraliter imputantur; nempe jus habet: 1° ut de ipso *benè* *judicemus* eumque dignum habeamus internâ *æstimatione*; cui juri *judicia* *temeraria* opponuntur; — 2° ut bonam hanc *æstimationem* manifestemus de ipso *benè* *loquendo*; hinc bona *fama* exurgit, quæ violatur per *culumniam* et *detractionem*; — 3° ut illum *honore* debito prosequamur, in testimonium illius virtutis; ideoque *injustitiâ* non vacat *contumelia*.

§ II. — De quibusdam immerito inter jura hominis recens computatis.

151. *Notio liberalismi*. Recens apud nos pronuntiata fuerunt tria, ut vocant, *jura hominis*, nimirum jus libertatis cogitationis, libertatis conscientiæ, et libertatis cultuum. Ea porro ab aliis habentur ut *absoluta*, scilicet ut *thesis*, ab aliis autem ut *convenientia* diebus nostris, nempe ut *hypo-*

commutatio perturbatioque, quam dura et odiosa *servitus* civium consecutura. Aditus ad invidiam mutuam, ad obtrectationes et discordias patefieret: ademptis ingenio singulorum sollertiæque stimulis, ipsi *divitiarum fontes* *necessario* *exarescerent*, eaque quam fingunt cogitatione, *æquabilitas*, aliud revera non esset nisi *omnium hominum* *requæ* *misera* atque *ignobilis*, nullo discrimine, *conditio*. — Ex quibus omnibus perspicitur illud *socialismi* placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis quibus est opitulandum nocet et *naturalibus* singulorum *juribus* repugnat, officia reipublicæ tranquillitatemque communem perturbat. » (*De conditione opificum.*) — De jure proprietatis cf. etiam, Aristotel., l. II; Lucien Brun, *Introd. à l'étude du droit*; Bastiat, *Harmonies économiques*; Thiers, *De la propriété*; P. Leroy-Beaulieu: *Le socialisme*.

thesis, hodie *generalis*. Hæc est opinio quæ generali *liberalismi* nomine vocari solet, præsertim quatenus *priorem* formam induit, sed quæ varios suscipit gradus, pro variis ejus fautoribus.

Porro libertas cogitationis, ut eam ipsi audiunt, *consistit in eo quod cuique insit jus cogitandi quæcumque velit, ita ut veri et erroris libertas et æqua vindicetur conditio*. Ex eâ deducunt libertatem *absolutam preli*.

Nomine libertatis conscientiæ, intelligunt *jus cuique attributum ad eam formandam vel eligendam sibi religionem quam ipse voluerit*. — Demum cultuum libertas in eo est *ut quisque jus habeat ad eam religionem exterius colendam quam ipse elegerit*.

152. *Assertio 1^a*: *Triplex prædicta libertas haberi nequit ut jus, seu ut thesis*.

I. *Libertas cogitationis* supra jam (n. 144) a nobis refutata est. Ex quo sequitur falsitas absolutæ libertatis *preli*. Si enim homo jus non habet ad cogitandum quæcumque velit, nec jus habet ad prædicandum quæcumque animo teneat. — Cæterum, nemo sobrius non videt quam absurdum sit vero et falso eandem facere conditionem, jusque ad errorem animo tenendum vel scribendum tueri.

Præterea *intellectum moresque pervertit absoluta libertas preli*. Enimvero ex eâ innumeri errores disseminantur qui multorum incautos animos decipiunt ac trahunt ad ruinam, ut notat SS. Gregorius XVI: « Huc spectat teterrima illa ac
« nunquam satis execranda libertas artis librariæ ad scripta
« quælibet edenda in vulgus, quam tanto convicio audent
« nonnulli efflagitare. Perhorrescimus intuentes quibus
« monstris doctrinarum, seu potius quibus errorum portentis
« obruamur quæ latè ubique disseminantur ingenti librorum
« multitudine, libellisque et scriptis, mole quidem exiguis,
« malitiâ tamen permagnis, e quibus *maledictionem* egressam
« illacrymamur super faciem terræ. — Sunt tamen, proh
« dolor! qui eò impudentiæ abripiuntur, ut asserant hanc
« errorum *colluviem* inde prorumpentem satis compensari
« ex libro *aliquo*, qui in hac tantâ pravitate tempestate,

« ad religionem ac veritatem propugnandam edatur. Nefas
 « profectò est *omnique* jure improbatum patrari datâ operâ
 « malum certum ac majus, quâ spes sit inde boni aliquid
 « habitum iri. Numquid *venena* liberè spargi ac publicè
 « vendi comportarique, imò et obibi debere sanus quis
 « dixerit, quòd *remedii* quidpiam habeatur, quo qui utun-
 « tur, eripi eos ex interitu *identidem* contingat? » (*Encycl.*
contra diarium l'Avenir).

Attamen *moderata* libertas preli pro jure *naturæ* habenda
 est, si modo stet in generalibus limitibus veritatis. Idemque
 dixeris de libertate *docendi*.

II. *Libertas conscientie* 1° falso nititur *fundamento*, nempe
 in absolutâ libertate cogitationis, jam a nobis refutatâ. —
 2° Falso supponit hominem, in eligendâ religione, a ratione
 suâ *duntaxat* pendere, quæ sit boni malique unicus judex.
 Sed eam solam quisque religionem inquirere et colere debet,
 quam constat a Deo probatam fuisse et revelatam. — 3° Huc
 spectat illa *Syllabi* damnata propositio: « *Liberum* cuique
 est eam amplecti ac *profiteri* religionem, quam rationis lu-
 « mine quis ductus *veram* putaverit. » (§ III, prop. 15).

III. *Libertas cultuum* 1° falso nititur *fundamento*, scili-
 cet in absolutâ libertate cogitationis et conscientie, jam re-
 futatâ. Si enim homini non licet quamlibet eligere religio-
 nem, licere nequit quamlibet externo cultu profiteri. — 2°
 Deo est injuriosa, quia supponit religiones diversas, imò
 contradictorias, ei indiscriminatim placere, quæ proinde
 simul veræ esse non possunt. — 3° Ducit ad *indifferentissimum*
 et *scepticissimum* religiosum; hinc damnata illa *Syllabi* propo-
 sitio: « *Falsum* est civilem cujusque cultûs libertatem, item
 « que plenam potestatem omnibus attributam quaslibet
 « cogitationes opinionesque publicè manifestandi conducere
 « ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac
 « *indifferentissimi* pestem propagandam. » (§ X, prop. 79).

153. *Corollarium*. In eâ juris ac libertatis quæstione tria
 perperam adversarii permiscunt, nimirum libertatem *physi-*
cam, *legalem*, et *moralem*. Aliis namque videtur ad omne
 illud jus extendi ad quod extenditur libertas *physica*; aliis

autem, ad illud omne quod nullâ *civili* lege prohibetur. E
 contrario, ad illud solum quis jus habet quod nullâ nec hu-
 manâ, nec ecclesiasticâ, divinâve aut naturali lege vetitum
 est. — Itaque vera et propriè dicta libertas est sola libertas
moralis, cui licet quidquid nullâ prohibetur lege, non licet
 autem quidquid legi naturali aut morali adversatur (1).

154. *Assertio* 2^a: *Triplex prædicta libertas aliquando per-*
mitti, tolerari, imò peti potest ut minus malum.

Enimvero, accidere potest, injuriâ temporum et homi-
 num, ut aliqua *gens* adeo sit mente divisa vel auctoritatis
 impatiens, ut etiam per *legem unitas* condi non possit sine
 multis rebellionibus aut duris vexationibus; v. g. ubi vigent
 in eâ plures cultus quibus adhærent multi sectatores, vel
 ubi gubernium ipsum falso cultui adhæret, vel ubi cives ad
 libertatem individuam eo zelo feruntur, ut interventum Sta-
 tûs pati non velint in rebus de quibus loquimur. In his, in-
 quam, miseris conditionibus, libertas individua occurrit ut
minus malum, et occasionem præbere potest alicui bono.

155. *Corollaria*. 1° At etiam tum Status strictè prohi-
 bere debet quæcumque justitiam lædunt, et varia scripta
 quæ ideam Dei vel bonos mores impugnant; quia his omni-
 bus ipse ordo societatis innititur.

2° Tametsi præseas ævum in liberalismum ruat, non pu-
 tamus eum etiam hodie pro *hypothesi generali* proponi posse
 vel optari.

ARTICULUS II

De officiis caritatis in proximum, seu de juribus
 illius minus strictis.

156. *Assertio*: *Debemus aliis hominibus amorem et varia*
officia quæ ex amore defluunt.

(1) Rectè Montesquieu: « La liberté ne peut consister qu'à pouvoir
 faire ce que l'on doit vouloir, et à n'être point contraint de faire ce que
 l'on ne doit pas vouloir. » (*Esprit des lois*, l. XI, c. 3).

PROB. 1^a PARS 1^o ratione, quia similitudo est causa dilectionis. Sed homini homo similis est naturâ, origine, auctore et fine ultimo. Hinc alios dicimus *proximos*, claro nomine quod olim satis inauditum christiana Ethica vulgare fecit. — 2^o *naturali instinctu*, quia « est omnibus hominibus naturale, ait D. Thomas, ut se invicem diligant; cujus signum est quòd quodam *naturali instinctu* homo cuilibet homini, etiam *ignoto*, subvenit in necessitate, puta revocando ab errore *vie*, erigendo a *casu*, et aliis hujusmodi, ac si omnis homo omni homini esset familiaris et amicus. » (*Cont. Gent.*, l. III. c. 117, n. 5).

PROB. 2^a PARS. Ex sincera in proximum dilectione defluunt *benevolentia et beneficentia*. Benevolentia exigit ut proximo *velimus bonum*, lætemur prosperis ejus rebus, tristemur adversis. Beneficentia autem postulat ut ei bona quædam *faciamus*; vel *moralia*, v. g. consilia, adhortationem; vel *materialia*, v. g. pecuniam, operam, pro illius indigentia. Hinc præclaræ illæ virtutes, misericordia, eleemosyna, et aliæ quibus non tantum aliis quòd *suum* est reddimus, verum etiam ex nostrâ vel abundantia, vel penuria in alios *nostra* diffundimus, ac Deum imitamur qui omnibus ex *liberalitate* fert open.

157. *Corollaria*. Ex *primâ* parte assertionis tria sequuntur: 1^o omnes homines, *peccatores* etiam et *inimici*, a nobis amari debent, non quidem quatenus peccatores aut inimici, sed quatenus *homines*, et ideo nobis cognati seu proximi. Nam amor hominis in hominem non in ejus *merito* propriè fundatur, sed in ejus *naturâ*, quæ semper in eo remanet, quæcumque sit ejus vita vel indoles.

2^o Caritas debet esse *ordinata*, et ideo non omnes homines *æquo* amore prosequi *jubemur*; sed quisque seipsum magis diligit, utpote sibi conjunctiorem, deinde cæteros, prout sibi arctiori vinculo copulantur.

3^o Cuique licet *quosdam* bonos dilectione *amicitiæ* prosequi. Amicitia enim lætos fructus afferre potest. Quippe amicus, si fuerit vir bonus, vices implere potest protectoris, consolatoris, monitoris et hortatoris ad virtutem. — Cæte-

rum sponte suâ nobiles fovet sensus amicitia, nisi quæretur ob delectationem (1).

Ex secundâ autem parte assertionis sequitur *regula* in eleemosynis faciendis observanda. Porrò hanc regulam *præcisè* præfinire non licet, quia non consistit, ut justitia, in absolutâ servandâ *æqualitate*. In eâ quippe tum avaritia, tum prodigalitas vitio est. *Prudentiâ* ordinetur, attentâ dantis, accipientis et aliorum conditione, ut sapienter admonet Tullius: « Videndum enim est primùm ne obsit benignitas, « et iis ipsis quibus benignè videbitur fieri, et cæteris; « deinde, ne major benignitas sit quàm facultates; tum, ut « pro dignitate cuique tribuatur. » (*De offic.*, l. I, n. 14).

SECTIO SECUNDA

De officiis hominis quatenus socialis.

158. *Notio societatis*. Societas universim sumpta, clarè definitur a Tullio: *cætus hominum ordinatus*.

Dicitur 1^o *cætus hominum*, scilicet multitudo quædam congregata; quæ voces indicant elementum *materiale* societatis.

Dicitur 2^o *cætus ordinatus*, nimirum directus ad *finem communem*, junctis viribus attingendum.

Porrò hæc ordinatio exoritur ab *auctoritate* quæ præest multitudini, et eam ad communem finem impellit.

Itaque auctoritas se habet ut elementum *formale* societatis, quia variis membris corporis socialis conciliat unitatem et directionem.

159. *Variæ species societatis*. Duplici ex parte *dividi* potest, scilicet ex *fine* ad quem tendit, et ex ratione suæ *autonomiæ* vel *independentiæ*. Si *prius*, distinguitur societas ex fine specificè diverso quem sibi proponit, et jam, stando in

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 2, a. 3, § 3.

PROB. 1^a PARS 1^o ratione, quia similitudo est causa dilectionis. Sed homini homo similis est naturâ, origine, auctore et fine ultimo. Hinc alios dicimus *proximos*, claro nomine quod olim satis inauditum christiana Ethica vulgare fecit. — 2^o *naturali instinctu*, quia « est omnibus hominibus naturale, ait D. Thomas, ut se invicem diligant; cujus signum est quòd quodam *naturali instinctu* homo cuilibet homini, etiam *ignoto*, subvenit in necessitate, puta revocando ab errore *vie*, erigendo a *casu*, et aliis hujusmodi, ac si omnis homo omni homini esset familiaris et amicus. » (*Cont. Gent.*, l. III. c. 117, n. 5).

PROB. 2^a PARS. Ex sincera in proximum dilectione defluunt *benevolentia et beneficentia*. Benevolentia exigit ut proximo *velimus bonum*, lætemur prosperis ejus rebus, tristemur adversis. Beneficentia autem postulat ut ei bona quædam *faciamus*; vel *moralia*, v. g. consilia, adhortationem; vel *materialia*, v. g. pecuniam, operam, pro illius indigentia. Hinc præclaræ illæ virtutes, misericordia, eleemosyna, et aliæ quibus non tantum aliis quòd *suum* est reddimus, verum etiam ex nostrâ vel abundantia, vel penuria in alios *nostra* diffundimus, ac Deum imitamur qui omnibus ex *liberalitate* fert open.

157. *Corollaria*. Ex *primâ* parte assertionis tria sequuntur: 1^o omnes homines, *peccatores* etiam et *inimici*, a nobis amari debent, non quidem quatenus peccatores aut inimici, sed quatenus *homines*, et ideo nobis cognati seu proximi. Nam amor hominis in hominem non in ejus *merito* propriè fundatur, sed in ejus *naturâ*, quæ semper in eo remanet, quæcumque sit ejus vita vel indoles.

2^o Caritas debet esse *ordinata*, et ideo non omnes homines *æquo* amore prosequi *jubemur*; sed quisque seipsum magis diligit, utpote sibi conjunctiorem, deinde cæteros, prout sibi arctiori vinculo copulantur.

3^o Cuique licet *quosdam* bonos dilectione *amicitiæ* prosequi. Amicitia enim lætos fructus afferre potest. Quippe amicus, si fuerit vir bonus, vices implere potest protectoris, consolatoris, monitoris et hortatoris ad virtutem. — Cæte-

rum sponte suâ nobiles fovet sensus amicitia, nisi quæretur ob delectationem (1).

Ex secundâ autem parte assertionis sequitur *regula* in eleemosynis faciendis observanda. Porrò hanc regulam *præcisè* præfinire non licet, quia non consistit, ut justitia, in absolutâ servandâ *æqualitate*. In eâ quippe tum avaritia, tum prodigalitas vitio est. *Prudentiâ* ordinetur, attentâ dantis, accipientis et aliorum conditione, ut sapienter admonet Tullius: « Videndum enim est primùm ne obsit benignitas, « et iis ipsis quibus benignè videbitur fieri, et cæteris; « deinde, ne major benignitas sit quàm facultates; tum, ut « pro dignitate cuique tribuatur. » (*De offic.*, l. I, n. 14).

SECTIO SECUNDA

De officiis hominis quatenus socialis.

158. *Notio societatis*. Societas universim sumpta, clarè definitur a Tullio: *cætus hominum ordinatus*.

Dicitur 1^o *cætus hominum*, scilicet multitudo quædam congregata; quæ voces indicant elementum *materiale* societatis.

Dicitur 2^o *cætus ordinatus*, nimirum directus ad *finem communem*, junctis viribus attingendum.

Porrò hæc ordinatio exoritur ab *auctoritate* quæ præest multitudini, et eam ad communem finem impellit.

Itaque auctoritas se habet ut elementum *formale* societatis, quia variis membris corporis socialis conciliat unitatem et directionem.

159. *Variæ species societatis*. Duplici ex parte *dividi* potest, scilicet ex *fine* ad quem tendit, et ex ratione suæ *autonomiæ* vel *independentiæ*. Si *prius*, distinguitur societas ex fine specificè diverso quem sibi proponit, et jam, stando in

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 2, a. 3, § 3.

ordine naturali, habemus societatem *domesticam* aut *familiam*, societatem *civilem* aut *gentem*, et societatem quæ viget inter varias gentes, quæque ideo vocari potest societas orbis vel omnium gentium.

Si *posterius*, societas dividitur in *perfectam* et *imperfectam*: prior dicitur quæ non est pars alterius, scilicet quæ non habet finem alterius in suo genere ordinatum, sed est in ordine suo *completa et independens*. Posterior vocatur quæ in ordine suo est *incompleta*, et ideo est pars alterius ad quam ordinatur, et ex qua suum complementum accipit; v. g. societas civilis perfecta, societas autem domestica imperfecta est.

Breviter dicemus de societate domesticâ de qua theologi copiosè disserunt, fusiùs autem de societate civili et statuemus quædam principia de societate gentium.

CAPUT I

DE SOCIETATE DOMESTICA

« Domestica multitudo, ait D. Thomas post Aristotelem, distinguitur secundum tres conjugationes: scilicet uxoris et viri, patris et filii, domini et servi. » (2^a 2^o, q. 58, a. 7, ad 3). De unaquaque breviter dicendum est, dimissis quæ ad Theologiam sacram pertinent.

ARTICULUS I

De societate conjugali.

160. Societas conjugalis *fontis* est familiæ. Tota matrimonio innititur.

Porrò matrimonium definiri potest: *conjunctio maritalis*

legitima viri et uxoris, individuum vitæ consuetudinem retinens.

161. Matrimonium nititur in jure *naturali*, quatenus necessarium est ad conservationem et propagationem generis humani, et hominum inclinationibus *generatim* respondet, quatenus feruntur ad persequendum in aliis vitam suam generatione filiorum qui eos repræsentent.

Attamen minimè obligatorium est *singulis* hominibus; quinimo status virginitatis, propter Deum susceptus, eo longè excellentior est.

162. A Deo ipso, ut refert *Genesis* (1, 11) *institutum* est matrimonium qui suas ei leges dedit; ipsum verò Christus singulari dignitate auxit, faciendo *sacramentum*, et quidem, ut ait D. Paulus, *magnum sacramentum in Christo et in Ecclesia.* » (Eph. v, 32).

163. *Primarius matrimonii finis* est procreatio et educatio filiorum, ad conservandam et augendam societatem hominum. Porrò finis ille, præter expressam Christi voluntatem, expostulat ut matrimonium *unitate et indissolubilitate* gaudeat, et ideo *polygamiam* et *divortium* reprobatur. Nec vir et uxor, nec societas ipsa possunt moliri *validè* quidquam quod huic finis et istis legibus adversetur.

Præterea experientiâ testatur eo felicior esse domum et florentiorem civitatem, quò meliùs naturali ac divinæ legi matrimonium conformatur.

164. In societate conjugali, *auctoritas* penes est virum, qui eam *amore* temperare debet, habendo uxorem, ut *carnem suam, atque adiutorium simile sibi.* » (Gen. 11).

ARTICULUS II

De societate paternâ.

165. *Prænotanda.* « Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ. » (Ps. cxxvii, 3). Nimirum filiorum copia parentum gloria est et civitatis firmamentum. Unde ipse Deus primis parentibus hominum eam cum suâ benedictione po-

suit legem : « *Crescite et multiplicamini et replete terram.* » (Gen. 1, 28).

166. Cùm filii a parentibus vitam hauriant, naturali cum iis societate devinciantur et ab illis prorsus pendeant necesse est. Debent igitur primò illos ut auctores suos, maxime *revereri*, deinde *diligere*; post hæc, illis *parere*, ac si forte indigentia laborent, pro modulo suo *subvenire*.

Quæ officia tam *sancta* sunt ut pertineant ad *pietatem*, quæ parentes exhibeat filiis tanquam *imagine* et *auctoritate* ipsâ Dei decoratos. (2^a 2^m, q. 101, a. 1 et 2).

167. Ex aliâ parte, ut jura, sic *officia naturæ* parentes habent erga filios. Porrò debent eos *alere*, juxta suam conditionem *educare*, præsertim in re morali ac religiosa, et demum, quantum in ipsis est, *collocare*, seu eos certo *in statu* vel *gradu* statuere. Quod autem ad bona temporalia attinet, non strictè tenentur parentes ad filios *heredes* instituendos, posito quod habeant unde sibi per seipsos providere possint; ipsa tamen *natura inclinare* videtur parentes ad majorem hæreditatis suæ partem filiis dandam, nisi forte unus ex istis tam male se gerat ut æquum sit eum ab hæreditate excludi.

Porrò cùm præcipuum parentum munus sit *educatio* filiorum, eamque nonnulli recentes ad Statum perperam transferant, sit sequens

168. **Assertio** : *Familie certa insunt jura independentè a Statu, et imprimis educatio liberorum.*

PROB. 1^a PARS, quia familia prior est quàm Status, et habet propriam personalitatem, ac proprium finem attingendum, et ideo suâ quoque autonomia fruitur, ac suas res per seipsam agere potest.

PROB. 2^a PARS, quia parentes sunt liberorum suorum, post Deum, auctores, et ideo jus et officium *primigenium* habent a naturâ eos docendi et educandi. Quod munus si commodè ipsi implere non valeant, eorum est liberos suos illis præceptoribus credere regendos, quos ipsi liberè elegerint.

169. *Corollarium*. Jus idem attribuendum est Ecclesiæ catholicæ, quippe quæ et homines ad vitam supernaturalem

generat; et, quatenus spiritualis ac religiosa societas, animarum directè curam gerit, cura autem hæc doctrinâ præsertim perficitur.

ARTICULUS III

De societate herili.

170. *Ejus notio*. Ea est quæ viget inter herum et famulos vel operarios. Ipsa quoque in naturâ fundatur quoniam famuli et operarii familiam *complent*, quoad opera ipsi necessaria, sicque illius vitæ quodammodo participes evadunt et illius extensionem promovent.

Porrò summa vinculorum quibus inter se devinciuntur heri et famuli vel operarii in eo est ut priores posteriorum, eam quam possunt *curam* paternè gerant, posteriores autem prioribus debitam servent *fidelitatem*. Brevitatis causâ non agemus nisi de salario ab heris debito, pro labore operariorum, cùm ea quæstio gravioris sit momenti et difficultatibus innodata (1).

171. **Assertio 1^a** : *Salarium operario datum essentialiter æstimari debet ex labore seu munere præstito, et regulariter sufficere debet ad honestam operarii sustentationem.*

PROB. 1^a PARS, quia inter herum et operarium viget contractus *oneratus*, vi ejus operarius certum laborem heri præbet, ea lege ut herus det ei salarium labori proportionatum. Sicut ergo in venditione et emptione, pretium debet esse rei traditæ valori æquale, juxta communem æstimationem, ita vigere debet æqualitas moralis inter opus præstitum et ejus recompensationem, ut ait D. Thomas : « Illud enim in opere nostro dicitur esse justum, quod respondet secundum aliquam æqualitatem alteri, puta recompensatio mercedis pro *servitio* impenso. (2^a 2^m, q. 57, a. 1, c et ad 1; et 1^a 2^m, q. 114, a. 1).

PROB. 2^a PARS, quia oportet ut omnis res suum finem re-

(1) Cf. Litt. encyc. Leonis XIII *Rerum Novarum*.

gulariter attingere possit. Porrò primarius laboris finis est honesta operarii sustentatio; unde et primo homini a Deo dictum est: « *In sudore vultus tui vesceris pane* » (Gen., III, 19).

Dicitur 1º regulariter; quia supponitur 1, ex parte operarii, eum esse penitiæ communis, et, ut dicit Leo XIII, « bene moratum et frugem »; alioquin ejus expensæ valorem ejus laboris ac proinde salarii debiti excederent; supponitur 2, ex parte domini, ab eo nullum damnum pati, imo aliquod beneficium accipi; posita adæquata solutione salarii. Si enim ob circumstantias nihil omnino lucrari, et a fortiori si quid detrimenti subire deberet, moneret operarium se non posse illi adæquatum salarium persolvere, ac videret operarius an laborem præstare velit hac inferiori conditione.

Dicitur 2º ad honestam operarii sustentationem, quæ nimirum comprehendit alimenta, vestimenta et tectum, et hæc proportionata conditioni operarii, habitâ ratione circumstantiarum loci, temporis ac laboris. Quæ omnia mathematicè nequeunt determinari, sed solum moraliter, juxta communem æstimationem, pro variis diversorum locorum ac laborum exigentiis.

172. Assertio 2ª: *Consentaneum est æquitati ut in societate benè instituta, familia quæ in ordinariis conditionibus se habet, regulariter vivere possit ex fructibus sui laboris.*

Probatur quia, sicut operarius, ex dictis, regulariter vivere debet ex fructibus sui laboris, ita et familia.

Confirmatur, quia familia est societas naturalis, quinimo, fundamentum civitatis. Oportet igitur ut vivere possit, ac proinde ut regulariter in se inveniat media ad suam existentiam et conservationem necessaria. Porrò plerisque familiis, ut operariis ipsis, unum est medium quo se sustentare queant, scilicet salarium seu fructus sui laboris.

Dixi 1º in societate benè instituta, quia si male instituta sit, v. g. si ingentibus tributis prematur, vel si patroni et operarii minime aut negligenter protegantur contra rivalitatem aliarum gentium, aut quid aliud ex hoc genere per gubernium

accidat vel permittatur, fieri potest ut etiam sine ullâ culpâ patronorum, familia non valeat se sustentare ex fructibus sui laboris.

Dixi 2º familia quæ in ordinariis conditionibus se habet; nempe quæ communi peritiâ prædita est, frugem agit vitam, natos habet tres aut quatuor; quia si normâ communi plus vel minus aberraret, non haberet ex fructibus sui laboris quicquid ipsi necessarium est ad vivendum, atque opus foret auxilio caritatis.

Quod attinet ad familias operariorum quæ multis natis gaudent, valde optandum ut ipsis faveant patroni per media quæ pro circumstantiis opportuniora judicaverint.

Dixi 3º ex fructibus sui laboris, ita ut salarium patris præcipuas habeat partes in alendâ familiâ, et aliquod tamen, licet secundarium, adjutorium accipere possit ex labore aliorum membrorum familiæ. Æquitati enim satis fieri videtur, si familia, junctis omnibus viribus suis, habeat unde honestæ suæ sustentationi provideat tum in præsentem, tum, quoad fieri poterit, collecto mediocri peculio pro necessitatibus quæ probabiliter accidere possunt.

173. Corollarium. Licet accepto semel justo sui laboris pretio, operarii nullum jus habeant ad exigendam aliquam beneficiorum partem a patronis, decenter illi facient si quid ipsis sponte suâ tribuant, posito quod res industriæ vel commercii floreat. Ut verò id præstare queant patroni, oportet ut operarii cum illis diù maneant, et laborem solerter vel ingeniosè exercent, sicque crescant paulatim res patroni, cui deinde cordi esse debet ut operariorum conditio melior evadat. ®

CAPUT II

DE SOCIETATE CIVILI

Dicendum est 1^o de illius naturâ; 2^o de illius origine; 3^o de illius fine; 4^o de iuribus et limitibus Statûs ejusque relatione ad cives; 5^o de illius nexu cum religione; 6^o de illius auctoritate suprêmâ, et 7^o de subjecto illius auctoritatis.

ARTICULUS I

De naturâ societatis civilis.

174. Ex dictis (n. 166) societas in genere est *cætus hominum ordinatus*.

Porro societas civilis seu politica est *cætus familiarum, sub auctoritate quadam suprêmâ, bonum temporale prosequentium*.

Sigillatim infra disputabimus de fine auctoritatis civilis necnon de suprêmâ ejus auctoritate. Restat jam ut probeamus: 1^o familiam esse, ut physiologi dicunt, *cellulam primitivam* societatis civilis; 2^o vigere inter varia societatis civilis membra certam *soliditatem* (solidaritè).

175. Constat 1^{um}, quia homines *individui* nascuntur in familiâ et *ex* familiâ, et ideo sunt ipsi pars familiæ. Ex aliâ parte, infra ostendemus societatem politicam procreari ex *spontaneâ* familiæ evolutione.

Hinc illud magni momenti *corollarium* inferri potest, scilicet Statum debere, in suis legibus, primariò ad familiam et ejus stabilitatem fovendam attendere, et *secundariò* tantum ad cives individûe sumptos, cum sola familia sit *radix* aut *fons* societatis.

176. Constat 2^{um}, quia societas civilis haberi potest ut *corpus quoddam morale organicum*. Ut enim in humano corpore varia sunt *organa*, quæ omnia ad finem unum communem conspirant, simul *ac singula se invicem juvant*, ita oportet ut omnes cives ad finem corporis socialis conspirent, et dum *singuli suum proprium* bonum prosequuntur, se tamen, prout fert ejusque necessitas, *invicem mutuò juvent*. Neque id tantum lex *caritatis* postulat, sed et communis *dependentiæ* atque *utilitatis*.

Hæc est illa quam *multi rationalistæ* recentes celebrant, *lex soliditatis*, cujus se inventores putant. Porro D. Paulus miris modis eam inculcaverat: « *Multa quidem membra, unum autem corpus.* » — « *Idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive gloriatur unum membrum congaudent omnia membra.* » (Rom. XII, et I^a Cor. XII).

177. Hinc sequitur societatem politicam tanto esse perfectiorem judicandam, quanto magis coherens et inter se *consentiunt* varia illius membra, seu varii quibus constat *ordines*. Ac quemadmodum in humano corpore, licet maximè *inæqualia* sint diversa organa, ut oculi, aures, manus ac pedes, mirè tamen aliâ *aliis* laborant, ita præstat ut varii civitatis ordines, quantumvis naturâ *disparès*, alii aliis harmonice laborent, et qui nobilitate, ingenio, scientiâ, virtute antecellunt, *minores ædificent* et, quantum opus est, *dirigant*. Inferiores autem *vereantur* eos qui supra se sunt ordines, ut floreat in civitate hierarchia in quâ stat bonum reipublicæ.

ARTICULUS II

De origine societatis civilis.

178. Origo societatis civilis dupliciter investigari potest, *philosophicè et historicè*; philosophicè, si quærat utrum sit homini naturalis, an merè adventitia; historicè autem, si quærat quodnam, ad *factum* quod attinet, fuerit initium societatum, et quâ occasione, quibus circumstantiis, *diversæ* politicæ societates originem duxerint.

§ I. De origine societatis civilis philosophicè inspectâ.

179. *Errores.* Epicurus, Hobbes et Rousseau voluerunt societatem non esse homini naturalem, sed phænomenon historicum prorsus *adventitium*, ortum ex hominum *benefacito et pacto*.

Fingit Hobbes (*De Cive*, c. 1) primam conditionem hominum fuisse *bellum omnium in omnes*; primò enim alii ab aliis sejuncti vitam agebant, solius voluptatis propriæ habitâ curâ, et quæcumque sors aut vis dabat, obtinentes. Hinc lites et bella, cum alter astutiâ, viribus alter præcelleret; at propriæ utilitati consulentes, convenerunt, atque, conditâ pacto societate, statuerunt supra se *absolutissimam* potestatem, quæ ut omnium *egoismum* continere queat, debet habere omnia jura, et omnia pro libitu disponere.

Juxta Rousseau, primus hominum status fuit *vita sylvestris*; in quâ belluis satis similes erant, imò imbeciliores, sed *æquales liberique*; hæc naturalis hominis conditio. At postquam homines in societatem convenerunt, *naturæ* dona amisere et sensim corrupti ac miseri facti sunt; odium igitur devoyendum est societati.

180. *Assertio*: *Societas civilis est naturalis homini, et ab hominum arbitrio vel contractu minimè pendet.*

Illud enim naturale est homini quo naturaliter indiget et ad quod naturalem habet inclinationem. Sed homo naturaliter indiget societate civili, et ad eam naturalem habet inclinationem.

Prob. 1^{um}, quia sine societate civili satisfacere nequit necessitatibus suis corporeis, intellectualibus ac moralibus.

1^o *Corporeis.* « Aliis animalibus, ait D. Thomas, natura
« præparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut
« dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem ad fugam.
« Homo autem institutus est nullo horum sibi a naturâ præ-
« parato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam sibi
« hæc omnia officio *manuum* posset præparare, ad quæ
« omnia præparanda unus homo non sufficit.

« *Amplius*, aliis animalibus insita est *naturalis* industria ad
« omnia ea quæ sunt eis utilia, vel nociva; sicut ovis natu-
« raliter existimat lupum inimicum. — Quædam etiam ani-
« malia ex naturali industriâ cognoscunt aliquas herbas
« *medicinales*, et alia eorum vitæ necessaria. Homo autem
« horum quæ sunt suæ vitæ necessaria, naturalem cognitio-
« nem habet solùm in *communi*, quasi eo per *rationem* va-
« lente, ex universalibus principiis ad cognitionem singulo-
« rum quæ necessaria sunt humanæ vitæ pervenire. — Non
« est autem possibile quòd unus homo ad omnia hujusmodi
« per suam rationem pertingat. Est igitur necessarium ho-
« mini quòd in multitudine vivat, ut unus ab alio adjuvetur,
« et diversi diversis instituendis per rationem occupentur,
« puta unus in medicinâ, alius in hoc, alius in alio. » (*De*
regim. princip., l. I, c. 1 et 1^a, q. 76, a. 5, ad 4).

Argumentatione illâ clarè probatur homini, *ut vivat*, *absolutè* necessariam esse *domesticam* societatem, *civilem* verò, *ut bene* vivat, habeatque sufficientiam perfectam. Nam in civitate multa invenire est artificia, ad perfectam corporalis vitæ sufficientiam necessaria, quibus una domus impar foret.

2^o *Necessitatibus intellectualibus.* Scientiæ et artes necessariæ sunt ad vitam hominis intellectualem fovendam. Atqui nec unus homo, nec domestica societas idonea est iis aut invenientibus, aut, ut par est, excolendis. E contrâ, in civili societate, alter ab altero adjuvatur ad veritatis inventionem et considerationem. Enimvero diversi diversis scientiis artibusque, *diviso* labore, occupantur; et ideo paucioribus intentus quisque majora et altiora excogitat quæ mox in aliorum notitiam veniunt, provocant æmulationem, fiunt *juris publici*, et nihil humani cuiquam alienum est.

Confirmatur locutionis usu qui homini proprius est.
« *Natura nihil facit frustra*, quia *semper* operatur ad finem
« determinatum. Unde si natura attribuit alicui aliquid
« quod est *de se ordinatum* ad aliquem finem, sequitur quòd
« ille finis detur illi rei a naturâ. Videmus autem quòd, cum
« quædam animalia habeant vocem, solus homo super alia

« animalia habet locutionem... per quam aliis conceptum
 « suum totaliter exprimere potest. Cùm ergo homini datus
 « sit sermo a naturâ, et sermo ordinetur ad hoc quòd homi-
 « nes sibi invicem communicent *in utili et nocivo, justo*
 « *et injusto*, et aliis hujusmodi, sequitur quòd naturaliter
 « homines in his sibi communicent. — Sed communicatio
 « in istis facit domum et civitatem. Igitur homo est natura-
 « liter animal domesticum et civile. » (In. I Polit., lect. 1^a).

3^o *Necessitatibus moralibus.* Virtus enim legibus bonis
 fovetur, mali a vitio arcentur, et viri boni per mutua exempla
 sumunt animum atque adhortationem. — Accedit quòd plu-
 rimæ et eximie quidem virtutes efflorescunt, ut misericor-
 dia, caritas, eleemosyna, patientia, sui devotio, quibus, su-
 blatâ civitate, vix locus suppeteret.

Quot et quanta bona ex societate in *unumquemque* redun-
 dent in ordine physico, intellectuali et morali, clarè descri-
 bit F. Bastiat; cujus argumentatio ad hæc revocari potest :
Nulla comparatio est inter beneficia quæ quisque homo ex so-
cietate accipit, et ea quæ in eam confert, adeo posteriora
prioribus superantur. — Si homo versetur extra civitatem,
facultates ejus impares sunt implendis necessitatibus. Si au-
tem in societate degat vitam, ejus necessitates longè superan-
tur facultatibus (1).

(1) « Prenons un homme appartenant à une classe modeste de la société,
 « un menuisier de village, par exemple, et observons tous les services
 « qu'il rend à la société, et tous ceux qu'il en reçoit; nous ne tarderons
 « pas à être frappés de l'énorme disproportion apparente.

« Cet homme passe sa journée à raboter des planches, à fabriquer des
 « tables et des armoires; il se plaint de sa condition, et cependant que
 « reçoit-il en réalité de cette société, en échange de son travail?

« D'abord, tous les jours en se levant, il s'habille et il n'a personnel-
 « lement fait aucune des nombreuses pièces de son vêtement. Or, pour
 « que ces vêtements, tout simples qu'ils sont, soient à sa disposition, il
 « faut qu'une énorme quantité de travail, d'industrie, de transport,
 « d'inventions ingénieuses ait été accomplie. Il faut que des Américains
 « aient produit du coton, des Indiens de l'indigo, des Français de la laine
 « et du lin, des Brésiliens du cuir; que tous ces matériaux aient été trans-
 « portés en des villes diverses, qu'ils y aient été ouverts, filés, tissés,
 « teints. — Ensuite il déjeune. Pour que le pain qu'il mange lui arrive
 « tous les matins, il faut que des terres aient été défrichées, closes, la-

Prob. 2^{um}, nempe hominem ad societatem suâ naturâ in-
clinari.

Hommes quippe societatem amant, gestiunt aliis subve-
 nire, cum illis conversari, scientiam suam quàm plurimis
 notam facere, diffundere animi gaudium et angustias in alio-
 rum cordibus exonerare. Hinc ubicumque homines inventi
 sunt, semper in aliquem cœtum coacti sunt inventi.

« hourées, fumées, ensemencées; il faut que les récoltes aient été présen-
 « vées avec soin du pillage; il faut qu'une certaine sécurité ait régné au
 « milieu d'une innombrable multitude. Il faut que le froment ait été ré-
 « colté, broyé, pétri et préparé; il faut que le fer, l'acier, le bois, la pierre
 « aient été convertis par le travail en instruments de travail; que cer-
 « tains hommes se soient emparés de la force des animaux, d'autres du
 « poids d'une chute d'eau...; toutes choses dont chacune, prise isolément,
 « suppose une masse incalculable de travail mise en jeu, non seulement
 « dans l'espace, mais dans le temps.

« Cet homme ne passera pas sa journée sans employer un peu de sucre,
 « un peu d'huile, sans se servir de quelques ustensiles. Il enverra son
 « fils à l'école, pour y recevoir une instruction qui, quoique bornée,
 « n'en suppose pas moins des recherches, des études antérieures, des
 « connaissances dont l'imagination est effrayée.

« Il sort: il trouve une rue pavée et éclairée. — On lui conteste une
 « propriété, il trouvera des avocats pour défendre ses droits, des juges
 « pour l'y maintenir, des officiers de justice pour faire exécuter la sen-
 « tence; toutes choses qui supposent encore des connaissances acquises,
 « par conséquent des lumières et des moyens d'existence.

« Il va à l'église: elle est un monument prodigieux, et le livre qu'il
 « y porte est un monument peut-être plus prodigieux encore de l'intelli-
 « gence humaine. On lui enseigne la morale, on éclaire son esprit, on
 « élève son âme, et pour que tout cela se fasse, il faut qu'un autre
 « homme ait pu fréquenter les bibliothèques, les séminaires, puiser à
 « toutes les sources de la tradition humaine, qu'il ait pu vivre sans s'oc-
 « cuper directement des besoins de son corps.

« Si notre artisan entreprend un voyage, il trouve que pour lui épar-
 « gner du temps et diminuer sa peine, d'autres hommes ont aplani, ni-
 « velé le sol, comblé des vallées, abaissé des montagnes, joint les rives
 « des fleuves, amoindri tous les frottements, placé des véhicules à roues
 « sur des blocs de grès ou des bandes de fer, dompté les chevaux ou la
 « vapeur.

« Il est impossible de ne pas être frappé de la disproportion véritable-
 « ment incommensurable qui existe entre les satisfactions que cet homme
 « puise dans la société, et celles qu'il pourrait se donner s'il était réduit
 « à ses propres forces. J'ose dire que dans une seule journée, il use de
 « choses qu'il ne pourrait produire lui-même dans dix siècles. » (*Har-*
 « *monies économiques, Organism. natur., c. 1.*)

181. *Corollarium.* Ex his sequitur statum socialem humanitatis *legem esse*. Propterea, commenta quæ finxerunt Hobbes et Rousseau circa civitatis originem, inter inania calentis phantasie somnia amandanda sunt. Repugnant enim cum naturæ hominis, tum historiæ veritati, falsissima trahunt consecutaria circa hominem privatum et societatem, ac pervertunt juris et officii vulgatissimas notiones.

§ II. De origine societatis historicâ.

182. Quæritur in præsentiarum quo modo status socialis, qui homini naturalis est, ortum duxerit, et utrum *primigenium ac naturale quoddam factum* agnoscendum sit pro spontaneâ politicæ societatis origine.

183. *Assertio*: *Origo naturalis ac primaria societatis politicæ est propagatio plurium familiarum ex eodem stipite.*

Probatur quia homo accipit ortum in domesticâ societate, quæ prius angusta domi, paulatim in dies augetur; et quoniam necessitatibus suis sublevandis brevi par non est, ad sui tendit *evolutionem*; sicque non ita multo post in societatem magis explicatam atque perfectam naturâ ipsâ transmutatur.

Initia hæc et incrementa societatis perbellè describit Tullius: « Prima societas in ipso conjugio est; proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Inde autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones; post consobrinorum sobrinorumque: qui quum unâ domo jam capi non possint, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur conubia et affinitates; ex quibus etiam plures propinqui; quæ propagatio et soboles, origo est rerum publicarum. » (*De offic.*, l. I, c. 17).

Divi origo naturalis societatis; quia diversæ consociationes politicæ nativitatem diversam habere potuerunt, pro temporum ac circumstantiarum ratione. Nam quidam homines alicujus imperio subjecerunt se ducti in eum benevolentiam, vel acceptis beneficiis, vel moti ejus præcellentiam. Alii ab

aliquo fortiore devicti, in ejus ditionem coacti sunt. — Quædam familiæ, amore peregrinationis, aliquam formaverunt coloniam, et alicujus ex suis principatum liberè acceperunt.

ARTICULUS III

De societatis civilis fine.

184. *Opiniones.* Philosophi omnes societatis finem in bono *communi* reponunt, sed dissentiunt in illo definiendo. — Alii enim bonum commune putant esse internam externamque civium defensionem; alii communis organisationem laboris; alii humanæ naturæ progressum; alii, ut Kantius, libertatum individuarum *harmoniam*, quæ consistit in *principio coexistentiæ*, vi cujus ita cujusque libertas restringenda est, ut libertas aliorum simul constare possit.

At opiniones istæ sunt mancæ atque incompletæ. Videntur enim aut in *physico bono contineri*, aut justitiæ solius habere curam, aut ambiguitate laborare.

185. *Assertio*: *Finis societatis est tueri ac fovere bonum civium physicum, intellectualem et morale.*

Enimvero societas est propter cives; siquidem homines eam appetunt ut varias suas necessitates explere valeant, quibus sublevandis par non est domestica societas. Sed, ex probatis (n. 189), nata est societas civilis sublevandis necessitatibus hominum corporeis, intellectualibus et moralibus. Ergo curare debet civium bonum physicum, intellectualem et morale.

186. *Hinc sponte occurrit criterium, cujus ope æstimare licet terminum progressus socialis*; illud porrò clarè definit Balmès: « *Maxima intelligentia possibilis maximo (civium) numero possibili; maxima moralitas possibilis maximo numero possibili; maxima commoditas possibilis maximo numero possibili.* » (*Ethic.*, c. 21, p. 78).

Et quidem eò perfectior est civitas quò melius se habet ipsa *multitudo*, in quâ stat major pars gentis, et abhorren-

dum est a paganico illo effato: *Humanum paucis vivit genus*. At ex aliâ parte, cùm inter varia hominis bona emineat bonum morale, utpote humanius cæteris ac divinius, ex eo *primariò* æstimandus erit cultus gentis, et *secundariò* tantùm ex divitiarum aut scientiarum copiâ. — Et reverâ experientia testis est bonum physicum et etiam intellectuale, si quærat^r neglecto morali bono, non tantùm ad civitatis magnitudinem non facere, sed causam esse *inclinationis ejus rerum*.

187. *De finè directo et de finè secundario vel mediato societatis vel Status.*

Primariò Status curat de foro externo (homines enim per externa inter se communicant) et providet *defensionì civium* contra injurias quas a concivibus pati possent, et *defensionì patriæ* contra injurias ab aliis gentibus forte illatas. Itaque præcipuus finis Status est ut sit *custos justì*.

At postquam protexit *ipsum esse civium* et patriæ per omnium jurium tutelam, ejus est attendere ad *melius esse*, scilicet *promovere*, pro suis viribus, *progressum generalem civium*, siquidem ad hoc, saltem partim, homines in societatem convenerunt. Quod ut assequatur, fovebit *progressum rei materialis* per opportunam *agriculturæ, industriæ et commercii* protectionem, et *progressum rei intellectualis ac moralis* per protectionem *scientiarum, artium et institutorum* quæ bonos mores et religionem docent.

188. Quinimo, par est ut, monente D. Thomâ, cives etiam juvet, saltem *mediatè*, ad *assecutionem eorum finis ultimi*. Nam « in omnibus finibus ordinatis, oportet quòd ultimus finis sit finis omnium præcedentium finium. » (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 17, n. 4). At « cuicumque incumbit aliquid « perficere quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini; sicut faber « sic facit gladium, ut pugnæ conveniat, et ædificator sic « debet disponere domum, ut ad habitandum sit apta. Quia « igitur vitæ, quâ in præsentì benè vivimus, finis est beatitudo cœlestis, ad regis officium pertinet eâ ratione vitam « multitudinis bonam procurare, secundùm quòd congruit

« ad cœlestem beatitudinem consequendam. » (*De Regim. Princ.*, l. I, c. xv).

189. Nec *objectioni* est quòd opponunt quidam *æconomix politicæ* professores, aut libertatis amatores effrenati, scilicet Status, si quid præter justitiam protegendam curet, evagari extra proprios limites et in privatam attentare libertatem.

Nam 1^o veneratione quidem digna est individua libertas, et homines, quantum possunt, propriæ industriæ ac zelo permitti debent. — Attamen libertas concipienda non est ut aliquid *absolutum*, et *finis* ad quem cætera omnia referri debeant; non enim est finis sed *medium*, aut *instrumentum* duntaxat boni procurandi, si modò ultra debitos limites non evagetur.

2^o Ea est natura hominis, ut *incitari* ad bonum debeat et *stimulis adjuvari*. — Cæterum aliter se gerit Status ubi tuetur jura, aliter ubi fovet bonum: in 1^o enim casu, *vi et re-pressionè* utitur, in 2^o verò, *pollicitationibus præmiisque*; quare non substituit actionem suam civium actioni, sed contra eorum actionem juvat et facit ut faciant.

ARTICULUS IV

De juribus ac limitibus Status ejusque relatione ad cives.

190. Assertio 1^a: *Ea omnia et sola jura Status habet quæ necessitas boni communis procurandi postulat.*

PROB. 1^a PARS, quia qui debet dirigere ad aliquem finem, habere debet media ad hunc finem obtinendum necessaria. Porro, ex dictis, Status debet dirigere cives ad bonum commune; ergo ab eis exigere merito potest omnia quæ ad illud consequendum necessaria sunt; v. g. tributa proportionata, famulitium militare, et generatim obedientiam variis legibus quibus regitur societas.

PROB. 2^a PARS, quia cùm Status nullum alium finem habeat

ac bonum commune procurandum, nulla potest habere jura extra illum posita, vel ad eum non ordinata. Si quid ergo aggrediatur ultra, ex finibus suis exit, imo sociali bono affert detrimentum.

191. Corollarium 1^{um}. *Status propriè curam habet solius boni communis, seu gentis.* Unde 1^o non respicit ad commoda privata civium, nisi quod specialem habere debet curam ac protectionem eorum qui sese minimè aut parùm tueri possunt, quales sunt operarii, pauperes, mulieres, senes, pueri. 2^o Nec respicit ad talem potius quàm talem civium *categoria*, nisi categoria illa magis quàm aliæ ad bonum commune conferat, quales sunt, v. g. sacerdotes, milites, magistratus, agricolæ. Ratio est quia eùm variorum ordinum civium variæ sint utilitates, difficile est ut Status uni ordini speciatim faveat quin aliquo modo noceat aliis, qui postea et interventum ejus invocabunt. Quare præstat ut sese in quadam *generalitate* contineat, et « *ad multa respiciat et secundùm personas et secundùm negotia, et secundùm tempora.* Constituitur enim communitas ex multis personis, et ejus bonum per multiplices actiones procuratur; nec ad hoc instituitur (lex) quòd aliquo tempore modico duret, sed quòd omni tempore perseveret per civium successionem. » (1^a 2^a, q. 96, a. 1. c.)

192. Corollarium 2^{um}. In civitate *commoda et onera* inter cives dividi debent « *secundùm æqualitatem proportionis* in ordine ad bonum commune. » (Ibid. a. 4, c). Hinc oportet ut omnes cives ad munera publica accedere possint pro suis meritis, nempe pro suâ scientia vel prudentiâ. Ex alia parte tributa imponi debent non habita ratione *personarum*, sed *facultatum*, ita ut quisque ad bonum commune conferat, sed pro suis viribus; v. g. si tributum decimam partem totius fortunæ attingat, civis quisque solvet decimam partem suæ fortunæ; hæc est proportio quam *geometricam* vocant, ut distinguatur a proportione *arithmetica*, qualis esset tributum vulgo *progressivum* (impôt progressif), quod quidam recentes admittunt, sed probatum non fuit gravioribus philosophis ac theologis, inter quos Aristoteles (*Eth. Nicom.* l. V,

c. 3; S. Thomas, 2^a 2^a, q. 61, a. 2, c; de Lugo, *Disp.* 36, sect. 2; Suarez, *de Legib.* l. V, c. 16.)

193. At regula *generalis* tributorum est ut nulla imponantur nisi positivè necessaria ad bonum commune, ne paulatim ita onerentur cives ut potius pro Statu quam pro se laborent, et plurimis jam difficilis admodum vita evadat.

194. Corollarium 3^{um}. Eas tantùm Status sibi functiones vel industrias reservet quæ *naturâ suâ* ad bonum commune pertinent, quales sunt quæ pertinent ad rem militarem, diplomaticam, vel legalem, vel spectant ad administrationem et justitiam. Quidquid autem decenter facere possunt vel singuli cives, vel certæ consociationes, vel municipia et provinciæ, hoc illis dimittendum est; id enim, ut experientiâ constat, et melius facere solent et minoribus impensis. In illis, inquam, negotiis, munus Status non potest esse nisi *conditionale suppletivum*; scilicet non debet facere nisi quod varia corporis socialis membra aut non possunt facere, aut negligunt. Hoc porrò varium esse poterit pro gentibus vel temporibus; v. g. quò negligentiores fuerint cives, eò magis suam actionem *suppletivam* exercere poterit Status; quo econtra promptior fuerit initiatio privatorum, eò magis sese *continere* debebit. Quòd si enim intervenit Status absque necessitate, paulatim incidit in hunc *centralismum* quo jam laboramus, quique civium vires extenuat et in pulverem redigit, dum, ex aliâ parte, sine fine multiplicat numerum eorum qui ei serviunt, dato ære communi, summo *libertatis et fortunæ* civium detrimento.

195. Corollarium 4^{um}. Quod attinet ad *Scholas*, quidam, inter quos D. Freppel (1), non immerito negant Statui jus inesse ad docendum, tum quia bonum commune non postulat ut Status doceat, sed tantum ut plenam relinquat libertatem civibus et præsertim consociationibus ad doctrinam tradendam idoneis; tum quia Status, præsertim hodiernus, profitetur se nullam doctrinam habere et scepticismo plus ni-

(1) *Discours sur la notion fautive de l'État enseignant; œuvres pastorales et oratoires*, t. XI, p. 73-80.

mio indulget. — Alii autem ei concedunt jus quoddam ad docendum, sed illud *secundarium*, cum ipse versetur directè circa res físicas et justitiam protegendam. Non igitur sine manifestâ usurpatione juris familiæ et Ecclesiæ Status docendi *monopolium* vindicaret sibi (1), vel scholas, ut aiunt, *liberas*, vexaret.

Porro si Status publicas suas habuerit scholas, ab illis pel-
lere nequit religionem, quin *indifferentismum*, *scepticismum*,
imò et *atheismum* civibus infundere velit, summâ animarum
et boni socialis injuriâ (2).

196. **Assertio 2^a** : *Cives singuli habent propria jura inde-
pendenter a Statu, et possunt consociationes varias formare
ad proprium bonum facilius prosequendum.*

PROB. 1^a PARS, quia cives prius existunt quàm societas vel
Status, et ut præclare monet D. Thomas « *homo non ordina-
tur ad communitatem politicam secundum se totum, et secun-
dum omnia sua.* » (1^a 2^a, q. 21, a. 4, ad 3). Itaque cives non
solùm animam suam et ea quæ ad ipsam pertinent servant
sibi, sed cætera omnia personalitatis suæ jura, necnon *ple-
num* rerum suarum dominium.

PROB. 2^a PARS, quia cives jure possunt sociare se ad facien-
dum in *communi* quidquid facere vel prosequi possunt *so-
litarii*; unde, v. g. qui agriculturam vel rem industrialem

(1) Damnata est sequens *Syllabi* propositio : « Totum scholarum pu-
blicarum regimen, in quibus juvenus christianæ alicujus reipublicæ
instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliquâ ratione exceptis,
potest ac debet attribui auctoritati civili, ut nullum alii cuiquam aucto-
ritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplinâ scholarum, in re-
gimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione
magistrorum. » (§ VI, prop. 45).

(2) Rationi consonat experientia. Postquam enim multis annis apud
nos viguisset systema scholæ a religione separatæ, hæc dicere potuit
Portalis : « Il est temps que les théories se taisent devant les faits. Point
d'instruction sans éducation, sans morale et sans religion. Les profes-
seurs ont enseigné dans le désert, parce qu'on a proclamé imprudem-
ment qu'il ne fallait plus parler de religion dans les écoles. Les enfants
sont sans idée de la divinité, sans notion du juste et de l'injuste. De là
des mœurs farouches et barbares, et bientôt un peuple féroce... Toute
la France appelle la religion au secours de la morale et de la société. »
(Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part., p. 253 et ss.).

exercent, congregare se possunt ad eam junctis viribus me-
lius exercendam; item qui *orare*, vel *docere*, vel infirmos ac
pauperes curare gestiunt, jure possunt idoneas ad hunc
finem consociationes formare; idemque generatim dices
de omni consociatione quæ nihil inhonestum vel communi
bono adversum præ se fert.

Merito igitur SS. Leo XIII : « Privatas societates inire
concessum est homini jure naturæ. » (Encycl. *De conditione
opificum*).

Præterea, societates istæ id habent commodi quòd et fe-
cundant activitatem civium singulorum, et quædam opera
communia, societati maximè utilia, sine ullâ æris communis
injuriâ exequi possunt, ut constat exemplo societatum quæ
ad docendum infantes ac juvenes, vel ad infirmos ac pau-
peres curandos navant operam.

Accedit quòd cives ita *conjuncti* possunt, si opportunum
fuerit, obstare facilius ne Status in res eorum privatas quid-
quam moliatur, suisque ex finibus egrediatur.

ARTICULUS V

De nexu societatis civilis cum religione.

Quærendum est 1^o utrùm societas civilis debeat Deo cultum
publicum? 2^o utrùm Ecclesiæ catholicæ uniri ac subordinari
debeat?

§ I. — De religione Deo a societate civili debitâ.

197. Apud multos hodiernos *liberales*, ut se vocant, in-
valuit opinio nullam a *Statu* haberi debere religionem; varios
quidem homines, *individue* sumptos, posse, si velint, Deo
cultum reddere, sed *Statum* a cultu omni abstinere et sese
gerere debere perinde ac si nullus esset Deus.

198. **Assertio** : *Societas cultum publicum Deo persolvere
debet.*

I. *Probatur directè*. 1^o Societas, utpote naturalis homini,
est a naturâ, et proinde ab Auctore naturæ; ab eo etiam con-

mio indulget. — Alii autem ei concedunt jus quoddam ad docendum, sed illud *secundarium*, cum ipse versetur directè circa res físicas et justitiã protegendã. Non igitur sine manifestã usurpatione juris familiæ et Ecclesiæ Status docendi *monopolium* vindicaret sibi (1), vel scholas, ut aiunt, *liberas*, vexaret.

Porro si Status publicas suas habuerit scholas, ab illis pel-
lere nequit religionem, quin *indifferentismum*, *scepticismum*,
imò et *atheismum* civibus infundere velit, summã animarum
et boni socialis injuriã (2).

196. Assertio 2^a : *Cives singuli habent propria jura inde-
pendenter a Statu, et possunt consociationes varias formare
ad proprium bonum facilius prosequendum.*

PROB. 1^a PARS, quia cives prius existunt quàm societas vel
Status, et ut præclare monet D. Thomas « *homo non ordina-
tur ad communitatem politicam secundum se totum, et secun-
dum omnia sua.* » (1^a 2^a, q. 21, a. 4, ad 3). Itaque cives non
solùm animam suam et ea quæ ad ipsam pertinent servant
sibi, sed cætera omnia personalitatis suæ jura, necnon *ple-
num* rerum suarum dominium.

PROB. 2^a PARS, quia cives jure possunt sociare se ad facien-
dum in *communi* quidquid facere vel prosequi possunt *so-
litarii*; unde, v. g. qui agriculturam vel rem industrialem

(1) Damnata est sequens *Syllabi* propositio : « Totum scholarum pu-
blicarum regimen, in quibus juvenus christianæ alicujus reipublicæ
instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliquã ratione exceptis,
potest ac debet attribui auctoritati civili, ut nullum alii cuiquam aucto-
ritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplinã scholarum, in re-
gimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione
magistrorum. » (§ VI, prop. 45).

(2) Rationi consonat experientia. Postquam enim multis annis apud
nos viguisset systema scholæ a religione separatæ, hæc dicere potuit
Portalis : « Il est temps que les théories se taisent devant les faits. Point
d'instruction sans éducation, sans morale et sans religion. Les profes-
seurs ont enseigné dans le désert, parce qu'on a proclamé imprudem-
ment qu'il ne fallait plus parler de religion dans les écoles. Les enfants
sont sans idée de la divinité, sans notion du juste et de l'injuste. De là
des mœurs farouches et barbares, et bientôt un peuple féroce... Toute
la France appelle la religion au secours de la morale et de la société. »
(Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part., p. 253 et ss.).

exercent, congregare se possunt ad eam junctis viribus me-
lius exercendam; item qui *orare*, vel *docere*, vel infirmos ac
pauperes curare gestiunt, jure possunt idoneas ad hunc
finem consociationes formare; idemque generatim dices
de omni consociatione quæ nihil inhonestum vel communi
bono adversum præ se fert.

Merito igitur SS. Leo XIII : « Privatas societates inire
concessum est homini jure naturæ. » (Encycl. *De conditione
opificum*).

Præterea, societates istæ id habent commodi quòd et fe-
cundant activitatem civium singulorum, et quædam opera
communia, societati maximè utilia, sine ullã æris communis
injuriã exequi possunt, ut constat exemplo societatum quæ
ad docendum infantes ac juvenes, vel ad infirmos ac pau-
peres curandos navant operam.

Accedit quòd cives ita *conjuncti* possunt, si opportunum
fuerit, obstare facilius ne Status in res eorum privatas quid-
quam moliatur, suisque ex finibus egrediatur.

ARTICULUS V

De nexu societatis civilis cum religione.

Quærendum est 1^o utrùm societas civilis debeat Deo cultum
publicum? 2^o utrùm Ecclesiæ catholicæ uniri ac subordinari
debeat?

§ I. — De religione Deo a societate civili debitã.

197. Apud multos hodiernos *liberales*, ut se vocant, in-
valuit opinio nullam a *Statu* haberi debere religionem; varios
quidem homines, *individue* sumptos, posse, si velint, Deo
cultum reddere, sed *Statum* a cultu omni abstinere et sese
gerere debere perinde ac si nullus esset Deus.

198. Assertio : *Societas cultum publicum Deo persolvere
debet.*

I. *Probatur directè.* 1^o Societas, utpote naturalis homini,
est a naturã, et proinde ab Auctore naturæ; ab eo etiam con-

servatur et gubernatur, quia Deus super omnia et singula principatum immediatum exercet. Ergo societas publice agnoscere debet suam dependentiam a Deo et omnia quæ ab eo recepit beneficia. (Cf. Encycl. *Immortale Dei* SS. Leonis XIII, die 1^o nov. 1885).

2^o Et verò, societas constat ex gubernatis et ex gubernatore vel gubernatoribus. Porro utrique, quatenus homines, tenentur ad religionem Deo exhibendam. Ergo et societas; ac proinde, si homines non sint athei, societas ipsa athea esse non potest. *Confirmatur*, quia homines in societate constituti, naturam feruntur ad exprimendos publicam ratione sensus quos seorsim experiuntur; unde, ut cultus *externus* ab interno, ita *socialis* a privato sponte defluit.

II. *Indirectè*. 1^o Sublatam civitatis religionem, ut ipsa testatur experientia, jam ex hominum mentibus sensim extenuantur pietas; siquidem multi publicum cultum profitentur, qui nullum haberent, si publicus deesset. Econtra, solemnibus cultus exemplo eriguntur animi, boni sensus mire foventur, non aliter atque in bellis, omnium virtute cujusque virtus exardescit. Ut igitur cultus externus necessarius est ad fovendum cultum internum, ita *socialis* ad privatum.

2^o Si desit societatis religio, ipsum societatis fundamentum corrumpat necesse est. Nulla namque est societas sine morali ordine, nulla legum vis sine legitimam principum auctoritate. Sed, ut in *Ethica generali* (n. 3-5) demonstravimus, ordo moralis fundamentum habet in lege naturali, quæ essentialiter pendet a Deo, sine quo vi omni destituitur. Auctoritas autem principum, ut infra evincetur, a Deo ipso promanat; hinc *damnata* ista *Syllabi* propositio: « *Morum leges divinam hæud egent sanctione, minimèque opus est ut humanæ leges obligandi vim a Deo accipiant.* » (§ 7, *Prop.* 56).

Remota igitur idea Dei ac religionis a societate, duo tantum remanent, nimirum, ex parte gubernatoris, *vis physica*, et ex parte subditorum, *timor*. Sed ista duo sunt debile admodum vinculum ad conjungendos homines (1), et ipsorum

(1) « Qui timore subduntur, ait D. Thomas, si occurrat occasio quæ

naturæ morali adversantur, quæ jubet hos regi humano, non brutorum more.

3^o *Confirmatur* quia ipsi pagani philosophi decreverunt sine religione nullam stare societatem: « Omnis humanæ societatis fundamentum convellit, ait Plato, qui religionem convellit. » (*De leg.*, l. X). Plutarchus autem: « Facilius urbem condi sine solo posse puto, quàm, opinione de diis sublatam, civitatem coire aut constare. » (*Adv. Coloten.*, opp., t. 2). Quibus assentit ipse Machiavel: « Nullum certius iudicium de regionis alicujus interitu habere poteris, quàm si in eam divinum cultum despectui haberi cognoveris. » (*Disc. in. prim. dec. Titi Livii*, l. 1, c. 10).

199. *Corollarium*. Hinc sequitur ipsos gubernatores, quatenus gubernatores, ad cultum publicum Deo reddendum teneri. Quare debent attendere ad Deum et ad divina præcepta, tum in ferendis legibus, tum in earum executione promovendam, tum in judiciaria potestate exercitio. — At verò evidens est eos non ad religionem quamlibet, sed ad *veram* religionem obligari; quippe iisdem officiis ac singuli homines erga Deum obstringuntur, et media eadem habent ad cognoscendam veram religionem.

200. *Obj.* *Status* non est iudex doctrinæ. Sed iudex doctrinæ efficitur si tenetur ad religionem aliquam, et præsertim ad religionem veram discernendam. Ergo debet esse *practicè* atheus.

R. neg. maj. et min. quatenus nimis absolutè pronuntiant. 1^o Enimvero debet *Status* religionem *naturalem* tueri, ac pœnis afficere delicta externa contra eam admissa, quia nulla societas stare valet, nisi servata ethica naturali, in qua velut fundamento nititur.

2^o Si religionem catholicam *Status* amplecti debet et tueri contra ejus osiores, non tamen *per seipsum* pronuntiat circa dogmata ejus vel præcepta, sed quatenus ab Ecclesiâ infalli-

possint impunitatem sperare, contra præsertim insurgunt eo ardentius quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur. Et ex nimio timore plerique in desperationem incidunt; desperatio autem audacter ad quælibet attentanda præcipitat. » (*De Regim. princp.*, l. 1, c. 10).

bili docetur; unde non propriè doctrinæ iudex evadit. Et sicut non repugnat, ut rationis lumine, præcepta religionis naturalis agnoscat, ita non repugnat, ut revelationis et Ecclesiæ lumine, agnoscat quæ in religione revelatâ continentur. — Alioquin eodem jure quo Status, persona quælibet privata indifferentem sese in religiosâ re proclamare posset, sub prætextu quòd non sit doctrinæ iudex.

§ II. — De unione societatis civilis cum Ecclesiâ catholica et ejus ad ipsam subordinatione.

201. Assertio 1^a: *Societas civilis et societas catholica non debent separari, sed uniri.*

Etenim hæc societates non debent separari, quæ personam eandem dirigunt, et quarum unio utrique prodest. Atqui societas catholica et societas civilis eandem dirigunt personam, nempe hominem, et earum unio prodest utrique.

Constat 1^{um}. Ecclesia quidem directè animam, Status autem directè corpus hominis curat. Attamen Ecclesia non ita hominis animam regit, ut corpus omnino prætermittat; regit enim omnes hominis actus morales sives infernos, sive externos. Item, Status non ita corpus hominis regit, ut spectet illud tanquam corpus physicum, sed regit illud tanquam informatum animâ rationali. Ergo sejungere Statum ab Ecclesiâ, idem est ac sejungere corpus ab animâ.

Confirmatur, quia multæ occurrunt quæstiones quas mixtas vocant, eo quòd partim ad Ecclesiam, partim ad Statum pertinent. Porro quæstiones istæ rectè solvi non possunt, nisi ex concordia et pacto inter utramque civitatem.

Constat 2^{um}, quia ex unione illâ, Ecclesia majori a populis veneratione habetur, et efficacius protegitur contra inimicos suos. Ac vicissim, si religione catholica cives imbuantur, fidelius civilis auctoritatis servant leges, nullas perturbationes moliuntur, tranquilla et secunda sunt omnia tum in domo, tum in civitate. — Meritò igitur damnata est sequens Syllabi propositio: « *Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesiâ sejungendus est.* » (§ 6, Prop. 53).

202. Assertio 2^a: *Status Ecclesiæ subordinari debet.*

Probat ex utriusque societatis naturâ, objecto et fine. Enimvero Ecclesia est societas supernaturalis, quæ directè circa mentem occupatur, et hominem ordinat ad finem ultimum, in vitâ futurâ obtinendum. Econtrâ, societas politica est merè naturalis, directè occupatur circa corpus, et hominem dirigit in vitâ præsentî. Ut ergo naturalis ordo supernaturali, corpus animæ, vita præsens futuræ, et finis intermedius ultimo subordinatur, ita Status Ecclesiæ. (Cf. S. Th., 2^a 2^a, q. 60, a. 6, ad 3).

At verò subordinatio ista intelligi non debet de rebus politicis, quatenus sunt merè politicæ, sed quatenus cum spiritualibus connectuntur. « *Ut enim, ait Bellarminus, se habent in homine spiritus et caro, ita se habent in Ecclesiâ duæ illæ potestates. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum.* » (*De Rom. Pont.*, l. V, c. 6).

ARTICULUS VI

De supremâ auctoritate in societate civili.

Dicemus: 1^o De illius naturâ variisque muneribus; 2^o de illius origine.

§ I. — De natura variisque muneribus supremæ potestatis.

203. Potestas suprema definiri potest *jus regendi rempublicam et ad debitum finem perducendi.*

Si adæquatè sumi velit, amplectitur potestatem *legislativam, executivam et judicariam.* Etenim civitas gubernari et ad suum finem dirigi nequit, nisi quibusdam legibus: hinc potestas *legislativa*; sed leges ipsæ, in tantum civitatem regere possunt, in quantum executioni mandantur: hinc potestas *executiva*; demum, dubia oriri valent circa sensum et applicationem legis ad *casus* particulares: hinc potestas *ju-*

diciaria, cujus est definire qui actus legi respondeant vel adversentur, ideoque aut civium jura tueri, aut reos ad sanitas pœnas, pro societatis salute, damnare.

204. Potissima potestas auctoritatis civilis est potestas ferendi leges; siquidem leges sunt normæ quæ cives ad agendum impellunt, vel retrahunt ab agendo; potestas autem executiva et judiciaria ad eam ordinantur. Ast oportet ut potestas judiciaria omnino libera sit a Statu ut, possit juris rationem æquabilem tenere.

205. *Quæritur utrum auctoritati supremæ jus insit reos quosdam perniciosos mortis pœnâ plectendi?*

Porrò, quidquid *contra* dicant non pauci *liberales* hodierni, jus illud societati civili competit adversus quosdam reos qui a gravissimis delictis, nisi mortis pœnâ, sufficienter non arcerentur. — Audiatur D. Thomas: « Pars ordinatur ad totum, ut imperfectum ad perfectum; et ideo omnis pars naturaliter est propter totum. Et propter hoc videmus quòd si salutî totius corporis humani expediat præcisio alicujus membri, puta cum est putridum vel corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter abscinditur. Quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum. Et ideo, si aliquis homo sit periculosus communitati et corruptivus ipsius, propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur (1). » (2^a 2^a, q. 64. a. 2. c). — Confirmatur unanimi populorum persuasionem et agendi rationem.

206. Quod spectat ad *fundamentum* hujus juris, in eo reponendum est quòd princeps utitur legitima *defensione* societatis, simul ac *minister* est Dei ad peccatorum, saltem gravissimorum, punitionem (2).

(1) Cf. Lucien Brun, *Introd à l'étude du droit*, 9^e conf.

(2) « Si malum feceris, time: non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est, *vindex* in iram ei qui malum agit ». (Rom. XIII, 4).

§ II. — De origine supremæ auctoritatis civilis.

207. *Opiniones*. Triplex philosophorum opinio recensetur. Quidam tenent cum Rousseau potestatem civilem a populo tantum oriri quia societas ex eo habetur quòd *socius* quisque sua *omnia* jura conferet communitati, ut hæc sit *voluntas generalis*. Quare auctoritas publica non est nisi summa liberatum seu voluntatum individuarum.

At catholici philosophi docent auctoritatem a Deo suam originem habere, quanquam id duplici systemate diverso explicant. Nam, juxta alios, Deus *immediatè* confert auctoritatem multitudini, quæ illam transfert in principem a se electum; ita S. Augustinus, Suarezius (*de Leg.*, l. III, c. 2), et scholastici communiter, inter quos Victoria, Dominicus Soto et Billuart; ita etiam Bellarminus, S. Ligorius et Balmès. — D. Thomas opinionem hanc explicitè quidem non profitetur, sed ei videtur favere (1). — Juxta alios, auctoritas nullo modo in multitudine reperitur, sed, electo semel principe a multitudine, Deus in eum *immediatè* confert auctoritatem; ita veteres quidam theologi, et recens Bossuet, Taparelli, Zigliara, aliique minoris notæ.

208. *Assertio* 1^a: *Potestas civilis primariò ex Deo, tanquam auctore naturæ, oritur.*

1^o Societas est a Deo, tanquam auctore naturæ. Ergo et auctoritas. — Probatur *antecedens* ex dictis de societatis origine. Illud enim est a Deo, tanquam naturæ auctore, quod

(1) Dicit enim: « Condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam quæ totius multitudinis curam habet. » (2^a 2^a, q. 90, a. 3, c). — Alibi assertit consuetudinis vim ex multitudine ipsâ hauriri, modo tamen hæc libera fuerit, scilicet non constituta sub principis alicujus potestate: « Si enim sit libera multitudo, quæ possit legem sibi facere, plus est consensus totius multitudinis ad aliquid observandum, quod consuetudo manifestat, quam auctoritas principis, qui non habet potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis; unde licet singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus populus condere legem potest. » (1^a 2^a, q. 97, a. 3, ad 3).

a naturâ promanat, siquidem Deus est auctor naturæ. Atqui societas a naturâ promanat, cum sit homini naturalis.

Prob. conseq. Si Deus dicitur auctor societatis, quia ea naturalis est, auctor dici debet omnis ejus quod naturale est in societate. Sed auctoritas naturalis est societati, imò est pars *formalis* illius, cum suam illi rectionem et unitatem conciliet. « Si, ait D. Thomas, naturale est homini quòd in societate multorum vivat, necesse est in hominibus esse per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, et unoquoque id quod est sibi congruum providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens, sicut et corpus hominis et cujuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. » (*De Reg. princ.*, l. I, c. 1).

Confirmatur quia suprema potestas a populo minimè pendet. Nam velint, nolint homines, regi debent ab aliquo, nisi, ut advertit Bellarminus, velint perire humanum genus, quod est contra inclinationem naturæ. Et propterea, non posset genus humanum, etiamsi totum conveniret, contrarium statuere, nimirum ut nulli essent principes vel rectores. » (*De Laicis*, l. III, c. 6).

« 2º Declaratur secundò, ait Suarezius, quia hæc potestas habet plures actus qui videntur *excedere* humanam facultatem, prout est in singulis hominibus; ergo signum est non esse ab illis, sed a Deo. *Primus* actus est punitio malefactorum, etiam usque ad mortem; nam cum solus Deus sit dominus vitæ, solus ipse videtur dare potuisse hanc potestatem... *Secundus* actus est constituere in materiâ aliquâ medium *virtutis* necessarium ad honestatem ejus. — *Tertiò*, cum hoc statu conjunctus est effectus obligandi in conscientiâ, quod maximè videtur pertinere ad divinam potestatem. » (*De leg.*, l. III, c. 3, n. 3).

3º Præterea, hæc veritas pertinet ad *catholicam* doctrinam, dicente D. Paulo: « Non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potes-

« tati, Dei ordinationi resistit. » (*Rom.*, c. 13, §. 1). Legitur etiam in *Proverbiis*: « Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. » (C. VIII, §. 13). — Dogma illud recens inculcavit SS. Pontifex Leo XIII, in *Encycl. Diuturnum illud*, die 29 junii 1881.

209. Corollarium. Ut monet Suarezius, hæc potestas a Deo datur per modum proprietatis *consequentis naturam*, non autem per *specialem* actionem vel concessionem a *creatione* distinctam, quatenus dicat ratio Deum sufficienter providisse humano generi, et proinde illi dedisse potestatem necessariam ad suam conservationem convenientemque gubernationem.

210. Assertio 2ª: *Probabilior videtur opinio quæ vult auctoritatem a Deo multitudini datam, ab eâ immediatè in principem transferri.*

1º Phænomena ordinis merè naturalis per causas secundas proximè debent explicari, nec requiritur nisi concursus Dei ad earum operationes. Atqui potestas civilis est aliquid merè naturale in societate; ac proinde immediatè ex ipsâ naturaliter fluit, etsi eam a Deo cum sui creatione acceperit. — *Confirmatur*, quia cum quis alteri se mancipat ad ei serviendum, ipse immediatè veram in eum confert auctoritatem, nec Deus eâ in re aliter intercedit, quàm jubendo generatim ut inferior quisque superiori suo subjiciatur. Idem porrò dicendum videtur de multitudine relativè ad gubernatorem cui sese credit.

2º Populo negari posse non videntur hæc tria jura, scilicet: 1 Jus condendi *generaliores* quasdam leges quibus tota communitas ligetur, nisi quòd ægrè per seipsum potest eas *initiare*; jus illud, ut suprâ monuimus, multitudini explicitè conceditur a D. Thomâ, qui cæterum illud habet ut potissimum supremæ auctoritatis munus; 2 Jus determinandi eam regiminis formam quam præoptaverit, sive *Monarchiam*, sive *Aristocratiam*, sive *Democratiam*. Quanquam enim potestas est juris naturalis, tamen ejus determinatio ad certam regiminis formam pendet ex hominum arbitrio. Unde audiendi non sunt qui unum ex prædictis guberniis ad jus *divi-*

num referunt. — Quinimo, si causa legitima et urgens adsit, idque nullius juri adquisito interim deroget, potest multitudo, ut ait Bellarminus, mutare regnum in aristocratiam aut democratiam (1), et vicissim, democratiae aut aristocratiae regnum subrogare. 3 Populo etiam, ut infra dicitur, jus competit eligendi *subjectum* a quo exerceri velit summam potestatem; imò illius auctoritatem definiendi certis limitibus et vel ampliorem, vel minorem faciendi.

Porro hæc tria jura nihil aliud sunt nisi potissima supremæ potestatis munera. Ergo multitudo, cum eligit gubernatorem, spoliatur se naturali suâ quam a Deo recepit potestate, eamque in suum gubernatorem transfert.

Diri: probabilior videtur, quia sententiam hanc ut *meram opinionem* habemus (2); unde alterius opinionis afferimus argumenta, ut eam alteri liceat eligere, si veriorē putaverit.

244. Corollarium. In hac opinione, Deus habetur ut causa potestatis *primaria*, populus autem ut causa *secundaria*

(1) Attamen hodiernis politicis hæc meditanda sunt, quæ sapientissimè docet Montaigne: « La meilleure police est à chaque nation celle sous laquelle elle s'est maintenue. Sa forme et commodité essentielle dépend de l'usage... Es affaires publiques, il n'est aucun si mauvais train, pourvu qu'il aie de l'âge et de la constance, qui ne vaille mieux que le changement et le remuement... Rien ne presse un État que l'innovation. Quand quelque pièce se démanche, on peut l'étayer: on peut s'opposer à ce que l'altération et corruption naturelle à toutes choses ne nous éloigne trop de nos commencements et de nos principes. Mais d'entreprendre de refondre une si grande masse, et de changer les fondements d'un si grand bâtiment, c'est à faire à ceux qui pour décrasser effacent, qui veulent amender les défauts particuliers par une confusion universelle, et guérir les maladies par la mort. Toutes grandes mutations ébranlent l'État et le désordonnent. » (*Essais*, l. III, c. 9, et l. II, c. 17.) Cf. S. Th., 1^a 2^æ, q. 97, a. 1, 2.

(2) Nonnulla verba Encycl. *Diuturnum illud*, ad litteram sumpta, opinionem suarezianam reprobare videntur. At contextus id non fert, et viri quidam, ex ipsa urbe Romæ, cum auctoritate, cum scientiâ insignes, interrogati, responderunt id omnino alienum fuisse mente SS. Pontificis, qui noluit pronunciare, nisi contra eos qui potestatem ab ipso populo, non a Deo, volunt oriri. Itaque opinionem suarezianam, nostris etiam diebus, tuentur plures theologi; inter quos PP. Mendive, Martin et Rossetti, S. J.

et *subordinata*, quippe quod populus eam a Deo, ut a *fonte* receperit. Qui ergo potestatem civilem exercent, verè sunt *Dei ministri et per eum regnant*, ut loquitur Scriptura.

242. Obj. 1^o Si asseratur principi a populo supremam conferri auctoritatem, pronum populo erit superiorem principi sese existimare, et eum nil aliud esse nisi *mandatarium*, facili ex causâ revocabilem; inde sequentur machinationes atque perturbationes.

Hanc objectionem sic refellit Suarezius: « Negamus ex eâ « (prædictâ sententiâ) occasionem rebellionum contra legi- « timos principes populo dari. Nam postquam populus « suam potestatem in regem transtulit, non potest justè, « eadem potestate fretus, suo arbitrio, seu quoties voluerit, « se in libertatem vindicare. Nam si potestatem suam regi « concessit, quam ille acceptavit, eo ipso rex *dominium* ac- « quisivit: ergo, quamvis rex habuerit a populo illud domi- « nium per donationem, vel contractum, non ideo licebit « populo *dominium* illud regi auferre, nec libertatem suam « iterum usurpare. Sicut particularis persona, quæ libertati « suæ renuntiavit, et se in servum vendidit, aut donavit, « non potest postea, suo arbitrio, se a servitute eximere. » (*Defens. fid. cathol.*, l. III, c. 3, n. 2).

Quare, sive immediatè auctoritas a Deo principi detur, sive mediante populo, ipsa eadem remanet, nec magis, nec minus inviolabilis.

243. Obj. 2^o Homines non habent supremam potestatem, quatenus singuli et divisim sumpti, imò neque quatenus formant multitudinem confusam, sed tantum postquam congregati sunt in formam corporis politici. Porro cogi nequeunt in formam politici corporis, nisi prius *expressam* habeant auctoritatem quæ illas in sociali vinculo jungat; unde habetur *circulus*. Ita Bossuetius. (5^o *Avertissem. aux protestants*, n^o 49).

R. *Dist. maj. et neg. min.* Enimverò homines quatenus singuli, non *completè* quidem, sed *particulariter et radicaliter* habent supremam potestatem, quia idonei sunt ad formandam communitatem politicam, si modò se uniant.

Postquam verò suâ unione fecerunt communitatem perfectam, jam in eorum communitate potestas *actu* resultat ex ipsâ *naturâ rei*. (Cf. *Tract. de Leg.*, l. II, c. 3).

Quare potest multitudo, quin ullam regiminis formam aut ullum subjectum adhuc instituerit, dici *corpus politicum*, quia membra ejus ad finem socialem uno consensu colligata sunt. Et revera potest eligere aliquem ex suis, quem *rectorem* instituat, et cujus jura ipsa definiat. — Et alioquin, sequeretur quòd, mortuo gubernatore, communitas desineret populus esse, nec ante populus iterum esse *inciperet*, quàm novo supra se instituto gubernatore. Porrò consecraria ista admittenda non videntur.

214. Obj. 3° Deus non dare debet multitudini potestatem quam ipsa nequit exercere. Atqui multitudo exercere nequit supremam potestatem.

R. *neg. maj. et dist. min.* Ut enim quis aliquod jus habeat, non requiritur ut illud per seipsum exercere possit, sed satis est ut illud, mediante alio, exerceat, qui personam illius gerat. Hoc passim in societate fieri videmus. — Idem porrò dici potest de multitudine, cujus princeps vel quicumque gubernator gerit personam. — Cæterum, licèt multitudo per seipsam exercere haud queat omnia et singula supremæ potestatis munera, tamen quit ferre *generaliores* quasdam leges, ut ait D. Thomas : « Condere legem vel « pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam quæ totius multitudinis curam habet... Licèt « singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus « populus condere legem potest. » (1^a 2^a, q. 90, a. 3, ad 3, et q. 97, a. 3, ad 3).

ARTICULUS VII

De subjecto supremæ potestatis.

215. Subjectum potestatis dicimus illud a quo gubernatur multitudo, sive sit persona *physica*, ut rex, vel præses reipublicæ, sive persona *moralis*, ut senatus.

Jam de illo quæritur : 1° quomodo instituat? 2° utrùm semel institutum a multitudine amoveri queat? 3° quomodo populus se habere debeat erga tyrannum et usurpatorem?

§ I. — De modo quo instituitur subjectum politicæ potestatis.

Quadruplex quæstio agi potest : 1° de societate primitus constitutâ; 2° de variis societatibus in temporum decursu formandis; 3° de meliori formâ regiminis; 4° de suffragio universali.

216. Assertio 1^a : *In societate primitus constitutâ, jure domestico designatum fuit politicæ potestatis subjectum.*

Hæc thesis propugnatur a multis iisque maximi nominis philosophis, inter quos Plato, Aristoteles et D. Thomas.

1° Potestas politica ex eodem principio debet oriri, e quo ipsa societas oritur; siquidem auctoritas est elementum constitutivum ac formale societatis. Porrò ex dictis (p. 149), societas politica oritur ex propagatione spontaneâ familiarum ex unâ domo, ut communi stipite. Ergo primum nascentis hujus politicæ societatis subjectum oritur a familiâ. — At in familiâ, potestas viget in patre. Ergo ex patre oritur principium politicæ potestatis. — Propterea, rector crescentis domus erat antiquior paterfamilias, veluti *principium* communis stipitis; nec ille indigebat arbitrario suorum consensu, sed a *naturâ* habebat jus imperitandi, et suos aut natos aut natos natorum gubernandi.

2° Et verò, auctoritas politica non est aliud nisi jus multitudinis ordinandæ, et agendæ curæ communis illius boni. Porrò jure illo fruitur pater in familiam suam; et proinde auctoritas paterna cum auctoritate politicâ magnam analogiam habet.

Quin etiam auctoritas politica potest haberi tanquam *extensio* seu *evolutio spontanea* paternæ auctoritatis, sicut multitudo civilis est evolutio spontanea multitudinis domesticæ. Cum enim multitudo domestica in dies mutata fuit, sumptis incrementis ex natorum, consanguineorum, famulorumve,

Postquam verò suâ unione fecerunt communitatem perfectam, jam in eorum communitate potestas *actu* resultat ex ipsâ *naturâ rei*. (Cf. *Tract. de Leg.*, l. II, c. 3).

Quare potest multitudo, quin ullam regiminis formam aut ullum subjectum adhuc instituerit, dici *corpus politicum*, quia membra ejus ad finem socialem uno consensu colligata sunt. Et revera potest eligere aliquem ex suis, quem *rectorem* instituat, et cujus jura ipsa definiat. — Et alioquin, sequeretur quòd, mortuo gubernatore, communitas desineret populus esse, nec ante populus iterum esse *inciperet*, quàm novo supra se instituto gubernatore. Porrò consecraria ista admittenda non videntur.

214. Obj. 3° Deus non dare debet multitudini potestatem quam ipsa nequit exercere. Atqui multitudo exercere nequit supremam potestatem.

R. *neg. maj. et dist. min.* Ut enim quis aliquod jus habeat, non requiritur ut illud per seipsum exercere possit, sed satis est ut illud, mediante alio, exerceat, qui personam illius gerat. Hoc passim in societate fieri videmus. — Idem porrò dici potest de multitudine, cujus princeps vel quicumque gubernator gerit personam. — Cæterum, licèt multitudo per seipsam exercere haud queat omnia et singula supremæ potestatis munera, tamen quit ferre *generaliores* quasdam leges, ut ait D. Thomas : « Condere legem vel « pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam quæ totius multitudinis curam habet... Licèt « singulæ personæ non possint condere legem, tamen totus « populus condere legem potest. » (1^a 2^a, q. 90, a. 3, ad 3, et q. 97, a. 3, ad 3).

ARTICULUS VII

De subjecto supremæ potestatis.

215. Subjectum potestatis dicimus illud a quo gubernatur multitudo, sive sit persona *physica*, ut rex, vel præses reipublicæ, sive persona *moralis*, ut senatus.

Jam de illo quæritur : 1° quomodo instituat? 2° utrùm semel institutum a multitudine amoveri queat? 3° quomodo populus se habere debeat erga tyrannum et usurpatorem?

§ I. — De modo quo instituitur subjectum politicæ potestatis.

Quadruplex quæstio agi potest : 1° de societate primitus constitutâ; 2° de variis societatibus in temporum decursu formandis; 3° de meliori formâ regiminis; 4° de suffragio universali.

216. Assertio 1^a : *In societate primitus constitutâ, jure domestico designatum fuit politicæ potestatis subjectum.*

Hæc thesis propugnatur a multis iisque maximi nominis philosophis, inter quos Plato, Aristoteles et D. Thomas.

1° Potestas politica ex eodem principio debet oriri, e quo ipsa societas oritur; siquidem auctoritas est elementum constitutivum ac formale societatis. Porrò ex dictis (p. 149), societas politica oritur ex propagatione spontaneâ familiarum ex unâ domo, ut communi stipite. Ergo primum nascentis hujus politicæ societatis subjectum oritur a familiâ. — At in familiâ, potestas viget in patre. Ergo ex patre oritur principium politicæ potestatis. — Propterea, rector crescentis domus erat antiquior paterfamilias, veluti *principium* communis stipitis; nec ille indigebat arbitrario suorum consensu, sed a *naturâ* habebat jus imperitandi, et suos aut natos aut natos natorum gubernandi.

2° Et verò, auctoritas politica non est aliud nisi jus multitudinis ordinandæ, et agendæ curæ communis illius boni. Porrò jure illo fruitur pater in familiam suam; et proinde auctoritas paterna cum auctoritate politicâ magnam analogiam habet.

Quin etiam auctoritas politica potest haberi tanquam *extensio* seu *evolutio spontanea* paternæ auctoritatis, sicut multitudo civilis est evolutio spontanea multitudinis domesticæ. Cum enim multitudo domestica in dies mutata fuit, sumptis incrementis ex natorum, consanguineorum, famulorumve,

necnon ex divitiarum augmento necesse fuit auctoritatem paternam in dies quoque augeri, novas induere relationes, simulque cum multitudine sibi commissâ transmutari, ita ut inter hæc duo constitutiva societatis elementa, membra videlicet et caput, semper servaretur proportio, quemadmodum cernitur in humani corporis progressionem. Hinc est quòd antiquitus omnes fere gentes regebantur regibus (1).

217. Assertio 2^a: *In variis societatibus temporum decursu constitutis, subjectum politicæ potestatis neque naturali, neque divino jure, sed ex multitudinis consensu regulariter designatur.*

Id contingere potest in triplici potissimum casu: 1^o si familiæ quædam, relicta nativâ radice, novas terras per migrationem adeant sibi que instituunt gubernium; 2^o si cusjuscumque rectoris, ut in republicâ fit, elapsum sit tempus præfinitum; 3^o si qua dynastia extingatur, vel olim a regno pulsa, minimè jam restitui possit.

PROB. 1^a PARS contra Gioberti, qui putavit subjectum politicæ potestatis ex ingenii aristocratia determinari, eique jure deberi imperii summam qui maxime ingenio floreret; cui opinioni favere videtur Aristoteles (*Polit.*, l. III, c. 11, 12).

1^o Ex dictis (n. 218), suprema potestas immediatè residet in ipsâ communitate; non justè igitur ab aliquâ personâ particulari obtineri potest, nisi ei ab ipsâ communitate tribuatur. — 2^o Ex ingenio, si accedat virtus, ac præsertim prudentia, aliquis est quidem ad gubernandum optimè idoneus, quin tamen inde jus ullum propriè sortiatur. Et ratio est quia homines, quanquam ingenio, virtute divitiisque dispares, suâ tamen fruuntur autonomiâ, suntque sub eo res-

(1) « Omnis domus regitur ab aliquo antiquissimo, sicut a patrefamilias reguntur filii. Et exinde contingit quòd etiam tota vicinia, quæ erat instituta ex consanguineis, regebatur, propter cognationem, ab aliquo qui erat principalis in cognatione, sicut civitas regitur a rege. Ideo autem hoc regimen a domibus et vicis processit ad civitates, quia diversi vici sunt sicut civitas dispersa in diversas partes... Sic ergo patet quòd regimen regis super civitatem vel gentem processit a regimine antiquioris in domo, vel vico. » (*In I Polit.*, lect. 1^a).

pectu æquales; at, sublato jure positivo, causa non est cur ex multis æqualibus potius unus quam alter dominetur.

PROB. 2^a PARS contra paucissimos divini juris haud sinceros interpretes, quibus opinio est ab ipso Deo eligi ac designari quem velit regnare; huic opinioni favere videtur Bossuetius. (*Polit. tirée de la Sainte Écriture*, l. VII, a. 6).

Et id quidem nonnunquam apud Judæos contigit, quoniam theocratia regebantur; v. g. Saul et David ab ipso Deo in reges designati sunt. At id extraordinarium fuit et supernaturale; nam juxta ordinariam communemque providentiam, in rebus politicis, homines naturali ratione reguntur. Porro nec ratione ullâ, nec revelatione probatur societatum rectores a Deo immediatè designari. Enimvero, quia politicum gubernium est quid merè naturale, formam ejus determinandam et designandos rectores Deus relinquit societati.

Pulchrè D. Paulum interpretatur S. Chrysostomus: « Non est potestas nisi a Deo. — Quid dicis? Ergo omnis princeps a Deo constitutus est? — Istud non dico. Non enim de quovis principe mihi sermo est, sed de re ipsâ, i. e. de potestate. Nam quòd principatus sint, et quòd alii imperent, alii subjecti sint, neque omnia casu ac temerè ferantur, populis, quasi fluctibus, hinc et inde circumactis, divinæ sapientiæ opus esse dico. Ideo non dixit: Non enim est princeps nisi a Deo; sed de re ipsâ loquitur, dicens: Non est potestas nisi a Deo; quæ verò sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt. » (*In Epist. ad Rom.*, homil. 23).

218. Corollarium. *Licet subjectum potestatis ex multitudinis consensu regulariter designetur, diversus potest esse ille consensus, nimirum explicitus aut implicitus, actualis aut virtualis.*

Si directè eligatur a multitudine princeps vel alius rector, adest consensus explicitus et actualis. — Si autem, ut in hæreditariâ monarchiâ lege cautum est, auctoritatis transmissio habeatur per successionem, adest consensus virtualis; siquidem eo ipso quod aliqua gens probat jus hæreditarium, virtute eligit omnes qui vi hujus juris postea regnaturi sunt.

219. Assertio 3^a : *Monarchia temperata est in se melior forma regiminis.*

Probat, quia majorem civitati stabilitatem, *traditionibus* servatis, conciliat, majorem quinimo fovet libertatem, quatenus digniorem ac firmiorem facit auctoritatem ac protegit civitatis unitatem, dum partium dissensionibus et multorum ambitioni aditum præcludit.

Merito D. Thomas: « Optimum regimen multitudinis est ut regatur per unum; quod patet ex fine regiminis qui est pax. Pax enim et unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus quàm multitudo. » (*Cont. Gent.* l. 4, c. 76; de *Regim. princip.*, l. 1, c. 2; 1^a, q. 103, a. 3; cf. et Zigliara, *Ethicæ* 2^a pars, l. 2, c. 2, a. 8-10).

Id porrò maximè verum est de magnis populis, apud quos unitas difficilius servari potest, nisi auctoritas sit fortior, ac proinde non divisa, sed in uno densata.

220. Nec *objectioni* est quod vi hereditatis haberi possunt quidam reges ingenio mediocres, vel etiam ad vitia proni. Hæc enim incommoda maximè fovet electio, nedum removeat. Electores enim sæpe virtute aut libertate, sæpius scientiâ carent; unde alii facillimè decipiuntur, alii verò passionibus vel commodis privatis indulgent, sicque non quàm optimos, sed vel malos, vel maximè mediocres eligunt, si modò linguâ polleant, iis blandiantur et sint largi promissores. Res quotidie probatur, experienciâ populorum apud quos viget *suffragium*, ut vocant, *universale*.

221. Dixi *monarchia temperata*, non autem *absoluta*; scilicet monarchia quæ, ut in Ecclesiâ catholicâ mirari licet, *aristocratia* et *democratia* temperetur. « Talis est, ait D. Thomas, omnis politia benè commixta ex *regno*, in quantum unus præest, ex *aristocratia*, in quantum multi principantur secundum virtutem, et ex *democratia*; i. e. potestate populari, in quantum ex popularibus eligi possunt principes, et ad populum pertinet electio principum. » (1^a 2^a, q. 105, a. 1, c).

Quo posito, *vires omnes* societatis ad bonum commune conferunt; cùmque « omnes aliquam habeant partem in prin-

cipatu, conservatur pax populi et omnes talem ordinationem amant et custodiunt. » (*Ibid.*).

222. Dixi 2^o *monarchia temperata*, non autem *parlamentaria*, ita ut princeps *regnet*, ut aiunt, sed minimè *gubernet*, ac tota gubernatio ad parlamentum pertineat. Oportet enim ut rex *partem*, imò *initiationem* propriam habeat in ferendis legibus, ac nulla lex decerni valeat, nisi ipso annuente. Sæ tamen erunt *parlamentario* partes, juxta regni *constitutionem*, non solum quòd attinet ad *tributa* decernenda (quæ res propriè ad *parlamentarium* spectat) sed etiam quòd spectat *generatim* ad potestatem legislativam. Hæc igitur *divisa* erit inter principem et parlamentum, et utriusque necessarius erit consensus. Quòd si fortè inter utrumque accidat dissensio relativè ad aliquam legem *novam* ferendam, ea lex decerni non poterit et interim gubernabitur natio juxta leges existentes.

Cæterum, omnes concedunt posse parlamentum a principe dissolvi, si necessarium fuerit, ut fiat ad populum appellatio.

Rursus præstat parlamenti potestatem dividi inter *senatores* ac *legatos* (*députés*), ut leges maturius præparentur ac temperatius ferantur. Porrò multi merito vellent *senatores* potissimum deligi ad representandum varios gentis *ordines* et utilitates regni permanentes.

223. Dixi 3^o *monarchia in se melior est*; quia *practicè* ea cuique populo melior est forma gubernii quæ magis respondet illius ingenio, indoli, moribus ac præsertim *historiæ*; unde in Americâ et Helvetiâ *democratia* melior videtur monarchiâ. Quare falluntur qui ad aliquam gentem transferre volunt gubernium alius gentis, licèt alia differat ab aliâ, *historiâ* et ingenio.

224. Assertio 4^a : *Suffragium universale, si admittatur, aliquo modo temperari debet.*

Probat, quia nisi temperetur, 1^o singuli cives, quantumvis scientiâ, prudentiâ, virtute aut divitiis inæquales, eadem jura et eandem vim in gubernio habebunt, quòd æquitati repugnat; — 2^o representabitur solus *numerus*, non autem

variæ civitatis utilitates quæ in eâ maximam vim habent, scilicet variæ utilitates *morales ac religiosæ, intellectuales et æconomicae*. — 3^o legum latores sic electi scientiâ, sapientiâ et rerum experienciâ rarò erunt insignes, sed contra sors gubernii a numero pendeat, vel ab oratorum facundiâ, quæ duo posteriora incommoda quam sæpe accidant, et quanto boni *communis* detrimento, recens testis est historia.

225. *De variis modis quibus temperari posset suffragium universale.*

1^o Quidem per *hereditariam* monarchiam, quæ suffragii popularis mobilitatem moderatur, servando gentis *traditiones*, prohibendo ne *omnia* semper in controversiam adducantur ac fluctuent, et continendo studia partium; — 2^o etiam in democratiâ, per *repræsentationem minoris numeri*, scilicet variis *opinionibus* aliquam tribuendo repræsentationem, pro numero fautorum uniuscujusque; — 3^o per suffragium, ut dicunt *multiplex*, ita ut *quidam* multiplex habeant suffragium, v. g. patresfamilias, et qui scientiâ eminent, et qui certis divitiis gaudent; sic fit in Belgio; — 4^o per repræsentationem *variorum civitatis ordinum*, scilicet sacerdotum, militum, magistratum, agrorum, industriæ et commercii cultorum, et operariorum pro variis operum generibus, ita ut quæque professio posset repræsentari per quosdam deputatos a se electos; — 5^o demum per *referendum* pro *raris ac majoribus* quibusdam quæstionibus, positis tamen extra res propriè *politicas* aut spectantes ad *administrationem*; v. g. pro quæstionibus spectantibus ad libertatem scholarum, vel ad quasdam majores impensas certis operibus novis necessarias. Porrò in Helvetia latiùs patet, et recurritur ad suffragia populi ut declaret an legem quamdam quæ suis gubernatoribus placuit, habere velit ratam, aut contra irritam; qui recursus non raro malis legibus obstaculo fuit.

226. *Suffragium universale non est jus, sed potiùs concessio.*

Probatur quia singuli cives habent quidem jus ut benè gubernentur, non autem ut ipsi gubernent, nec ut concurrant ad gubernationem, cum id minimè postulet bonum commune. *Confirmatur*, quia res *politicae* sunt præ omnibus aliis

complexæ et difficiles, et ideo multum *scientiæ, prudentiæ, sagacitatis, integritatis* et amoris reipublicæ exigunt; quæ omnia in multitudine reperiri non queunt; unde populus discernere generatim non potest a quibus meliùs repræsentabitur utilitas generalis, cum ipse non discernat in quo ea reponenda sit. Accedit quòd mobilitas ipsa suffragii popularis, ne loquamur de illius venalitate, persæpe impedimento est *constantiæ et traditioni*, quam expostulat utilitas permanens gentis.

227. Hinc sapienter D. Augustinus, quem probat D. Thomas: « Si populus sit benè *moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos*, rectè lex fertur, quâ tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos respublica administretur. Porrò si paulatim idem populus depravatus habeat *venale suffragium*, et regimen flagitiosis committat, rectè adimitur populo talis potestas dandi honores et ad *pauco- rum bonorum redit* arbitrium. » (*De lib. arbit.* l. I, c. 6).

§ II. — *Utrum gubernator jure semel electus a multitudine amoveri valeat.*

228. *Errores.* Juxta Rousseau, potestas residet penes solam multitudinem *proprio et inamissibili* jure. Nam civis quisque essentialiter liber est, ac libertate suâ in gratiam alterius spoliare se nequaquam potest. Sed jura sua cedit communitati, quæ illa vel principi, vel senatui delegat. Quo facto, summum imperium ita retinet, ut princeps vel præses electus non nisi *mandatarius* sit populi, ab eo, quoties voluerit, *validè et licitè* revocabilis. (*Contrat social*, l. I, c. 6).

Genevensi philosopho plausère multi recentes, fautores *suprematiæ* populi, juxta quos princeps *sin licitè*, at saltem *validè*, semper a populo amoveri potest.

229. *Assertio*: *Non remanet penes multitudinem imperii summa, sed transit ad gubernatorem semel electum; is autem ab eâ pro nutu nequit amoveri.*

Prob. 1^a pars 1^o ex falsitate fundamenti quo nititur J.-J. Rousseau. Et sane unusquisque pollet essentialiter libertate *psychologicâ et morali*, eamque in nullius gratiam alienare

potest, quia sequitur naturam hominis rationalem ac moralem. At longè aliter se res habet de libertate *politica*, quippe quæ minimè spectat ad naturam hominis, et eam quisque alienare potest, ut regatur ab altero. — Quin etiam, homo non nascitur præditus libertate politica; siquidem, ut in societate domestica, ita in societate civili nascitur, cui naturaliter subicitur in ordine politico, sicut subjacet auctoritati paternæ, quod attinet ad res domesticas.

2º *Ex falsitate consecratorum quæ trahit ejus opinio.* Si enim penes populum remanet imperii summa, leges omnes a liberâ ejus acceptione jam pendent, nec tenetur ad obediendum legitimo gubernatori, nisi pro suo libitu. Sed hoc posito, enervatur penitus vis legum. Hinc damnata est ab Alexandro VIII Pontifice *M.* propositio sequens: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non accipiat legem a principe promulgatam.*

Præterea, perpetuis jam mutationibus ac perturbationibus laboret societas necesse est. Ipsum enim subjectum supremæ potestatis ad nutum revocabile est; quidquid instituit hesternus dies, eodem jure sequens dies delere potest; homines quippe cito mutantur; aliis alii succedunt quibus diversa placent, et multitudinis voluntas, ex quâ omnia jam pendent, non nisi in inconstantia suâ constans sibi est. Quo posito, nutant omnia et impossibilis evadit consecutio boni socialis, quod nisi constantiâ *consiliorum* et *rectionis* nequit obtineri.

Prob. 2ª pars, scilicet electo semel a multitudine gubernatore, ad illum transire auctoritatem politicam.

Etenim multitudo *debet* in gubernatorem suam conferre auctoritatem, posito quòd eam prius habuerit. Et ratio est, quia ipsa per se ipsam exercere non valet diversa supremæ auctoritatis munera, nimirum potestatem *legislativam*, *judiciariam* et *executivam*. Hæc enim munera sapientiam, prudentiam, scientiam, constantiam simul et otia expostulant, quibus non fruitur multitudo. — Accedit quòd multitudo *convenire non posset in unum* ad ferendas, ac præsertim ad *iniciandas* varias leges, et regendos subditos.

Confirmatur notione societatis. Ex dictis (n. 135), societas ex duplici constat elemento, ex multitudine scilicet, quæ est elementum *materiale* et *gubernatum*, et ex auctoritate, quæ est elementum *formale* et *gubernans*. Porrò quemadmodum in corpore physico præest caput ac regit, membra autem moventur aque reguntur, ita in corpore morali, quod societatem vocant. At fictio adversariorum adstruit corpus in quo idem sunt membra et caput, gubernator et gubernati.

Prob. 3ª pars, nempe gubernatorem electum a multitudine, nec licitè, nec validè amoveri posse ad nutum.

Non licitè; propterea quòd ut quivis homo, ita etiam multitudo tenetur ad agendum juxta normas rationis et morum. Porrò revocatio principis ad nutum et sine causâ, rationi et morum normis aperte adversatur.

Non validè; actus enim ille non valet qui non est in jure agentis. Sed merè arbitraria principis revocatio non est in jure populi; quippe jam probavimus, electo semel principe, non remanere penes populum imperii summam, eamque contrâ, in principem necessariò conferri. Porrò quod datum est, repeti minimè potest; ac valet apud omnes axioma juris nostri: *Donner et retenir ne vaut.*

Confirmatur, quia inter populum ac principem legitime electum viget contractus, ut aiunt, *synallagmaticus*; cujus ea ratio est ut utrumque *æquè* obliget, atque ab alterâ parte rescindi haud valeat, si altera pars obligationi suæ faciat satis. Nec desunt exempla: v. g. mulier quæ virum ducit, subjicit se auctoritati viri quem elegit ipsa; item, si dux aliquis a militibus suis eligeretur, ipsis postea merito imperaret, non milites duci (*supra* n. 220). *Semel itaque jussit populus, semper parat.*

§ III. — Quomodo populus se habere possit aut debeat erga tyrannum et usurpatorem?

230. Tyrannus dici potest qui *gubernium convertit in bonum sibi proprium, nedum illud ordinet in bonum commune, et subditos suos injustè verat.*

Porrò certum est posse subditos, imò verò *debere* tyranni legibus haud parere, si quid præcipiant juri naturali aut divino contrarium, et ita uti resistentiâ quam *passivam* vocant. In eo enim casu leges injustæ ac perversæ sunt, et proinde non habent rationem legis.

At queritur utrum liceat uti resistentiâ activâ, scilicet utrum liceat tyrannum ejicere?

231. Porrò tenent omnes id non licere, si tyrannis fuerit *tolerabilis*, si nempe, quanquam inferat injuriam bono publico, non tamen ita ultra limites excedat, ut non stet cum sufficienti rerum tranquillitate. Ratio est quia majora mala et majores perturbationes exsurgerent pro populo ex bello contra tyrannum suscepto, quam ex illius tolerantia.

232. Adhuc certum est nulli *privatæ* personæ licere proprio Marte ac nutu contra tyrannum insurgere, quæcumque sit ejus tyrannis. Ut enim argumentatur D. Thomas: « Esset hoc multitudini periculosum et ejus rectoribus, si privata præsumptione aliqui attentarent præsidium necem, etiam tyrannorum: plerumque enim hujusmodi periculis magis exponunt se mali quam boni. Malis autem solet esse grave dominium non minus regum, quam tyrannorum... Magis igitur ex hujus præsumptione immineret periculum multitudini de amissione regis, quam remedium de subtractione tyranni. » (*De Reg. Princip.*, l. I, c. 6). — Cæterum, privata persona nullam per se *jurisdictionem* in gubernatorem habet, ac proinde de illo judicare nequit.

233. Utrum verò *multitudo* seu *ipsa gens* insurgere possit in tyrannum, cujus tyrannis *intolerabilis* est, quæstio non *speculativè* quidem, sed *practicè* multas difficultates movet. Nam *speculativè* dubium non est quin tyrannus iste dignus sit qui a populo amoveatur; siquidem contra fœdus omne ac jus gravissimè vexat multitudinem.

At *practicè* illæ requiruntur conditiones, quas implere admodum difficile est. Requiritur enim, ex unâ parte, ut nulla alia via suppetat tyrannum adducendi ad meliores fruges, et, ex alterâ parte, ut certò *constet* minores ex revoca-

tione quam ex *tolerantiâ* tyranni secuturas esse perturbationes: id enim et *in præsentem* graves in multitudine dissensiones ac tempestates excitat, et in futurum viam novis aperiit seditionibus. — **Nonnulli** doctores putant, his positis conditionibus, licere *multitudini* amovere tyrannum, si ad jus illius pertineat sibi de *rege* providere, etiamsi ei antea in perpetuum sese *subdidisset*; ita sentire videtur D. Thomas (*De Regim. Princ.*, l. I, c. 6, et 2^a 2^o, q. 42, a. 2, ad 3); ita etiam Suarezius (*Disp. 13, de Bello*, sect. 8^a).

Alii negant *multitudini* licere ut in tyrannum insurgat, quia ipsis opinio *est bellum* istud *practicè* plus nocere quam favere majori *nationis* bono; unde volunt in his rerum adjunctis ad solum *Deum* recursum patere precibus, ut ipse remedium citius *afferat* societati.

SS. Leo XIII, in *Encycl. Quod Apostolici muneris*, hæc nuper habebat: « **Si** tamen quandoque contingat temerè et ultra modum *publicam* a principibus potestatem exerceri, catholica *Ecclesiæ* doctrina in eos insurgere *proprio Marte* non sinit, ne *ordinis* tranquillitas magis magisque turbetur, neve *societas* majus exinde detrimentum capiat. Cùmque res eò *devenerit ut nulla alia spes salutis affulgeat*, docet *christianæ patientiæ* meritis et instantibus ad Deum precibus *remedium* esse maturandum. »

234. II. *Usurpator* dicitur, qui per fraudem aut per vim arripit imperium, *ab alio legitime possessum*. Quod gubernii genus vocatur *gubernium facti*, ut distinguatur a *gubernio juris*.

235. *Queritur quomodo populus erga ipsum se habere debeat?*

1^o Porrò in ipso *usurpationis* actu, violentiam reipublicæ infert usurpator, ac proinde ab eâ vi repelli potest, imo debet, sicut quisvis invasor injustus, quin etiam præ aliis nocivus.

2^o Quod si verò **non** fuerit initio expulsus, imò deinde imperium tranquillè *possideat*, nullum tamen ex *solâ* tranquillâ possessione *titulum* legitimum acquirat, quia diuturnitas *injustæ possessionis* ex se peccatum non minuit, sed

auget. Unde, si, ex unâ parte, supersit legitimus princeps, et, ex alterâ parte, usurpator sine magnâ perturbatione rerum et civium expelli possit, civitati jus est contra illum insurgendi.

3° Si contra usurpator faveat reipublicæ bono, nec possit amoveri sine nimîâ tempestate, majus reipublicæ bonum, quod eo in casu lex est, vetat ne contra illum liceat insurgere, ac jubet ut patienter feratur, donec, mutatis fortè circumstantiis, legitimus princeps commodè valeat sua repetere jura. — At interea servandæ sunt leges ab usurpatore latae, si justæ in se fuerint; alioquin nimium discrimen pateretur civitas.

4° Demum si vel exstingeretur legitima dynastia, vel, temporum tractu, novum gubernium eas in gente haberet radices, ut jam minimè posset avelli, ei, non ex ipsâ quidem possessione, sed ex bono publico titulus *indirectus* accedere valeret.

CAPUT III

DE SOCIETATE UNIVERSALI QUÆ VIGET INTER DIVERSAS GENTES AD INVICEM COMPARATAS

236. I. *Hujus societatis notio, necessitas et varia jura.*

1° Sicut varii homines conveniunt in societatem aliquam *particularem*, quam *gentem* vocant, ita variæ gentes, universim sumptæ, formant ex congregatione suâ societatem quamdam *internationalem*, quæ ex ipso genere humano componitur. Hæc societas *culmen* est statûs socialis ad quem homo naturâ suâ destinatur. Nam ut familia non sufficit explendis variis hominis necessitatibus, ita nulla est societas politica quæ sibi ipsi omnino sufficiat; sed aliæ aliis indigent

vel ad *melius* esse, vel etiam quandoque ad *necessitatem* (1).

2° Ex mutuis gentium relationibus enascuntur certa *jura officiaque*. Hæc porrò jura et officia quæ gentes habent aliæ ad alias, *juris gentium* nomine veniunt (2). Sed jus gentium duplex distinguitur, aliud quidem *naturale et primarium*, aliud verò *positivum et secundarium*. Prius amplectitur omnia justitiæ et caritatis jura et officia quæ ad invicem habent diversæ nationes, et quæ in ipsâ rerum *naturâ* nituntur, aut saltem cum eâ *proximè* connectuntur. Posterius comprehendit jura et officia *mutua* gentium, ad quæ ipsæ *liberè* se invicem obligant certis *conventionibus* aut *fœderibus*. De priore solum breviter loquemur.

237. II. *De indole et objecto juris gentium naturalis.*

1° Ut singuli homines ad invicem habent justitiæ et caritatis officia, ita et diversi populi. Nam humanum genus in varios quidem populos dividitur, sed habet nihilominus aliquam *unitatem* sive *specificam*, sive *moralem* et quasi *politicam*. Oportet igitur *naturale* justitiæ et amoris præceptum, ad omnes etiam *extraneos* extendi, cujuscumque fuerint nationis.

2° Attamen advertere licet jus internationale gentium, multis in casibus particularibus, non eâ quâ jus privatum evidentiâ pollere. Hinc est cur non paucas passum fuerit mutationes, aut *dissimiles* interpretationes, pro variis temporibus; quanquàm *id* potiùs dicitur de jure positivo, sed partim etiam de *secundariis* juris gentium naturalis præceptis dici potest.

Porrò de officiis *caritatis* minor est difficultas; officia autem quæ ad *justitiam* inter gentes servandam spectant

(1) Apud paganos varii populi erant alii aliis alieni, imò sæpe hostiles. At religio catholica eos mirè *sociavit* ob communem eorum originem ac finem; hinc omnes *christianitate* inter se devincti sunt; quæ populorum *cognatio* tandiù floruit quamdiù ipse christianismus; exorto verò protestantismo et deinde *rationalismo*, paulatim imminuta est.

(2) Legi possunt Lucien Brun, *Introd. à l'étude du droit*, 3^e confér., et le duc Albert de Broglie, *La diplomatie et le droit nouveau*.

auget. Unde, si, ex unâ parte, supersit legitimus princeps, et, ex alterâ parte, usurpator sine magnâ perturbatione rerum et civium expelli possit, civitati jus est contra illum insurgendi.

3° Si contra usurpator faveat reipublicæ bono, nec possit amoveri sine nimîa tempestate, majus reipublicæ bonum, quod eo in casu lex est, vetat ne contra illum liceat insurgere, ac jubet ut patienter feratur, donec, mutatis fortè circumstantiis, legitimus princeps commodè valeat sua repetere jura. — At interea servandæ sunt leges ab usurpatore latae, si justæ in se fuerint; alioquin nimium discrimen pateretur civitas.

4° Demum si vel exstingueretur legitima dynastia, vel, temporum tractu, novum gubernium eas in gente haberet radices, ut jam minimè posset avelli, ei, non ex ipsâ quidem possessione, sed ex bono publico titulus *indirectus* accedere valeret.

CAPUT III

DE SOCIETATE UNIVERSALI QUÆ VIGET INTER DIVERSAS GENTES AD INVICEM COMPARATAS

236. I. *Hujus societatis notio, necessitas et varia jura.*

1° Sicut varii homines conveniunt in societatem aliquam *particularem*, quam *gentem* vocant, ita variæ gentes, universim sumptæ, formant ex congregatione suâ societatem quamdam *internationalem*, quæ ex ipso genere humano componitur. Hæc societas *culmen* est statûs socialis ad quem homo naturâ suâ destinatur. Nam ut familia non sufficit explendis variis hominis necessitatibus, ita nulla est societas politica quæ sibi ipsi omnino sufficiat; sed aliæ aliis indigent

vel ad *melius* esse, vel etiam quandoque ad *necessitatem* (1).

2° Ex mutuis gentium relationibus enascuntur certa *jura officiaque*. Hæc porrò jura et officia quæ gentes habent aliæ ad alias, *juris gentium* nomine veniunt (2). Sed jus gentium duplex distinguitur, aliud quidem *naturale et primarium*, aliud verò *positivum et secundarium*. Prius amplectitur omnia justitiæ et caritatis jura et officia quæ ad invicem habent diversæ nationes, et quæ in ipsâ rerum *naturâ* nituntur, aut saltem cum eâ *proximè* connectuntur. Posterius comprehendit jura et officia *mutua* gentium, ad quæ ipsæ *liberè* se invicem obligant certis *conventionibus* aut *fœderibus*. De priore solum breviter loquemur.

237. II. *De indole et objecto juris gentium naturalis.*

1° Ut singuli homines ad invicem habent justitiæ et caritatis officia, ita et diversi populi. Nam humanum genus in varios quidem populos dividitur, sed habet nihilominus aliquam *unitatem* sive *specificam*, sive *moralem* et quasi *politicam*. Oportet igitur *naturale* justitiæ et amoris præceptum, ad omnes etiam *extraneos* extendi, cujuscumque fuerint nationis.

2° Attamen advertere licet jus internationale gentium, multis in casibus particularibus, non eâ quâ jus privatum evidentiâ pollere. Hinc est cur non paucas passum fuerit mutationes, aut *dissimiles* interpretationes, pro variis temporibus; quanquàm *id* potiùs dicitur de jure positivo, sed partim etiam de *secundariis* juris gentium naturalis præceptis dici potest.

Porrò de officiis caritatis minor est difficultas; officia autem quæ ad *justitiam* inter gentes servandam spectant

(1) Apud paganos varii populi erant alii aliis alieni, imò sæpe hostiles. At religio catholica eos mirè sociavit ob communem eorum originem ac finem; hinc omnes *christianitate* inter se devincti sunt; quæ populorum *cognatio* tandiù floruit quamdiù ipse christianismus; exorto verò protestantismo et deinde *rationalismo*, paulatim imminuta est.

(2) Legi possunt Lucien Brun, *Introd. à l'étude du droit*, 3^e confér., et le duc Albert de Broglie, *La diplomatie et le droit nouveau*.

maximi sunt momenti. Sunt præsertim *negativa*, et in id maximè conspirant, ut variæ gentes sibi invicem nihil afferant detrimenti. Quamobrem lædunt justitiam aliis debitam, si quæ fortè aliarum bonis physicis, intellectualibus, moralibusve quomodolibet noceant per varias machinationes vel clanculas insidias, a fortiori si *bellum* sine causâ contra illas aggrediantur (1).

238. III. *Declaratur autonomia singularum gentium.*

Primarii principii loco habeatur singulas gentes, hæud secus atque singulos homines, propriâ frui *personalitate*, et eadem *independenti* necnon *inviolabili*. — Sanè quidem inter varios homines multum est discriminis quoad jura quæ nituntur in eorum diversitate, quantum attinet ad ingenium, virtutem, divitias, munera vel functiones, et sexcenta id genus. Si autem diversi homines æquales non sunt relativè ad jura quæ hominem sequuntur, quatenus est *is* homo, tamen æquales sunt relativè ad omnia jura quæ hominem sequuntur quatenus est *homo*, quæque fundantur in *æqualitate* humanæ naturæ.

Porrò idem dixeris de variis *gentibus* inter se comparatis. Aliæ quidem sunt majores, ac civium numero, vel divitiis aliisque id genus viribus alias antecellunt, et idcirco jura plura habent. Minores tamen suâ etiam personalitate, suâque fruuntur *autonomiâ*, et ab aliis hæud pendent, quatenus nationes. Quocirca aliæ aliarum *independentiam* atque *autonomiam* agnoscere debent, nec quidquam adversus eam machinari possunt, nisi violatæ justitiæ notam incurrere velint.

239. IV. *De principio non-interventûs.*

Ex quibus colligitur gentes diversas in aliarum res *privatas* sese *intromiscere* non debere; alioquin læderent jus quod

(1) « Ad hoc quòd aliquod bellum sit *justum*, ait D. Thomas, tria requiruntur: 1º *Quidem auctoritas principis*, cujus mandato bellum est gerendum... 2º *Causa justa*; ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur... 3º *Intentio bellantium recta*; quæ scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. » (2ª 2ª, q. 40, a. 1, c).

quæque gens habet ad seipsam, independenter ab aliis et proprio Marte, administrandam. *Excipe*, si qua fortè natio ita suas res ageret, ut alteri nationi proximè et *directè* esset periculo: nulla enim habet jus ad periculum propriis aliarum nationum bonis intentandum.

Imò etiam, certis in rerum adjunctis, *debent* quædam gentes, pro posse suo, intervenire ut aliis opem ferant; v. g. si ab aliquâ gente injustè invadantur, vel civili bello ita conflagent, ut ab eo eripere sese non queant, maximè autem si vicem earum implorent.

Quapropter *absurdum* dicendum est, si *absolutè* sumatur, principium *de non-interventu*, a recentibus quibusdam *politicis* excogitatum, et a multis celebratum. At illud SS. Pius IX his verbis reprobavit: « Abstinere non possumus quin deploremus funestum ac perniciosum principium quod vocant *de non-interventu*, a quibusdam guberniis non ita pridem, cæteris tolerantibus, proclamatum, et adhibitum etiam cum *de injustâ* alicujus gubernii contra aliud aggressionem agatur; ita ut quædam veluti impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi jura aliena, proprietates ac ditiones ipsas, contra divinas humanasque leges, sanciri videatur. » (*Alloc. in consist. secret*, 28 sept. 1860). — Damnata quoque est ea *Syllabi* propositio: *Proclamandum est et observandum principium quod vocant de non-interventu* (§ 7, n. 62).

Adjice principium illud *rationi* etiam adversari. — 1º Sanè quidem, homo aliquis alteri injustè oppresso debet eam quam potest opem ferre, nisi velit deesse *caritati* quam innocenti debet. Porrò diversæ gentes officiis iisdem inter se devinciuntur quibus singuli homines. — 2º Advertant etiam eæ gentes quæ alias a fortiore opprimi impunè sinunt, sibi ipsis parari proximæ irruptionis et occupationis vicem, si fortè res tulerit. Lectio hæc in recenti populorum historia manifesta declaratur.

240. V. *De causâ injuriarum quas patiuntur gentes, præsertim minores.*

Cum aliquis homo, in societate degens, injuriam ab altero

patitur, *judices* appellat qui de lite pronuntient vindicent-que innocentis jura. Cùm autem aliqua gens ab aliâ impugnatur, *judices* appellare nequit, quia deest *superius* tribunal ad quod valeat causa deferri; siquidem diversæ nationes *autonome* sunt, et hanc ob causam, ita aliæ ab aliis independentes, ut alia de aliâ judicare non possit. — Inde crebræ illæ inter populos injuriæ et deprædationes quas historia refert, dum majores in minores gentes ruunt suoque subjungant imperio. Hinc tolluntur de medio parvæ nationes, nec supersunt nisi duo vel tria ingentia imperia, quæ si forsitan inter se convenerint, nulla erit in orbe *libertas*, si dissidiis laboraverint, nulla *pax*, ac bellum tantum patebit, quantum orbis ipse.

Attamen necesse est *plures* in mundo esse distinctas et *inequales* gentes, alias majores, minores alias: hanc enim diversitatem in ipsis individuis hominibus inventas. — Et hæc respondet tum *universali* nature legi, tum *diversorum* inæqualitati locorum, tum *ingeniorum* morumque discrepantiæ, tum *singulorum* libertati et paci. — Restat igitur inquirendum quo pacto stare queat *diversarum* independentia nationum, atque ita solvi problema *liberæ* illarum *coexistentiæ*.

244. VI. *Falsæ opinioniones de modo tuendi gentium autonomiam.*

Tres præ aliis famam recens obtinere.

Prima propugnat *unicam* *populi* voluntatem, suffragiis manifestatam: quippe sola multitudo *supremam* auctoritatem possidet. Quare potest, quoties vult, quoslibet contractus ac leges rescindere, et *foedera* etiam *solemnia*, a variis guberniis inita sancitaque. Potest quoque varias *annexiones* (*annexions*) aut proponere futuras, aut factas probare.

Sed hæc *perperam* asseruntur. Nam 1º multitudo est *judex* ineptus ad componendas arduas lites, sive quòd *sapientiâ* debitâ caret, sive quòd *incredibili* agitur *mobilitate*, sive quòd *passionibus* ac *partium* studio trahi vehementer solet, sive quòd *suffragia* *ejus* vel *post consummata facta* *exquiruntur*, vel *prius emuntur*, aut etiam *vi* extorquentur, si res

ferat; inde lata via iniquis deprædationibus quæ sub ementitâ voti populorum specie, vim juris habere præfractè asseruntur. — 2º *Fœdera* semel sancita vim obtinent contractûs *synallagmatici*, ac proinde non minùs populos quàm reges obligant; ex quo fit ut nec *licitè*, nec *validè* rescindi valeant, nisi ex eorum *omnium* consensu a quibus inita fuerunt, posito quòd *injustitiâ* non laboraverint.

Secunda sententia tuetur principium *nationalitutum*, gallicè *principe des nationalités*, vi cujus eæ gentes inter se coadunari debent quæ conveniunt *nationalitate*. *Nationalitas* autem ex quinque constat elementis, ex genere (*la race*), ex locorum situ, *historiâ*, moribus, ac religione.

Porro, libenter concedimus elementa hæc ab ipsâ naturâ oriri, atque, si omnia secum unita reperirentur, vinculum aptissimum fore ad aliquam nationem formandam.

Verùm 1º *experientiâ* teste, rarò admodum contingit elementa ista omnia secum uniri; e contrario, separari *solent*, vel quia naturâ suâ multùm *disparia* sunt, vel quia accidunt aut *migrations*, aut *conversiones* *religiosæ*, aut *politice* *perturbationes*, et alia ex hoc genere sexcenta. Itaque principium istud *practicè* adhiberi non potest. — Imò verò, si hodie adhiberi vellet, *ingentem* excitaret *discordiam* ac *perturbationem* apud plerosque populos. — 2º *Ansam* etiam non paucis præberet *deprædationibus*, quoniam potentiores gentes ad se minores commodè traherent, sub pretextu aliquo vel generis, vel sitûs locorum, vel *communis* linguæ, vel *morum* aut *religionis*; semper enim unum saltem ex his elementis invocari posset, cæteris quanquam repugnantibus.

Tertia opinio statui vellet *supremum* quoddam *tribunal internationale*, ad quod *variæ* gentium lites deberent deferri, et cujus *sententiæ* pro *singulis* *decretoriæ* forent.

Sed 1º horum *judicium* *electio* *difficilis* admodum videtur; oporteret quippe illos ex variis assumi gentibus, pro cujusque civium numero, et *potentiâ*, et aliis hujusmodi; hinc *multæ* *querelæ*. — 2º *Ortâ* inter aliquas gentes *discordiâ*, *judices* *prædicti* *difficilè* in *sententiâ* *ferendâ* *convenirent*, et quisque vel suæ gentis studio, vel *potentioris* metu, vel aliâ

simili passione duceretur. — 3^o Sententiæ tribunalis istius etiam prolatæ difficilè mandarentur *executioni*, eo quòd sanctio idonea sæpiùs deficeret.

242. VII. *Declaratur verior sententia.*

Hæc eorum est qui recurrunt ad tribunal majus, nempe ad ipsam supremam auctoritatem summi Pontificis, quem institui volunt arbitrum gentium pro *majoribus* quæstionibus; ita plures hodie catholici scriptores, et ipse Leibnitzius, tametsi ex sectâ Protestantium; hunc recens secutus est David Urquhard (1).

Et quidem graves rationes pro illo principio militant: nam summus Pontifex super omnes nationes universalem habet jurisdictionem, est æmulator pacis, judex integerrimus, omnes populos amore prosequens, ac proinde nullo partium studio actus. — Accedit quòd in *ævo medio* præsertim arbitratus ille summi Pontificis et invocatus est, et optimos fructus tulit, nec annorum decursu, vis ejus fuit immutata, ut ipse SS. Leo XIII declaravit (2).

Attamen, diebus nostris, postquam multæ gentes ab unitate catholicâ exularunt, aliæque ægrè ferunt summi Pontificis principatum, arbitratus ille, quanquam *in se optimus*, a multis guberniis aut populis non probaretur.

Porrò, donec ad illum communi consensu recurratur, nulum aliud principium restat ad servandam variarum gentium independentiam, præter illud quod venit nomine *æquilibrii internationalis*. Hoc porrò consistit in duobus: 1^o in statutâ semel tali territorii ac potentiæ partitione, ut multæ existant nationes, satis æquales viribus ad tuendum vel suam, vel minorum nationum independentiam juraque; 2^o statutâ semel eâ territorii ac virium partitione, variæ gentes quæ contractui interfuerunt, fœdere sese obligant ne ulli liceat in posterum eam immutare, nisi ex singularum gentium consensu a quibus fœdus illud sancitum est.

(1) *Appel d'un protestant au Pape pour restaurer la loi des nations*, 1870.

(2) In *consistorio* januarii, die 15, 1886, ubi Leo XIII declaravit optimum exitum sui arbitratus inter Germaniam et Hispaniam.

Requiritur utraque conditio; nam, deficiente primâ, unum et alterum duntaxat ingens imperium in orbe obtinet, summo pacis ac libertatis omnium detrimento. — Deficiente autem secundâ, prima etiam corruat necesse est: unde variarum nationum territorium ac libertas perpetuis mutationibus atque perturbationibus subjacet.

His autem duobus admissis, jam *quantum sinit rerum terrestrium conditio*, justitiæ inter gentes servandæ tutiùs consulitur, et providetur earumdem tranquillæ durationi.

Cæterùm, principium illud non sibi vult nunquam omnino mutandam esse territorii partitionem, inter gentes, sed eam fieri non posse, nisi urgente justâ necessitatis causâ, et ex variarum gentium consensu, ad quas spectat sancitum æquilibrium tueri. — Accedit ipsius historiæ testificatio; cum enim servatum fuit a guberniis hujusmodi æquilibrium, servata quoque est gentium autonomia; sed ex quo in oblivionem venit, mutæ gentium relationes fortissimæ cujusque inter eas arbitrio et ambitioni subjectæ fuerunt.

scilicet per ea vita corporalis sustentatur, et in quantum nobis organicè deserviunt ad actus virtutum... Et ideo, ut ait S. Augustinus, « sufficientiam vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, et non amplius... Et rursus : « Quando mens nostra intendit temporalibus rebus, ut in eis *quiescat*, remanet in eis *depressa*; sed quando intendit eis in ordine ad beatitudinem consequendam, non ab eis deprimitur, sed magis *elevatur sursum* » (2^a 2^æ, q. 83, a. 6, c, et ad 3).

§ IV. — De labore, quatenus est præcipuus fons divitiarum.

248. Labor, œconomicè inspectus, definiri potest *conatus ad aliquam utilitatem materiale afferendam idoneus*. Porro quanquam *natura* et *caput* computandi sunt inter causas utilitatis seu divitiarum, labor tamen primas sibi partes vindicat, quia naturæ et capiti addit fecunditatem; unde diximus, ubi de legitimitate dominii, laborem esse non quidem unicum, sed tamen præcipuum proprietatis comparandæ titulum. Caput verò quamcumque formam induat, sine labore nihil parit.

249. Labor autem duplicis generis distingui solet; alter quidem *fructuosus*, v. g. agricultura, ædificatio domûs; alter verò *sterilis*, v. g. eversio alicujus rei, vel vanæ impensæ, sub inani prætextu favendi, ut aiunt, commercio. Hujusmodi labor, seu *moraliter*, seu *œconomicè* spectetur, vix unquam habere potest unde laudetur, dum labor fructuosus tendit directè ad creandas vel augendas divitias.

250. Labor fructuosus vel *materialis*, vel *intellectualis* esse potest. Et sanè perutiles sunt artes vulgo *serviles*; v. g. labor agricolæ, figuli, textoris, fabri... Sed magna quoque utilitas est, etiam œconomicè, laboris intellectualis, quippe qui et confert ad rectionem laboris manualis, et peragit *inventiones* quibus præsens sæculum merito gloriatur et quibus universa utitur societas; v. g. ut paucos in Galliâ appellem, Cl. Bernard, Chevreul et præsertim Pasteur magis profuerunt societati quàm sexcenti opifices.

Generatim, cùm civitas magnâ operum artiumque varietate egeat, artes omnes probandæ sunt, seu ad necessitates vitæ, seu ad ornamentum et decus civitatis conferant. Sub eo respectu, pro axiomatico politico habenda est *æquivalentia servitorum*.

Inter varias autem artes eæ primum locum merentur, etiam politicè, quæ bonos mores ac religionem docent aut fovent; quale est ministerium sacerdotum; cujus maxima est vis in fortunam societatis.

251. Item principii politici et œconomici loco habendum est varias artes esse non *æmulas*, sed *connexas*, haud secus ac virtutes morales. Nimirum cùm una ex his in periculo est, v. g. agricultura, aliæ quoque damnum aliquod gerant necesse est.

252. Ad laboris fecunditatem plurimum confert ejus temperatio vel organisatio. Ipsa autem a duobus præsertim pendet, *libertate* scilicet et *associatione*. Libertas in eo est ut quisque eligere possit suum laborem vel suam artem, et locum in quo laboret. — Associatio vero varios ejusdem artis operarios jungit et operarios patronis, ut felici admodum exitu fecerunt olim *corporati* pro singulis artibus. Sic junguntur diversæ civitatis vires simulque artium prosperitati et artificum dignitati ac securitati providetur.

Accedat quoque oportet justa Status tutela, non quæ *regat* varias associationes — eas quippe liberas esse necesse est — sed quæ *protegat*, et si opus fuerit, confirmet præscripta quæ corporati instituerunt ad rectam professionis suæ disciplinam.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

QUÆSTIONUM QUÆ IN METHAPHYSICA ET ETHICA SOLVUNTUR

ONTOLOGIA

Præviæ notiones circa Ontologiæ definitionem, præstantiam et utilitatem, historiam ac divisionem..... 1

ONTOLOGIÆ PRIMA PARS

DE ENTE IN UNIVERSUM

CAPUT I. — <i>De notione entis</i>	6
Art. I. — De entis definitione.....	6
Art. II. — De nihilo.....	7
Art. III. — De relatione notionis entis ad alias notiones.....	8
Art. IV. — De primo principio quod nititur in notione entis, scilicet de principio contradictionis.....	10
CAPUT II. — <i>De præcipuis entis divisionibus</i>	12
Prænotanda circa entis divisiones.....	12
Art. I. — De actu et potentia.....	12
§ I. — De notione et variis speciebus actus.....	13
§ II. — De notione et variis speciebus potentia.....	14
§ III. — De relationibus quæ vigent inter potentiam et actum.....	15
Art. II. — De possibili et impossibili.....	17
§ I. — De notione et variis speciebus possibilitatis.....	17
§ II. — De principiis quibus regitur possibilitas.....	18
§ III. — De fundamento in quo nititur.....	18
Art. III. — De essentia et existentia.....	20
§ I. — De notione essentia et existentia.....	21
§ II. — De cognitione essentiarum.....	21
§ III. — De compositione essentiarum.....	22
§ IV. — De illarum necessitate, aeternitate et immutabilitate.....	24
§ V. — De reali discrimine inter essentiam et existentiam.....	25
Art. IV. — De finito, infinito et indefinito.....	28
Prænotanda circa perfectum et imperfectum.....	28
§ I. — De naturâ finiti, infiniti et indefiniti.....	28



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX

QUÆSTIONUM QUÆ IN METHAPHYSICA ET ETHICA SOLVUNTUR

ONTOLOGIA

Præviæ notiones circa Ontologiæ definitionem, præstantiam et utilitatem, historiam ac divisionem..... 1

ONTOLOGIÆ PRIMA PARS

DE ENTE IN UNIVERSUM

CAPUT I. — De notione entis.....	6
Art. I. — De entis definitione.....	6
Art. II. — De nihilo.....	7
Art. III. — De relatione notionis entis ad alias notiones.....	8
Art. IV. — De primo principio quod nititur in notione entis, scilicet de principio contradictionis.....	10
CAPUT II. — De præcipuis entis divisionibus.....	12
Prænotanda circa entis divisiones.....	12
Art. I. — De actu et potentia.....	12
§ I. — De notione et variis speciebus actus.....	13
§ II. — De notione et variis speciebus potentia.....	14
§ III. — De relationibus quæ vigent inter potentiam et actum.....	15
Art. II. — De possibili et impossibili.....	17
§ I. — De notione et variis speciebus possibilitatis.....	17
§ II. — De principiis quibus regitur possibilitas.....	18
§ III. — De fundamento in quo nititur.....	18
Art. III. — De essentia et existentia.....	20
§ I. — De notione essentia et existentia.....	21
§ II. — De cognitione essentiarum.....	21
§ III. — De compositione essentiarum.....	22
§ IV. — De illarum necessitate, aternitate et immutabilitate.....	24
§ V. — De reali discrimine inter essentiam et existentiam.....	25
Art. IV. — De finito, infinito et indefinito.....	28
Prænotanda circa perfectum et imperfectum.....	28
§ I. — De naturâ finiti, infiniti et indefiniti.....	28

- § II. — De origine notionis finiti et infiniti. Probatur ex existentia et notione finiti ad notionem et existentiam infiniti nos assurgere posse, et assurgere reipsa; solvitur objectio..... 29

ONTOLOGIE SECUNDA PARS

DE PROPRIETATIBUS ENTIS TRANSCENDENTALIBUS

Prænotanda circa notionem divisionemque transcendentalium....	33
CAPUT I. — <i>De Unitate</i>	33
Art. I. — De unitate proprie sumptâ.....	34
§ I. — De notione ac speciebus unitatis.....	34
§ II. — De existentia unitatis in quolibet ente.....	35
Art. II. — De identitatis notione ac speciebus.....	36
Art. III. — De similitudine et differentia.....	37
Art. IV. — De notione distinctionis, variisque ipsius speciebus.....	38
CAPUT II. — <i>De Vero et Falso</i>	39
Art. I. — De veritate transcendentali.....	39
§ I. — De veritatis transcendentalis fundamento.....	40
§ II. — De veritatis transcendentalis essentia.....	40
Ea consistit in entitate rerum, ad intellectum relatâ, et primario refertur ad intellectum divinum, secundario ad intellectum humanum.....	41
Utrum veritas una sit, an multiplex; utrum sit primario in intellectu, an in rebus?.....	41
§ III. — De veritatis immutabilitate, contra commenta progressus continui.....	42
Art. II. — De falsitate.....	44
CAPUT III. — <i>De Bono et Malo</i>	45
Art. I. — De bono.....	45
§ I. — De boni naturâ.....	46
§ II. — De boni subjecto.....	46
§ III. — De variis boni speciebus.....	47
Art. II. — De malo.....	47
§ I. — De mali naturâ.....	47
§ II. — De mali subjecto.....	48
§ III. — De mali origine et causâ.....	48
§ IV. — De mali speciebus.....	49
CAPUT IV. — <i>De Pulchritudine</i>	50
Art. I. — De naturâ pulchri.....	50
§ I. — De vi objectivâ pulchri.....	50
§ II. — De principiis et definitione pulchri; ubi et de illius unitate et criterio.....	51
§ III. — De variis pulchri speciebus.....	55
Art. II. — De pulchro subjectivè considerato.....	57
Utrum pulchrum referatur ad appetitum, an ad potentias cognoscitivas? Utrum et quâ ratione a sensibus et intellectu apprehendatur?.....	57

Art. III. — De pulchri expressione seu de arte.....	60
§ I. — De artium naturâ.....	61
§ II. — Quomodo ars habere se debeat ad naturam.....	62
§ III. — De divisione bonarum artium.....	62

ONTOLOGIE TERTIA PARS

DE CATEGORIIS

Prænotanda.....	64
CAPUT I. — <i>De categoriis in universum</i>	64
Art. I. — De divisione seu numero categoriarum.....	64
Art. II. — De relatione inter substantiam et accidentia. Probatur a substantiâ realiter accidentia distingui, ac virtute divinâ sustentari posse in <i>esse</i> , subtractâ eorum connaturali substantiâ.....	66
CAPUT II. — <i>De categoriis sigillatim inspectis</i>	70
Art. I. — De substantiâ.....	70
§ I. — De sincera substantiæ notione variisque notis.....	70
§ II. — Exponuntur ac refelluntur falsæ quædam substantiæ definitiones, ad mentem Lockii, Leibnitzii et Spinosæ.....	72
§ III. — De substantiarum existentia.....	73
§ IV. — De variis substantiæ divisionibus.....	74
Punctum I. — De substantiâ primâ et secundâ.....	74
De principio individuationis substantiarum tum compositarum, tum simplicium; variæ opiniones; verior sententia; objectionum solutio.....	75
Punctum II. — De substantiâ completâ et incompletâ.....	81
Punctum III. — De supposito et personâ; utrum subsistentia sit quid positivum, an mera negatio? utrum sit realiter distincta a naturâ?.....	82
Art. II. — De quantitate.....	85
§ I. — De illius essentia.....	85
§ II. — De illius speciebus.....	86
§ III. — De illius infinitate.....	88
Art. III. — De qualitate.....	88
§ I. — De illius naturâ et proprietatibus.....	89
§ II. — De illius speciebus.....	89
Art. IV. — De relatione.....	90
§ I. — De illius naturâ.....	90
§ II. — De illius speciebus.....	91
§ III. — De existentia et vario genere proprietatis realis.....	92
§ IV. — De proprietatibus relationis realis.....	93
Art. V. — De spatio.....	93
§ I. — Prænotiones circa præsentiam et locum; utrum ens aliquid possit simul esse in pluribus locis?.....	94
§ II. — Recensentur variæ opiniones circa naturam spatii.....	96
§ III. — Refelluntur falsæ opiniones circa naturam spatii, scilicet.....	

cet opiniones Kantii, Leibnitzii, Epicuri et Gassendi, Newtoni et Cartesii.....	98
§ iv. — Probatur sententia scholastica circa naturam spatii.....	100
Art. VI. — De tempore.....	101
§ i. — Recensentur varia systemata circa naturam temporis.....	101
§ ii. — Refelluntur falsa systemata de naturâ temporis, scilicet systemata Kantii, Leibnitzii, Newtoni et Gassendi.....	104
§ iii. — Probatur sententia scholastica de naturâ temporis.....	105
Art. VII. — De sitûs et habitûs categoriâ.....	106
§ i. — De notionè et divisione sitûs.....	106
§ ii. — De habitûs naturâ.....	107
Art. VIII. — De actione et passione.....	108
§ i. — De notionè variorum actionis genere.....	109
§ ii. — De notionè causæ et principii.....	110
§ iii. — De principio causalitatis et rationis sufficientis. Modus quo ejus notitiam comparamus; ejus vis objectiva.....	111
§ iv. — De generali causarum divisione.....	115
§ v. — De variis speciebus causæ efficientis.....	116
§ vi. — De subjecto causæ efficientis, ubi asseritur rebus creatis omnibus vim agendi competere posse.....	119
§ vii. — De causâ finali: ejus notio et variæ species; existentia causarum finalium in universâ naturâ.....	120
§ viii. — De fortuna, casu et fato.....	123

COSMOLOGIA

Præviæ notiones circa definitionem, utilitatem et divisionem Cosmologiæ.....	126
--	-----

COSMOLOGIE PRIMA PARS

SIVE COSMOLOGIA GENERALIS

Ejus materia et divisio.....	127
CAPUT I. — De natura et perfectione mundi.....	128
Mundus est undequaque compositus.....	128
Mundus est mutabilis.....	128
Mundus est contingens.....	128
Mundus est finitus.....	129
Mundus est relative optimus.....	129
Mundus non est absolute optimus.....	129
CAPUT II. — De origine mundi.....	131
Art. I. — De ratione seu naturâ originis mundi.....	131
§ i. — Exponuntur errores.....	131
§ ii. — Declaratur creationis natura.....	132
§ iii. — Declaratur possibilitas, imo convenientia creationis; solvuntur objectiones.....	133

§ iv. — Probatur mundum a Deo creatum esse.....	135
§ v. — Probatur vim creatricem ita Deo propriam esse ut nulla creatura nec propriâ nec instrumentali virtute creare possit.....	138
Art. II. — De tempore creationis mundi.....	139
Deus mundum liberè creavit, nec necesse fuit ut ab æterno crearet.....	140
Mundus reipsa in tempore creatus est.....	141
Creatio ab æterno, in suo generali conceptu inspecta, impossibilis non videtur.....	142
CAPUT III. — De fine creationis rerum.....	144
CAPUT IV. — De legibus mundi aut naturæ.....	146
Art. I. — Notio generalis ordinis, naturæ et ejus legum.....	146
Art. II. — De existentia legum naturæ.....	149
Art. III. — De legum naturæ contingentia.....	149
Art. IV. — De possibilitate derogationis legibus naturæ per miraculum afferendæ.....	151
§ i. — De notionè miraculi.....	151
§ ii. — De variis speciebus miraculi.....	153
§ iii. — De possibilitate et convenientia miraculi; solvuntur objectiones.....	154
§ iv. — De cognoscibilitate miraculi.....	156

COSMOLOGIE ALTERA PARS

SIVE COSMOLOGIA SPECIALIS

Cosmologiæ specialis notio et divisio.....	158
CAPUT I. — De corporibus inanimis.....	158
Art. I. — De præcipuis corporum proprietatibus; prænotanda circa divisionem proprietatum corporearum, earumque vim objectivam.....	159
§ i. — De corporum extensione.....	160
§ ii. — De corporum divisibilitate.....	161
Probatur corpus mathematicum sine fine dividi posse, non vero corpus physicum; solvuntur objectiones.....	162
§ iii. — De corporum impenetrabilitate; utrùm hæc sit corporum proprietas naturalis? Utrùm plura corpora per miraculum penetrari possint?.....	163
§ iv. — De corporum figurâ.....	165
§ v. — De corporum unitate.....	166
§ vi. — De corporum activitate. — Probatur activitatem seu internam, seu externam corporibus competere.....	169
Probatur corporum vim tum ad accidentia, tum ad substantias gi-gnendas porrigi.....	170
Art. II. — De corporum essentia.....	171
§ i. — Recensentur variæ opiniones circa essentiam corporum.....	171
Exponitur atomismus purus necnon chemicus.....	171
Exponitur systema dynamismi aut monadum.....	172

Exponitur systema materiæ et formæ substantialis	173
§ II. — Rejiciuntur falsæ opiniones de corporum essentia.....	177
§ III. — Declaratur veritas sententiæ materiæ et formæ substantialis; solvuntur objectiones	183
CAPUT II. — <i>De vegetabilibus</i>	190
Art. I. — De naturâ vitæ seu spontaneitatis in genere.....	190
Art. II. — De spontaneitate plantarum	191
Art. III. — De operationibus plantarum.....	192
Art. IV. — De naturâ principii vitalis plantarum.....	193
Probatur vegetabilia specificè differre a corporibus inanimis, et principium vitale a materiâ vel organica pullulare hand posse....	193
Art. V. — De unitate principii vitalis et intimâ ejus naturâ.....	196
CAPUT III. — <i>De animalibus</i>	197
Art. I. — De operationibus et potentiis animantium.....	197
Probatur animalibus operationes vegetativas ac sensitivas, non tamen intellectuales competere.....	197
Art. II. — De naturâ animæ belluinae.....	200
Probatur animam belluinam esse unam, eandemque sensitivam simul ac vegetativam.....	200
Probatur animam belluinam esse simplicem, sive partibus carentem.....	201
Probatur eam esse per se indivisibilem, licet possit in animalibus imperfectis, corporis divisione multiplicari.....	201
Probatur eam non esse spirituales aut subsistentem	202
Art. III. — De animæ belluinae origine.....	203
§ I. — Exponuntur variæ opiniones de origine animæ belluinae.....	203
§ II. — Declaratur vera sententia et falsæ rejiciuntur.....	205
Anima belluina non creatur a Deo, sed generatur a parentibus....	205
Rejicienda est theoria generationis spontaneæ necnon transformismi universalis et materialistici.....	205
Rejicienda videtur sententia evolutionis temperatæ.....	208
Art. IV. — De animæ belluinae exitu.....	209
Anima belluina, soluto corpore, interit, quatenus per accidens deficit.....	209
CAPUT IV. — <i>De colligatione et nexu diversorum mundi entium</i>	210
Prænotanda circa varietatem et connexionem rerum mundanarum.....	210
Art. I. — De nexu essentialium et formarum.....	211
Admittenda est colligatio rerum mundanarum, prout a scholasticis exponitur	212
Rejicienda est lex continuitatis, prout a Leibnitzio et recentioribus nonnullis propugnatur.....	213
Art. II. — De nexu rerum dinamico.....	215
Art. III. — De nexu rerum teleologico.....	215
Appendix de concordia inter scientias naturales et scholasticam philosophiam.....	217

THEOLOGIA NATURALIS

Præviæ notiones circa Theologiæ naturalis definitionem, præstantiam, utilitatem, methodum, historiam et divisionem..... 228

THEOLOGIE NATURALIS PRIMA PARS

DE EXISTENTIA DEI

CAPUT I. — <i>De demonstrabilitate existentia Dei</i>	232
Variæ opiniones circa demonstrabilitatem existentia Dei : systema traditionalismi, sensualismi, ontologismi, idearum innatarum, scholæ sentimentalisticæ; scholastica et communior sententia....	232
Existentia Dei ratione solâ probari potest, sine revelationis adminiculo.....	232
Existentia Dei non est nobis intuitivè evidens, sed indiget demonstratione.....	234
CAPUT II. — <i>De natura argumentorum quibus existentia Dei probari potest</i>	236
Art. I. — De probatione existentia Dei a priori et a simultaneo; variæ opiniones; istiusmodi probatio rejicitur.....	237
Art. II. — De probatione existentia Dei a posteriori.....	238
Prænotanda circa varias probationes a posteriori.....	238
§ I. — Probatür existentia Dei quatuor argumentis metaphysicis; solvitur objectio.....	239
§ II. — Probatür variis argumentis psychologicis.....	243
§ III. — Probatür variis argumentis cosmologicis; — solvuntur objectiones.....	246
§ IV. — Probatür duplici argumento morali, nimirum consensu populorum et lege morali; solvuntur objectiones.....	255

THEOLOGIE NATURALIS SECUNDA PARS

DE NATURA DEI

CAPUT I. — <i>De ratione quâ natura Dei a nobis cognoscitur</i>	259
Probatur Deum a nobis cognosci triplici viâ, causalitatis, remotiõnis et eminentiæ.....	260
CAPUT II. — <i>De perfectione nature Dei</i>	261
Art. I. — De perfectione Dei relativâ : Deus possidet omnes omnium rerum creaturarum perfectiones, et proinde est perfectissimus relativè.....	261
Inter perfectiones creaturarum alias possidet virtualiter et eminenter solùm, alias autem formaliter simul et eminenter.....	261
Art. II. — De perfectione Dei absolutâ : Deus est simpliciter et absolutè infinitus.....	263

CAPUT III. — <i>De constitutivo naturæ divinæ</i>	266
Probatur sententia quæ constitutum naturæ Dei in Ipsi- tate reponit.....	267
CAPUT IV. — <i>De incommunicabilitate naturæ Dei</i>	270
Deus est maximè unus et unicus.....	270

THEOLOGIE NATURALIS TERTIA PARS

DE ATTRIBUTIS DIVINIS

De notione, distinctione et partitione divinarum attributorum..	273
CAPUT I. — <i>De attributis Dei absolutis et negativis</i>	275
Art. I. — De simplicitate Dei.....	276
A Deo removeri debet omnis compositio physica.....	277
A Deo removeri debet omnis compositio metaphysica.....	277
A Deo removeri debet omnis compositio logica; corollarium circa definitionem Dei.....	278
Deus est actus purus.....	279
Art. II. — De immutabilitate Dei: Deus est absolute immutabi- lis; solvitur objectio.....	280
Art. III. — De æternitate Dei: Deus est æternus, et quidem æter- nitate simultaneâ.....	281
Art. IV. — De immensitate Dei: Deo competit ubiquitas necnon immensitas; solvitur objectio.....	282
CAPUT II. — <i>De attributis Dei absolutis et positivis</i>	284
Art. I. — De intelligentiâ et scientiâ Dei.....	285
§ I. — De existentiâ intelligentiæ et scientiæ Dei.....	285
§ II. — De objecto scientiæ divinæ.....	285
Deus intelligit et comprehendit seipsum.....	285
Deus seipsum primariò, et alia secundariò intelligit.....	286
Deus cognoscit omnia actualia, et præterita, singularia, futura etiam libera merè possibilis, mala ipsa et infinita.....	286
§ III. — De mediò scientiæ divinæ.....	289
Deus alia a se cognoscit in suâ essentiâ, vel in suis decretis; unde verior est Thomistarum quam Molinistarum sententia; solvitur objectio.....	289
§ IV. — De proprietatibus scientiæ divinæ, et multiplici ejus discrimine a scientiâ humanâ.....	293
Art. II. — De voluntate Dei.....	294
§ I. — De existentiâ voluntatis divinæ.....	294
§ II. — De objecto voluntatis divinæ.....	295
Deus vult seipsum primariò et necessario amore, vult autem alia a se secundariò et liberè.....	295
§ III. — De concordia libertatis cum immutabilitate Dei.....	296
§ IV. — De proprietatibus voluntatis divinæ et multiplici ejus discrimine a voluntate humanâ.....	299
Art. III. — De potentiâ divinâ: ejus existentiâ, naturâ, objectum et extensio.....	300

CAPUT III. — <i>De attributis Dei relativis</i>	302
Prænotanda circa notionem ac divisionem attributorum relatio- rum.....	302
Art. I. — De divinâ rerum conservatione.....	303
Deus creaturas conservat conservatione non solum negativâ, sed positivâ et directâ; solvitur objectio.....	303
Art. II. — De concursu divino.....	306
Prænotanda circa notionem variasque species concursûs divini.....	306
Non sufficit concursus mediatus, sed exigitur etiam immediatus.....	306
Non videtur satis esse concursus exclusivè simultaneus, ac proinde requiritur concursus etiam prævius, seu præmotio physica: solvuntur objectiones.....	308
Art. III. — De Providentiâ divinâ.....	311
Prænotanda circa notionem variosque adversarios Providentiæ... Deo attribuenda est Providentiâ, quatenus tum prævisionem, tum executionem ordinis aut gubernationem rerum importat; va- riæ solvuntur objectiones.....	312

Disputatio de præcipuis erroribus adversus Deum.

CAPUT I. — <i>De erroribus circa existentiam Dei</i>	320
Art. I. — De atheismo absoluto.....	320
§ I. — De illius possibilitate et existentiâ.....	321
§ II. — De illius causis.....	322
Art. II. — De atheismo logico.....	324
§ I. — De illius notione.....	324
§ II. — De illius refutatione.....	325
CAPUT II. — <i>De erroribus adversus naturam Dei</i>	326
Art. I. — De pantheismo.....	326
§ I. — De notione et variis pantheismi formis.....	327
§ II. — De falsitate pantheismi; solvuntur objectiones.....	329
Art. II. — De polytheismo.....	332
Art. III. — De dualismo et manichæismo: ejus notio ac refutatio.....	334

ETHICA

Præviæ notiones circa Ethicæ naturam, præstantiam, utilitatem, historiam et divisionem.....	336
--	-----

ETHICÆ PRIMÆ PARS

SIVE ETHICA GENERALIS

Ejus objectum et divisio.....	340
CAPUT I. — <i>De fine ultimo actuum humanorum</i>	340
CAPUT II. — <i>De moralitate actuum humanorum</i>	342

Art. I. — De existentia objectivi et intrinseci discriminis inter bonum et malum morale; solvitur objectio.....	342
Art. II. — De natura boni et mali.....	344
§ I. — Recensentur variae opiniones de natura boni et mali....	344
§ II. — Refelluntur falsae opiniones de natura boni et mali, scilicet quae repetunt bonum et malum ex voluptate, ex utilitate, ex mero arbitrio Dei vel hominum.....	345
§ III. — Declaratur vera sententia de natura boni et mali.....	348
§ IV. — De supra boni et mali regula; variae opiniones, verior sententia.....	350
CAPUT III. — <i>De normis quibus actus morales conformari debent.</i>	353
Art. I. — De norma moralitatis objectivae.....	353
§ I. — De lege in universum: ejus natura et variae species; utrum servari queat intuitu sanctionis aut proprii commodi?.....	353
§ II. — De lege aeterna: ejus notio et existentia.....	358
§ III. — De lege naturali: ejus notio et existentia; divisio ejus praecceptorum; dependentia ejus a lege aeterna; refutatio opinionis quae tuetur Ethicam autonomiam; dependentia legum positivarum a lege naturali.....	359
§ IV. — De lege positiva: ejus necessitas, materia, et variae conditiones.....	364
Art. II. — De norma moralitatis subjectivae.....	367
§ I. — De libertate, quatenus est conditio proxima moralitatis.....	367
§ II. — De ratione, quatenus principia morum cognoscit.....	368
§ III. — De conscientia, quatenus principia morum agenti applicat.....	370
§ IV. — De principis conscientiae directivis.....	371
CAPUT IV. — <i>De consecratis actus humani et morales.</i>	373
Art. I. — De actus moralis imputatione.....	373
Art. II. — De merito et demerito.....	374
§ I. — De meriti et demeriti naturam.....	374
§ II. — De meriti ac demeriti existentia: homo mereri ac demereri potest tum apud homines, tum apud ipsum Deum; solvitur objectio.....	375
§ III. — De fundamento meriti. Meritum nititur in quadam aequalitatis et justitiae lege servanda.....	377
Art. III. — De virtute et vitio.....	378
§ I. — De virtutis naturam.....	378
§ II. — De illius subjecto.....	380
§ III. — De illius origine et causa.....	381
§ IV. — De illius divisione.....	382

ETHICAE SECUNDA PARS

SIVE ETHICA SPECIALIS

Praenotanda circa ejus objectum ac divisionem.....	384
--	-----

SECTIO PRIMA. — De jure et officio hominis quatenus individualis.

CAPUT I. — <i>De jure et officio in universum.</i>	385
Art. I. — De jure et officio seorsum inspectis.....	385
§ I. — De jure: ejus natura, subjectum, collisio, et variae divisiones.....	385
§ II. — De officio; ejus notio, subjectum, collisio, et variae divisiones.....	388
Art. II. — De mutuis relationibus tum dependentiae, tum originis, jus inter et officium.....	389
CAPUT II. — <i>De officiis hominis erga Deum seu de religione.</i>	390
Art. I. — De religione interiori.....	391
§ I. — Utrum homo Deo debeat internam religionem?.....	391
§ II. — De variis officiis quae amplectitur religio interior; horum divisio.....	392
Specialim de deprecatione; de convenientia, necessitate et materia deprecationis.....	393
Art. II. — De religione exteriori.....	396
CAPUT III. — <i>De officiis hominis erga seipsum.</i>	398
Art. I. — De officiis hominis erga seipsum generatim inspectis.....	398
Art. II. — De officiis hominis erga seipsum sigillatim inspectis.....	399
§ I. — De officiis hominis erga suam rationem; ubi refellitur opinio liberae cogitationis et notatur influxus scientiae in virtutem.....	399
§ II. — De officiis hominis erga suam voluntatem.....	401
§ III. — De officiis hominis erga sensitivum appetitum.....	402
§ IV. — De officiis hominis erga suum corpus.....	402
CAPUT IV. — <i>De officiis hominis erga alios homines privatos.</i>	401
Praenotanda circa naturam officiorum justitiae et caritatis.....	404
Art. I. — De strictis hominis juribus, aut de officiis justitiae erga alios homines.....	405
§ I. — De veris hominis juribus: de juribus proximi quantum ad animam, bona corporea, et personam; de <i>socialismi</i> et <i>communismi</i> commentis et manifesta falsitate.....	405
§ II. — De quibusdam immerito inter jura hominis recens computatis.....	410
Notio <i>liberalismi</i> . Libertas cogitationis, praeli, conscientiae, et cultuum, haberi nequeunt ut jus, seu <i>thesis</i> ; aliquando permitti vel tolerari possunt ut <i>factum</i> seu <i>hypothesis</i> ; hodie tamen proponi non debent ut <i>hypothesis</i> generalis.....	410
Art. II. — De officiis caritatis in proximum, seu de juribus illius minus strictis.....	413
Debemus aliis hominibus amorem, et varia officia quae ex amore defluunt.....	413

SECTIO SECUNDA. — De officiis hominis quatenus socialis.

Prænotanda circa naturam variasque species societatis	415
CAPUT I. — De societate domestica	416
Art. I. — De societate conjugali	416
Art. II. — De societate paternâ	417
Art. III. — De societate herili	419
CAPUT II. — De societate civili	422
Art. I. — De naturâ societatis civilis	422
Art. II. — De origine societatis civilis	423
§ I. — De origine societatis civilis philosophice inspectâ	424
Societas civilis est naturalis homini et ab hominum arbitrio vel contractu minime pendet	424
§ II. — De origine societatis civilis historica	428
Art. III. — De fine societatis civilis	429
Societatis finis est lueri ac fovere bonum civium physicum, intellectuale et morale; de illius fine præcipuo ac directo, et secundario ac mediato	429
Art. IV. — De iuribus ac limitibus Statûs ejusque relatione ad privatos cives et ad varias civium categorias; — quomodo inter cives commoda et onera partiri debeat, ubi et de <i>tributis</i> ; — quæ sint propriæ illius functiones?; — utrum habeat jus docendi et quomodo habere se debeat ad scholas?; — de iuribus civium privatorum, et speciâtim de libertate associationis	431
Art. V. — De nexu societatis civilis cum religione	435
§ I. — De religione Deo a societate civili debita	435
§ II. — De unione societatis civilis cum Ecclesia et ejus ad ipsam subordinatione	438
Art. VI. — De suprêmâ auctoritate in societate civili	439
§ I. — De naturâ variisque muneribus suprêmæ potestatis	439
§ II. — De origine suprêmæ auctoritatis civilis. Potestas civilis primariò ex Deo, tanquam auctore naturæ oritur	441
Probabilior videtur opinio quæ vult auctoritatem a Deo multitudini datam, ab eâ immediatè in principem transferri: solvuntur objectiones	443
Art. VII. — De subjecto suprêmæ potestatis	446
§ I. — De modo quo instituitur subjectum suprêmæ potestatis. In societate primitus constitutâ, jure domestico designatum fuit politicæ potestatis subjectum	447
In variis societatibus, temporum decursu constitutis, subjectum politicæ potestatis neque naturali, neque divino jure, sed ex multitudinis consensu regulariter designatur	448
De meliori regiminis formâ	450
De suffragio universali et variis temperamentis ei afferendis	451
§ II. — Utrum gubernator jure semel electus a multitudine amoveri valeat?	453

§ III. — Quomodo populus se habere possit aut debeat erga tyrannum et usurpatorem?	455
CAPUT III. — De societate universali quæ viget inter diversas gentes ad invicem comparatas	458
De variis officiis tum justitiæ, tum caritatis diversarum gentium ad invicem; de variarum gentium autonomiâ; de principio non interventûs; de modo tuendi ac vindicandi justitiam inter diversas gentes; variæ opiniones, verior sententia	458


APPENDIX

<i>Notiones quædam generales de æconomia politica</i>	466
---	-----

FINIS INDICIS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

UNIVERSIDAD GENERAL DE BIBLIOTECAS



UAN

IDAD AUTONOMA DE NUEV

CION GENERAL DE BIBLIOTEC

